HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOMUS SEXTUS

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS SEXTUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 360. USQUE AD AN. 385.



ROMÆ MDCCLXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

CAROLO EMMANUELI
PRINCIPI PEDEMONTIS &c.

GASPAR SACCARELLUS TAURINENSIS
CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTER
FELICITATEM.

POSTQUAM Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam dudum, CELSISSIME PRINCEPS, ſcribere inſtitui, Volumen alterum Avi Tui longe Clariſſimi CAROLI EMMANUELIS, tertium autem VICTORII AMEDEI Patris Sardiniæ Regis optimi Maximi-

que Nomine inſignitum, incredibili ſane utriuſque beneficio, in vulgus emiſi; Nihil equidem vehementius optavi, quam ut aliquod etiam ſummi mei erga Te obſequii teſtimonium publice extaret. Itaque ſextum tandem Operis ejuſdem Tomum editurus, hunc Regiæ CELSITUDINI TUÆ offero, dedicoque; atque utinam, quæ in eum elucubrandum ſtudia contuli, Tibi non omnino diſpliceant: Sic enim merito in animum induxi meum, ſi Tibi uni liber probabitur, fore ut non modo Noſtratium, ſed exterarum etiam Gentium judicia ſuſtineat, neque de officio tantum perſoluto, ſed de ampliſſimo quoque adverſus invidorum obtrectationes

præ-

præſidio ſtudiis meis comparato, ipſe magnopere gaudeam; eam ſiquidem ingenii excellentiam, docilitatemque conſequutus, qua major a natura tribui ſane non poterat; a vitis paterniſque potiſſimum exemplis vehementer incitatus; ſapientiſſimis præterea Doctoribus uſus, tantos brevi in optimis quibuſque diſciplinis progreſſus feciſti, quantos omnes jure ac merito admirantur; atque adeo domi foriſque Doctrinæ Tuæ fama percrebuit, iſque Tibi ob hanc cauſſam ubique honos habetur, ut a nemine profectò improbari illa poſſe videantur, quæ Ipſe patrocinio Tuo non prorſus indigna judicaveris. Ut vero librum gratiam apud Te ini-

turum non ſperem modo, ſed vehementer confidam, ejus argumentum plane ſuadet. Maximorum Principum, & Hominum Sanctiſſimorum res præclare pieque geſtas, mores, inſtituta perſequitur, ac plura commemorat, quæ manifeſte declarant, quam vere Theodoſius Auguſtus olim ſcripſerit: „ A Religione, qua „ Deus colitur, Reipublicæ ſta„ tum pendere; multámque in„ ter hunc & illam cognatio„ nem, ac familiaritatem inter„ cedere.„ quæ autem hiſce jucundiora perferri ad TE, PRINCEPS OPTIME, quæſo poſſent? qui, ne cæteras, quibus tantopere explendeſcis, virtutes ſummas, Te certe invito, attingam, Religionis

in Deum, in ejusque administros pietatis & obsequii laude ita excellis, ut plane ostendas, alte fixum animo hærere, veram Principis gloriam Religione potissimum contineri, Teque de hac unice adsequenda laborare. Reliquis omnibus prætermissis, vel in sola Theodosiani Imperii Historia jucundissima augustissimi Patris imago occurret, quem tum a Majoribus acceptam gloriam tantis auxisse virtutibus & egregie factis, tum illustrem adeo industriumque laudum suarum æmulum feliciter in Te nactum esse Italia universa quammaxime gratulatur. Qua igitur ad Te, Principum optime, confugientes benignitate hactenus complexus es,

x

eadem hos meos qualescumque labores ut excipias, tuoque amplissimo præsidio tuearis, etiam atque etiam rogo. IntereaCivium meorum communia vota sequutus, DEUM O. M. enixe precor, ut REGIAM CELSITUDINEM TUAM quamdiutissime servet; omnia tibi, ac Uxori lectissimæ bene feliciterque evenire perpetuo velit; Vosque iis augeat liberis, ad quos tandem cum vestrarum fama virtutum perveniat Imperium, ad majorem Catholicæ Religionis gloriam, eximium Italici Nominis decus, & veram, diuturnam firmissimamque subditarum gentium felicitatem.

AD-

ADPROBATIONES.

Volumen ſextum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ per annos diſtributæ ab erudito Viro Gaſpare Saccarelio Congregationis Oratorii de Urbe Presbytero digeſtum, Reverendiſſimi P. Thomæ Richinii Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici voluntati obſecutus percurri, attenteque legi, nihilque in eo, quod aut catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, inveni; quin multa diligentia elaboratum, multaque eruditione refertum, ac proinde publica luce dignum cenſeo.

Ex Vaticana Bibliotheca Kalend. Octob. 1777.

Stephanus Evodius Aſſemanus Archiepiſc. Apameæ Bibliotecæ Vaticanæ Præfectus.

Hiſtoriæ eccleſiaſticæ volumen ſextum a clariſſimo viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii de Urbe Preſbytero digeſtum, ex mandato Reverendiſſimi P. Thomæ Richinii Magiſtri ſacri Palatii Apoſtolici, attente legi: cumque nihil, quod aut catholicæ fidei, aut bonis moribus adverſari poſſit, contineat; publica luce dignum cenſeo, & eruditis viris, ac præcipue eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſis gratiſſimum fore non dubito.

Joſeph Theolus S. Theologiæ Doctor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. A. Marcucci Episc. Montis Alti Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI An. 360. Liberii Papæ 9.
Constantii, Imp. 24.
Coss. Constantio Aug. X., et Juliano Cæs. III.
Olymp. 284. an. 4. An. Urbis 1113.

1. SExti hujus voluminis exordio Constantius Imp. rebus Ecclesiæ non tam anxie, quam impie tractandis semper sollicitus, iterum in Episcoporum concilio, tanquam in Ginæceo Achilles, aut Satan inter Angelos, cum assisterent coram Deo, sese iterum offert; atque in ipsa Consulatus pompa, idest *cum ad solemnem Consulatus pompam se pararet, sicut moris est apud Romanos Kal. Januarii postridie totum diem, & maximam noctis partem consumsit cum Episcopis disceptans*, ait Sozomenus. Ac ut Ariminensis fidei formulæ, cui Seleuciensis synodi legati Constantinopoli agentes subscripserant, majorem auctoritatem conciliaret, synodum alteram congregari jussit, ut novis eam subscriptionibus firmaret: *Cum Acaciani aliquandiu substitissent Constantinopoli, Episcopos ex Bithynia evocarunt, inter*

Jesu Chr. An. 360. Synodus CP. Ariminiensem fidei formulam confirmat. *Job. cap. 1.*

Sozom. lib. 4. 23. 24.

Jesu Chr. An. 360.

quos erat Maris Chalcedonensis, & Ulphila Gothorum Episcopus, omnes vero numero quinquaginta, qui formulam fidei Ariminensem suffragiis suis comprobarunt; hoc tantum addentes, ne quis in posterum substantiam in Trinitate, aut hypostasim diceret; utque præter hanc formulam, tam quæ antea scriptæ erant quam quæ postea scribendæ essent, condemnarentur, ait Sozomenus, eademque Socrates: hancque inter fidei formulas ab Arianis hactenus vulgatas nonam fuisse ait, additque Ulphilam Gothorum episcopum tunc primum Arianæ perfidiæ consensisse: *Nam ante illud tempus Nicænam fidem amplexus fuerat secutus Theophilum, qui cum Gothorum esset Episcopus Nicæno concilio præsens subscripserat*; ex Ulphilæ autem prævaricatione tota Gothorum gens Arianismi labe infecta est; ut infra videbimus. De eadem Constantinopolitana formula, *bis in Isauria scriptis*, ait Athanasius, idest Seleuciæ, CPolim *profecti, quasi se scriptorum pœniteret, ea de more mutaverunt, additis tamen quibusdam vocabulis: ita ut neque hypostasim in Patre & Filio, & Spiritu Sancto dicerent, eademque iis, qui Ariminum convenerant transmittere, ut eidem subscriberent exilii pœna iis indicta, qui recusassent.*

Ætius damnatur & in exilium ejicitur.

2. Eadem CPolitana synodus, etsi damnata hypostasis & substantiæ voce, gravissimum Nicænæ fidei vulnus inflixerit, sua tamen laude frustrari non debet, dum Ætium, Arianorum perditissimum, & Diaconatu submovit, & perpetuo exilio damnavit. Altercantibus quippe coram Imperatore Basilio Ancyrano, & Eustathio, *Eustathius Imperatori dixit: Quandoquidem causam Fidei dijudicari cupis Imperator, vide quas contra Unigenitum blasphemias effudit Eudoxius; simul hæc dicens porrexit expositionem fidei, in qua præter alia multa hæc quoque impia verba continebantur. Ea quæ dissimiliter proferuntur, dissimilia sunt secundum substantiam. Unus Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia. Atqui inter se dissimilia sunt, ex quo, & per quem. Filius ergo dissimilis est Deo Patri*. Hæc autem ut Constantius audivit, Eudoxium interrogavit, num hæc ab illo scripta essent? Negavit ille, ac Ætium ea scripsisse dixit. Imperator vero Ætium induci jussit, cui expositionem illam ostendit, quæsivitque num hujus scripti auctor esset; ille autem sperans ex confessione laudem se consecuturum, ejus scripti se auctorem professus est. *Imperator vero impietatis magnitudinem con-*

considerans, eum exilio damnavit, & in quemdam Phrygiæ locum deportari jussit. Mopsuestiæ eum relegatum, fuisse ac inde Ambladam translatum, ubi miserrime periit, narrat Philostorgius. Eamdem cum Ætio pœnam subiisset Eudoxius ab Eustathio ejusdem impietatis apud Imperatorem accusatus, multisque argumentis convictus, rogatusque ut Ætii doctrinam respueret, *tergiversari cœpit, oblatamque ipsi conditionem variis artibus eludere conatus est. Sed cum Imperator indignaretur, minatusque esset se illum cum Ætio in exilium missurum, utpote impiæ sententiæ, & doctrinæ consortem, Eudoxius suam ipsius doctrinam negavit, quam tamen & tunc temporis, & postea defendere numquam destitit*, inquit Theodoretus. In synodali autem epistola ad Georgium pseudo-episcopum Alex. data, Ætium ob ejus nefaria scripta damnatum fuisse narrant CPolitani Patres; cum vero eorum sententiæ Episcopi aliquot, inter eos Serra, Stephanus, Heliodorus, Theophilus subscribere recusassent, eis sex menses ad emendationem, ac ad deliberandum eadem synodus concessit, quibus elapsis in Ætii sententia perseverantes, ac synodali sententiæ subscribere recusantes, ab Episcopali dignitate alienos esse decernunt. Hæc ex epistola CP. synodi ad Georgium Alex., de qua verissime adnotat Theodoretus, tunc Episcopos Ætium condemnasse, dum eadem & ipsi sentirent.

JESU CHR. AN. 360.

3. Alios etiam Episcopos eadem CP. synodus abdicavit, non tam fidei causa, quam variis obstrictos criminibus; in primis Macedonium Regiæ urbis Episcopum, *tum quod plurium cædium auctor fuisset, tum quod Diaconum in fornicatione deprehensum ad communionem admiserat*. Cædium causa tunc fuerat, cum Constantio inscio, corpus Constantini ex Apostolorum basilica in aliam transtulit, unde tumultuante CP. plebe tot strages factæ sunt, ut Ecclesia & loca vicina sanguine redundarent, ut Socrates, & Sozomenus narrant. Macedonius vero sua Sede ejectus, quiescere haudquaquam potuit, quin in otio vivens, novæ hæresis fundamenta jecit, Pneumachorum scilicet, qui Spiritus Sancti Divinitatem impugnabant. Docebat enim Filium quidem Dei Deum esse per omnia similem Patri, adeoque secundum substantiam; Spiritum vero Sanctum ejusdem honoris, & dignitatis expertem esse docebat; quem etiam ministrum ac famulum appellabat: *Eamdem*

Macedonius Episcopatu depositus, novæ hæresis auctor fit.

JESU CHR. AN. 360. *cum illo opinionem amplexi sunt Eleusius, & Eustathius, & reliqui omnes, qui eo tempore a contrariæ sententiæ assertoribus depositi fuerant Constantinopoli; quibus haud exigua pars populi adhæsit, tam CP., quam per Thraciam, Bithyniam, & Hellespontum, finitimasque provincias, nam vivendi ratio, quam vulgus potissimum spectare solet, haudquaquam in illis culpanda erat*, ait Sozomenus. Eamdemque in Macedonianis vivendi rationem laudavit Nazianzenus, præcipue vero Marathonii cujusdam vitæ austeritas, & gravitas imperitæ plebi in admiratione fuit; nam is cum opes plurimas ex rationario publico Præfecturæ Prætorianæ sibi comparasset, dimisso officio, ægrotantium & pauperum curam suscepit. Postea vero suasu Eustathii Sebasteni Episcopi Monasticam vitam amplexus est, & Monasterium CP. ædificavit, *quod ad nostram usque ætatem continua successione perseveravit*, ait Sozomenus, qui & addit Marathonium tum studio, cum opibus suis eam hæresim eousque fovisse, ut sectatores ejus a quibusdam Marathoniani appellarentur, suaque effecit industria, ne eadem hæresis Constantinopoli penitus extingueretur; cum post Macedonii depositionem nec Ecclesias deinceps, nec Episcopos usque ad Principatum Arcadii, Macedonii secta habuerit; atque hæc de Macedonianæ hæresis ortu dicta sint, cujus infra progressum narrabimus.

Alii Episcopi in CP. Synodo depositi

4. Eamdem depositionis sententiam in Macedonium a synodo CP. latam, subiit Eleusius Cyzicenæ urbis Episcopus, eo quod Heraclium quemdam maleficii & magicarum artium convictum, sacro baptismate initiatum, mox diaconum ordinasset. Basilium vero seu Basilam, qui Marcelli loco Ancyræ Episcopus fuerat ordinatus deposuere, eo quod virum quemdam cum injuria tonsum catenis ferreis vinctum custodiæ mancipaverat, ac adversus nonnullos calumnias struxerat, tandem quia Ecclesias Africæ epistolis suis turbaverat. Dracontinum etiam Episcopum idcirco deposuerunt, quod ex Galatia Pergamum transilierat. Abdicarunt etiam Neonam Episcopum Seleuciæ: Sophronium quoque Episcopum Pompejopoleos, quæ urbs est Paphlagoniæ: Elpidium Satalorum Armeniæ, Cyrillum Hierosolymorum Episcopum, alios denique ob alias causas, ut pluribus narrat Sozomenus.

Socrat. lib. 2. 42. Sozom. lib. 4. 24.

Eudocius Macedonio subrogatur.

5. In locum Macedonii Eudoxius est ordinatus, qui relicta Germanicia, Antiochenam sedem pastore vacuam sua sponte alias invaserat; & majora ambiens, Regiæ urbis cathe-

thedram occupavit. *Eudoxius Macedonii loco ecclesiam obtinuit Constantio Aug. decies, & Juliano Cæs. tertium*, ait Sozomenus, ideſt hoc anno; diem ordinationis ejus oblivioni exemit chronicon Alex. *Macedonius Episcopus Constantinopolitanus propter multa ipsius crimina exauctoratus est, & in locum ejus suffectus Eudoxius mense Audineo, seu Januarii vigesima septima, præsentibus Episcopis septuaginta duo*, qui Constantinopolitanæ synodo convenerant; vir non solum Arianæ perfidiæ coriphæus, sed & deliciarum Sybariticarum cupidus, ut ait Theodoretus. Post ordinationem cum ob solemnem dedicationem templi S. Sophiæ plebem congregasset, conscenso sacerdotali suggestu concionaturus ad populum, hæc in ipso sermonis exordio dixisse fertur: *Pater quidem impius est, Filius autem pius. Cumque plebs tumultuaretur: Conquiescite inquit, Pater quidem impius est, propterea quod neminem colit: Filius vero pius, quia colit Patrem. Quo dicto auditoribus risum movit*.

JESU CHR. AN. 360. Theodor. lib. 2. 31. Sozom. lib. 4. 26. Theodor. lib. 27.

6. De dedicatione ejusdem ecclesiæ S. Sophiæ, hæc narrat Alex. chronicon ad hunc annum. *In eadem Synodo Constantinopolitana Episcoporum, non post multos dies ab inauguratione Eudoxii Episcopi Constantinopoleos, Encoenia magnæ ecclesiæ ejusdem urbis celebrata sunt, anno trigesimoquarto plus minus, quam fundamenta Victor Augustus jecerat. Acta sunt Encænia his Coss. XIV. Kal. Mart. qui dies est mensis Peritii, seu Febr. XIV.* Eoque tempore Constantius Imp. vota seu munera prætiosa aurea, & argentea, gemmasque auro intextas obtulit. Quin & in januis geminas utrinque fores aureas, vario opere fecit, ipsasque exteriores portas auro variavit. In universum etiam Clerum, tum in religiosas viduas, & virgines, ac in xenodochia munera largitus est; frumenti quoque mensuram in pauperum & pupillorum inopiam sublevandam a patre suo Constantino destinatam auxit, ut idem auctor pluribus narrat.

Ecclesia S. Sophiæ dedicatur.

7. Etsi Constantinopolitana synodus hoc anno celebrata, hæreticorum congregatio adversus Nicænam fidem conspirantium fuerit, adfuerunt tamen in ea, & quod magis dolendum est, eidem subscripserunt Episcopi aliquot, qui Nicænam hactenus fidem prædicaverant. Inter eos Dianæus Cæsariensis in Cappadocia Episcopus, & Gregorius Nazianzi Episcopus, Gregorii Theologi pater. De Dianæo Cæsariensi narrat Basilius, eum

Dianæus Cæsariensis Episc. & Gregorii Nazianz. lapsus. Basil. epist. 51.

JESU CHR. AN. 360.

cum in cordis simplicitate subscripsisse; quapropter cum in morbum, ex quo etiam e vita discessit, incidisset, Basilio, aliisque accersitis, dixit, Domino teste, se nihil ad fidei Nicænæ a sanctis Patribus expositæ eversionem sibi proposuisse, neque aliud in corde habuisse, quam quod ab initio traditum fuerat; seseque precari, ne separaretur a sorte beatorum trecentorum decem & octo Episcoporum, qui piam illam doctrinam Orbi annuntiarunt. Gregorii vero senioris lapsum filius ejus, idest Nazianzenus, excusat in oratione funebri, eo quod per animi simplicitatem abreptus fuisset; dolumque, homo doli expers, minime vitavisset. *Quin etiam solus, aut certe primus eos, qui a nobis ob pietatis zelum diffidebant, & sibi & cæteris reconciliavit, postremus a nobis separatus, & primus reversus, tum ob ipsius reverentiam, tum ob dogmatis puritatem.*

Hilarius fidei defensionem suscipit.

8. In tanta Episcoporum prævaricatione, aut deceptione, tantoque Nicænæ fidei discrimine, solus pene restitit Hilarius, qui cum exul Constantinopoli hoc anno esset, Fidei defensionem, datis ad Imperatorem tribus libellis, invicto animo suscepit. *Ubi extremum fidei periculum animadvertit*, ait Sulpicius, *Occidentalibus deceptis, in Ariminensi synodo, Orientales per scelus vinci*, in Seleuciensi, & Constantinopolitana synodo, *tribus libellis publice datis, audientiam Regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptaret. Id vero Ariani maximopere abnuere. Postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire ad Gallias jubetur absque exilii indulgentia.* Horum libellorum primus is est, qui ad Constantium secundus dicitur, quo hæc Imperatori præfatur. *Non sum nescius, piissime Imperator, ea quæ de nonnullis negotiis ad conscientiæ publicæ audientiam proferantur, pro dignitate eorum, qui eloquuntur, vel gravia existimari solere, vel levia &c.* deinde post aliqua de se ipso addit; *Episcopus sum in omnium Gallicanarum ecclesiarum, atque Episcoporum communione licet in exilio permanens, & ecclesiæ adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. Exulo autem non crimine, sed factione, & falsis nunciis synodi: ad te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conscientiam per impios homines delatus &c.* quod evidentissimis rationibus probare coram adversariis suis paratum se exhibet; *sed nihil de eo nisi cum jusseris, loquar*; idest de iis, quæ ad se spectabant;

de

de Fidei autem periculo: *Nunc autem quia mihi mœtus est de Mundi periculo, de silentii mei reatu, de judicio Dei, cura autem est de spe, de vita, de immortalitate non tam mea, quam tua, universorumque &c.* Cur autem tam anxius de fide esset, id ex hæreticorum inconstantia, qui fidei formulas semper mutabant, exponit, probatque ex iis, quæ anno proximo, & labenti acciderant, in Ariminensi, Seleuciensi, & Constantinopolitana synodis, unde ajebat:

Fides ab hæreticis sæpe mutata.

9. *Incerto doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus perturbamus, aut dum docemur erramus. Jam vero proximi anni fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum, quæ Homousion decernit taceri: sequens rursum, quæ Homousion decernit, & prædicat; tertium deinceps, quæ Usiam simpliciter a Patribus præsumptam, per indulgentiam excusat; postremum quartum, quæ non excusat, sed condemnat. Et quo tandem processum est? ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret*; deinde post aliqua: *Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defensos anathematizamus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, & mordentes invicem, jam absumti sumus ab invicem. Fides deinde quæritur, quasi fides nulla sit. Fides scribenda est, quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus, quasi baptisma aliquod esse possit sine Christi fide. Emendamus: quasi in Spiritum Sanctum peccasse sit venia*; quare Imperatorem rogat, ut coram Synodo Constantinopoli adhuc congregata, de fide loqui sibi liceret. *Sed unum hoc ego per hanc dignationis tuæ sinceram audientiam rogo, ut præsente Synodo, quæ nunc de fide litigat, pauca me de Scripturis evangelicis digneris audire, & loquar tecum verbis Domini mei Jesu Christi, cujus vel exul sum vel Sacerdos*; inde promittit, se veram fidem ex divinis Scripturis, Patrum traditione, atque ex baptismatis forma nullo negotio probaturum esse; *Locuturus tecum sum, inquit, cum honore Regni, & fidei tuæ ad Orientis, & Occidentis pacem proficientia, sub publica conscientia, sub synodo diffidenti, sub lite famosa*, quæ Constantinopoli inter Episcopos tunc agebatur.

Hilarius lib. contra Auxentium vulgat.

10. Ut hoc libello Imperatori oblato nihil profecisse vidit

JESU CHR. AN. 360. vidit Hilarius; quinimo Nicænam fidem ex Ariminensis, & Seleuciensis concilii decretis periclitari; eorumdem conciliorum historiam vulgare utilissimum censuit; *At cum tam gravis rei tractetur negotium, oportet unumquemque his modo curam cognoscendis rebus impendere, ut judicio deinceps proprio consistens, opinionem non sequatur alienam*. Hic liber, qui fragmentorum inscribitur, a Hieronymo liber *adversus Valentem, & Ursacium, historiam Ariminensis, & Seleuciensis Synodi continens* dictus est, eo quod ab Arelatensis concilii gestis, usque ad exitum Ariminensis, & Seleuciensis Arianorum historiam contineat; hæc autem scripsit, ut cunctis innotesceret, Ariminensis, & Seleuciensis synodi auctoritatem nullius momenti fuisse: contra Valentem vero, & Ursacium dictus est, quia iidem præcipui Architecti fuerunt, eorum, quæ in hisce duabus synodis gesta fuerant; cui opusculo alia postmodum addidit, quæ sequentibus annis contigerunt; ut ex fragmento undecimo, ac duodecimo constat; ac Parisiensis synodi gesta, adversus Ariminensem refert, & Liberii epistolam ad Episcopos Italiæ datam anno 363.

Hilar. fragm. 1.2.17.

Hilarius contra Constantium Imper. scribit.

Hieronym. dialog. e contra Lucif.

11. Historicum opus nondum absolverat, cum, ut inquit Hieronymus, *periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil supererat spei*, nam Episcoporum plurimi Constantii edictis, aut minis territi, aut simulata ejusdem religione decepti, impietatem ejus facile imitabantur; quare Hilarius, qui hactenus, ea, qua decebat in Imperatorem modestia, cum eo egerat, mutato deinde consilio, ne ulterius in ovina pelle, Christi gregi insultaret ut lupus, in ipsum Imperatorem stylum acuit, atque his verbis exorditur. *Tempus est loquendi, quia jam præteriit tempus tacendi: Christus expectetur, quia obtinuit AntiChristus. Clament Pastores, quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus, quia fures introjerunt, & leo sæviens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia Angelus Satanæ transfiguravit se in Angelum lucis ..... Non timeamus eum, qui potest corpus occidere, animam autem non potest, sed timeamus eum, qui potest corpus, & animam occidere in gebennam*. Deinde se paci hactenus studuisse addit. Hoc autem anno hæc eum scripsisse, indicat annus quintus ex quo Paulinus, Eusebius, Lucifer, Dionysius in exilium acti fuerant, anno 355. Coss. Arbetione, & Lolliano. Cur autem acriori stylo

lo Constantium insectatus fuerit, hanc reddit rationem: *Si quis igitur prudens rationem silentii mei percipit, profecto me usque nunc recentis injuriæ acerbitatem moderatum, nunc demum fideli in Christo libertate testante, non aliquo vitio humanæ perturbationis, ad hæc scribenda arguet incitatum. Neque enim immature loquar, qui diu tacui, nec sine modestia tacui, qui dissimulavi recentem, & qui, ne quid ex causa mea loqui existimarer, tantum adhibui ad silentium temporis. Nunc mihi non alia ad dicendum causa, quam Christi est; cui & hoc debui, quod usque nunc tacui, & ex reliquo me intelligo debere, ne taceam.* Cur autem Constantium Antichristum dixerit, aut Neroni, Decio, aliisque persecutoribus exequaverit, hanc affert excusationem:

12. *Cesset igitur maledictorum opinio, & mendacii suspicio; Veritatis enim ministros decet vera proferre. Si falsa dicimus, infamis sit sermo maledicus; si vero universa hæc manifesta esse ostendimus, non sumus extra Apostolicam libertatem, & modestiam post longum hæc silentium arguentes. Sed temerarium me forte quisquam putabit, quia dicam Constantium Antichristum esse. Quisquis petulantiam istud magis quam constantiam judicabit relegat* quæ in Herodem Joannes, aut Machabei ad Antiochum dixerant; *non est istud temeritas, sed fides, neque inconsideratio, sed ratio, neque furor sed fiducia.* Hæc Hilarius calamo quidem sæviens, corde diligens, ut de Stephano Judæos arguente adnotavit Augustinus. His pro Fidei defensione editis vulgatisque libris, cum Ariani, & fidei constantiam, & dicendi libertatem metuerent, Constantio auctores fuerunt, ut eum tanquam discordiarum satorem in Gallias remitteret, de cujus reditu in Occidentem, sequenti anno.

Hilarius ab injuriæ suspicione se purgat.

13. Hilarii etiam zelo factum est, ut Nicæna fides post Ariminensem synodum ab ecclesiis quodammodo exulans, liberius prædicaretur in Parisiensi synodo, ubi Episcoporum plurimi, subscriptiones suas Ariminensibus gestis editas, retractarunt; de cujus synodi epocha, etsi varia sit eruditorum sententia, cum alii ad annum 361. aut 362. eam alligaverint, dubitari tamen vix potest, quin ad labentem pertineat, cum adhuc Hilarius in exilio esset. Cum itaque Anomei, seu Ariani, & Acaciani Constantii Imperatoris auctoritate fulti, Orientalium plurimos, qui Constantinopolitanæ synodo convenerant, suis sedi-

De Parisiensi synodo ejusque epist. ad Orientales.

Hilarii vita pag. 116. & 697.

Basnag. 361. 14.

Bar. 362. n. 219.

Pag. not. 27. ibid.

Jesu Chr. An. 360. bus ejecissent, atque in eorumdem locum alios Arianæ perfidiæ participes subrogassent; qui ejecti fuerant quaqueversum epistolas ad orthodoxos Episcopos dederunt, eosdem admonentes, ut Acacium ejusque socios a sua communione repellerent; Hilarium etiam in Oriente adhuc commorantem epistolis suis rogarunt, ut eadem Gallicanis Episcopis, aliisque Occidentalibus nota faceret. Hilarius itaque, cum Semiarianorum plurimos, qui Filium Dei per omnia Patri similem prædicabant, atque homoeusion dicebant, ac si vera narrat Philostorgius, *cum in exilium ducerentur, subscriptiones suas, quibus Ariminensis concilii fidem confirmaverant, revocarunt*, Hilarius, inquam, cum eosdem uti catholicos haberet, aut saltem brevi futuros speraret, ad Galliæ Episcopos ea de re litteras dedit; Gallicani vero Episcopi in Parisiensi synodo congregati Orientalibus rescripserunt, fidem eorum laudantes, ac testantes, se non solum Usiæ vocabulum retinuisse, sed & Homousion, idest Nicænam fidem; eaque de causa eos, qui Arimini, aut Nicææ in Thracia in Usiæ silentium coacti, postmodum facti pœnitentes Filium Dei homousion, aut homœusion iterum prædicarent, in suam se recipere communionem testati sunt, Arianos vero una cum Auxentio, Ursacio, Valente, Gajo, Megasio, & Justino, ceterisque Arianæ perfidiæ sociis, aversari, dirisque vovisse significarunt. *Ex litteris enim vestris*, inquiunt, *quas dilecto fratri, & consacerdoti nostro Hilario direxistis, fraudem Diaboli, & conspirantia adversus Ecclesiam Domini hæreticorum ingenia cognovimus, ut divisi in partibus Orientis atque Occidentis, diversis invicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad Usiæ silentium sunt coacti: quod verbum a vobis quondam contra Ariomanitarum hæresim inventum, a nobis semper sancte fideliterque susceptum est. Nam homousion sermonem ad veram, & legitimam ex Deo Patre Unigeniti Dei nativitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabellii blasphemias ipsam unionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes*; & post aliqua in detestationem hæresis Arianæ:

Philost. lib. 5.

Hilar. frag. 7. pag. 697.

Episcoporum plurimi subscriptiones suas retractant.

14. *Itaque carissimi cum ex litteris vestris in Usiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat, etiam pietatem eorum, qui Arimino Constantinopolim reverterunt conventos, sicut epistola vestra contenta testatur, neque eos ad tantarum*

rum blasphemiarum damnationem potuisse compellere, *fidelis dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nuntiaverit*: *nos quoque ab his omnibus*, *quæ per ignorantiam perperam gesta sunt referimus*. Auxentium deinde, Ursacium, Valentem, Gajum, Megasium, & Justinum uti excommunicatos se habere testantur, una cum ceteris, quos ipsorum, vel Hilarii epistolæ indicaverant. His addunt se quoque Saturninum Tolosanum Episcopum, salubribus statutis contradicentem excommunicasse, utpote Arianæ perfidiæ in Galliis propagatorem, & patronum.

Hilarius librum de synodis scribit. Præf. in d.lib. p. 446.

15. Ad hæc quoque tempora pertinet Hilarii liber, quem de synodis, seu de fide Orientalium inscripsit. Cum ad Hilarium Gallicani Episcopi scripsissent, se Sirmiensem fidei formulam non solum non *suscepisse*, *sed nunciatam etiam significatamque damnasse*, utpote qui Nicænam fidem sequerentur, cum ipsis de eorumdem fidei constantia gratulatus est Hilarius. *Necessarium mihi*, *ac religiosum intellexi*, *ut nunc quasi Episcopus*, *Episcopis mecum in Christo communicantibus salutaris*, *ac fidelis sermonis colloquia transmitterem*; *& qui per metum incertorum conscientia tantum antea mea*, *quod ab his omnibus essem liber gratulabar*, *nunc jam communis fidei nostræ integritate gauderem*; quapropter eorum fidei constantiam laudat, quod *cum omnia inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina moverentur*, *manentes nunc usque mecum in Christo fideles*, *neque antea ad occasionem proruptura hæreseos cessistis*, *& nunc omnem ejus petulantiam in proruptionis congressione fregistis*, suoque exemplo Orientalium plurimos ad resipiscentiam adduci posse testatur. Cumque Gallicani Episcopi Hilarium rogassent, ut sibi de Orientalium fide scriberet, eisque significaret, quid tandem tot fidei professionibus editis profecissent, quidve de his ipse sentiret: *Quæ exinde Orientales in fidei professionibus gerant*, *& gesserunt significari vobis humilitatis meæ litteris desiderastis*, *etiam hoc mihi onus imperitissimo*, *atque indoctissimo omnium ex affectu caritatis addentes*, *ut quid ipse super omnibus dictis eorum sentiam indicem &c.* Exposita postmodum operis difficultate eorum votis satisfaciens: *Omnes fides* addit, *quæ post sanctam synodum Nicænam diversis temporibus*, *& locis editæ sunt*, *cum sententiarum etiam omnium atque etiam verborum additis per me expositionibus destinavi*.

Arianorum variæ fidei expositiones.

16. Inter fidei expositiones, quas huic operi inseruit, pri-

Jesu Chr. an. 360. primum locum obtinet Sirmiensis per Osium, & Potamium conscripta anno 357, deinde Antiochena anno 341. edita cum ibidem convenissent Episcopi ad dedicationem ecclesiæ, tertia ea est, quam Orientales a Sardicensi concilio profugi, & Philippopoli congregati anno 347. ediderunt. Has autem fidei formulas, Sirmiensi excepta, catholico sensu exponit, atque etiam laudat, aut saltem excusat, eo quod multiplicandis fidei formulis hæreticorum furor Orientales impulisset, quibus etiam gratulandum quod *in tanta blasphemantium Episcoporum hæretica pertinacia*, aliqui saltem pœnitendo corrigerentur, ii scilicet, qui homousion seu consubstantialem prædicare recusabant; homoeusion autem, seu similem dicebant, quos a catholica fide nullatenus alienos judicabat, eo quod, ut inquit: *Prædicantes similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quam æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis significantiam habet similitudo*. Hunc librum Hilarius scripsit anno 358. exeunte, aut 359. incœpto, cum judicta esset Ancyrana, & Ariminensis synodus, ut ipse testatur, cumque speraret iis in synodis Episcoporum plurimos ad catholicam fidem redituros, Orientalium fidei formulas, qua potuit benignitate exposuit, & laudavit; hinc factum, ut quæ Athanasius in libro de synodis, & Hilarius ipse in libris ad Constantium de multitudine formularum fidei, earumque perversitate adnotaverint, hoc loco laudasse visus sit; at cum diverso tempore hæc Hilarius scripserit, diversusque etiam fuerit Athanasii scopus, ab eo quem sibi Hilarius proposuerat, nil mirum, si diversa pro temporis, aut circumstantiarum ratione tum Hilarius ipse, cum Athanasius senserit; ut erudite ab Hilarii editore ad dictum librum adnotatum est.

Hilar. de synod. n. 73.

Præf. in lib. de synod. n. 13.

Constantius adversus Persas expeditionem suscipit.

17. Cum res Ecclesiæ in ea, quam hactenus diximus confusione essent; res quoque Imperii in pejus prolabebantur, nam Sapor Amida, aliisque oppidis anno elapso expugnatis; labenti anno Mesopotamiam ingressus, Singaram post dierum aliquot obsidionem occupavit, ubi occisis promiscui sexus aliquot, *residui omnes mandato Saporis vivi comprehensi, ad regiones Persidis ultimas sunt asportati*, ait Marcellinus. Bezabdem deinde Persæ transierunt, quam etsi Romanorum legiones tres tuerentur, ea tamen post varia certamina potiti sunt, cædibusque vastarunt, ita ut lactantes etiam una cum matribus trucidati sint, teste Marcellino, Constantius interea tristibus

Marcell. lib. 20. 7.

bus hisce nunciis acceptis, CPoli relicta ubi hyemaverat, adversus Persas exercitum duxit, ac Cappadociam ingressus, Arsacem Armeniæ Regem sibi conciliavit, cui & Olympiadem Ablavii Præfecti prætorio filiam, Constanti Augusto fratri olim nuptam, matrimonio copulavit; quas nuptias utpote cum viro a christiana fide alieno Athanasius Constantio crimini objecit his verbis: *Sponsam autem Constantis Olympiadem Barbaris dedit*; ex Cappadocia, superato Euphrate, Edessam pervenit, inde Amidam, quam ut dirutam vidit flevisse dicitur, Bezabden deinde obsedit, at adveniente autumno ob irruentes pluvias re infecta discedere coactus, Antiochiam hyematum rediit.

Jesu Chr. an. 360.

Athan. tom. 1. epist. ad solitar.

18. Cum Cæsareæ in Cappadocia Constantius hoc anno esset, nunciatum est ei, Julianum ab exercitu, se inscio Augustum declaratum fuisse. De hac inauguratione, quæ Parisiis accidit, inter se scriptores dissident, nam invitum ad eam dignitatem evectum fuisse passim Ethnici scribunt; Christiani vero summa perfidia, ad eam dignitatem viam sibi aperuisse tradunt, quibus utpote numero, & auctoritate potioribus, major habenda est fides. Eo interim nuncio accepto, eousque Constantius turbatus est, ut parum abfuerit, quin relicto Persarum vastationibus Oriente, in Occidentem adversus Julianum arma converteret, ex eoque tempore cognationis, & pacis vincula Constantium inter & Julianum rupta sunt, ac in apertum bellum res tandem devenit. Interea Julianus die sexta Novembris quinquennalia Cæsarea celebravit, *inter quæ Helenæ Conjugis defunctæ supremæ miserat Romam, in suburbano viæ Nomentanæ condendæ, ubi uxor quoque Galli sepulta est Constantina*, inquit Marcellinus.

Julianus ab exercitu Augustus dicitur

Marcell. lib. 20. 4.
Greg. Nazianz. orat. 11
Philostorg. lib. 4.

Marcell. lib. 21.

JESU CHRISTI AN. 361. LIBERII PAPÆ 10.
JULIANI IMPERATORIS AN. 1.
COSS. TAURO, ET FLORENTIO
OLYMP. 285. AN. 1. URB. AN. 1114.

1. Ut purpuram induisse Julianum Constantius accepit, rei novitate commotus, cum Imperio exturbare apud se statuit. Persico tamen distentus bello, cum vi id aggredi non posset, insidiis adortus est, sollicitato ad id operis Vadomario Germanorum Rege, sed nunciis interceptis, laxatisque epistolis, Julianus, misso ad Vadomarium Philagrio Notario, ut ad

Constantii adversus Julianum insidiæ.
Liban. orat. 5. & 12.

JESU CHR. AN. 361. ad convivium invitaret, comprehensum in Hispanias relegavit. Civile deinde bellum Constantium inter & Julianum exortum est, nam Julianus hoc eodem anno adversus Constantium exercitum eduxit, ut mox videbimus, nunc Constantii gesta prosequimur.

2. Antiochiæ hyemaverat Constantius, ut res Persico bello necessarias curaret, quo tempore defuncta jam pridem Eusebia secunda uxore, tertias cum Faustina iniit nuptias, ex qua filiam posthumam reliquit, quæ Arcadio nupsit: antequam vero in Persas arma inferret, ad promerendum sibi divinum auxilium, christianos undique securos esse, edito rescripto jussit. *Gaudere enim, & gloriari ex fide semper volumus*, ajebat; *scientes magis religionibus, quam officiis, & labore corporis, vel sudore nostram Rempublicam contineri. Dato XIV. Kal. Martii Antiochiæ Tauro, & Florentio Coss.* Quo etiam tempore Hermogene Præfecto Prætorii Orientis defuncto, in ejus locum *Helpidius promovetur*, inquit Marcellinus, *ortus in Paphlagonia vir quidem simplicioris ingenii*, ac adeo mitis, ut cum coram eo nocentem quemdam torqueri Constantius præcepisset, abrogari sibi potestatem potius rogaverit, ac ut aliis ex sententia Principis hæc agenda præciperet.

Marcell. lib. 21.

Cod. Theod. lib. 16. de episc. & cler. Marcell. lib. 21. 6.

Aristeneta pro filiis Hilarionem adit.

3. De Aristeneta piissima fœmina, Elpidii uxore narrat Hieronymus, quod cum ejus filii periculose ægrotarent, ad Hilarionem perrexit, cujus precibus pristinæ incolumitati restituti sunt; *Aristeneta*, inquit, *Elpidii, qui postea Præfectus prætorio fuit, uxor valde nobilis inter suos, & inter christianos nobilior, revertens cum marito, & tribus liberis a Beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatem remorata est: ibi enim sive ob corruptum aerem, sive ut postea claruit propter gloriam Hilarionis servi Dei, hemitritheo pariter arrepti, omnes a medicis desperati sunt. Jacebat ululans mater, & quasi inter tria filiorum excurrens cadavera, quem prius plangeret, nesciebat.* Cognito autem quod non longe abesset Hilarion monachus sanctitate celebris, matronalis pompæ oblita, vixque a viro persuasa ut asello sedens pergeret, Hilarionem adiit, hisque eum fere verbis interpellare cœpit. Per Jesum Christum, ejusque Crucem, & sanguinem rogo te ut reddas mihi tres filios, cumque urgebat, ut Gazam una secum ad filios suos transiret, cumque ille renueret, ac diceret se nec urbem aut

Hier. vita Hilar.

aut castellum ingredi posse; illa humi strata magis magisque clamabat: *Hilarion, serve Christi redde mihi liberos meos: quos Antonius tenuit in Ægypto, a te serventur in Syria*. Quid multa? non prius mulier recessit, quam ille pollicitus est, se post solis occasum Gazam introiturum. Quo postquam venit, singulorum lectulos, & arentia membra considerans, invocavit Jesum. Et (oh mira virtus!) quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit. Eadem hora acceperunt cibos, Ingentemque matrem cognoscentes, & benedicentes Deum, Sancti viri manus deosculati sunt. Quæ ut Gazæ vulgata sunt, ac longe lateque diffusa, certatim ad eum de Syria, & Ægypto confluebant, ita ut multi crederent in Christum, & monasticam vitam profiterentur: necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachos, ante S. Hilarionem in Syria noverat. | Jesu Chr. an. 361.

4. Interea cum Edessæ Constantius esset, Julianum in se ipsum arma movisse accepit, ac superatis Alpibus Illyricum cursu celeri prætergressum, in Thraciam contendere. *Quo cognito, mærore offusus Constantius solatio uno sustentabatur, quod intestinos semper superaverat motus*; dum vero dubius hœreret, num in Persas, an contra Julianum arma converteret, nunciatum est ei Saporem *ad propria revertisse sacris dirimentibus*; Itaque contra Julianum vires omnes collegit, quem facile se victurum sperabat; at alio eum vocabat divina justitia, namque ad vitæ exitum properabat; *& Autumno senescente*, ut ait Marcellinus, *profectus Antiochia venit Tarsum, ubi leviori febre contactus, ratusque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti posse discrimen, petit per vias difficiles Mopsuerenas, Ciliciæ ultimas, hinc pergentibus, stationem sub Tauri montis radicibus positam, egredique secuto die conatus, invalescente morbi gravitate detentus est; paulatimque urente calore nimio venas, ut ne tangi quidem ejus corpus posset, in modum foculi fervens, cum usus deficeret medelarum, ultimum diem obiit* tertio nonas octobris *Imperii, vitæque anno quadragesimo, & a mensibus paucis*, ait Marcellinus. At eum tertio nonas Novembrium, anno ætatis 45. Imperii 37. obiisse ex Idacianis fastis, & Socrate scimus; quod autem addit Constantium successorem sibi dixisse Julianum non constat, quia Nazianzenus, Constantium in vitæ exitu, tribus de rebus doluisse tradit, *primum quod propinquis suis necem intulisset, alterum quod Julianum Apostatam Imperatorem nominasset*, cum eum Cæ-

Constantii ægritudo baptismus, & obitus.

Marcell. lib. 21. 14.

Nazianz. Orat. 21.

Jesu Chr. an. 361. Nazianz. in Julian. orat. 1. & 2.

Cæsarem dixit, postremum quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his *vocibus e vita discessit*. Hinc factum ut Nazianzenus in orationibus suis contra Julianum, multis eum laudibus celebraverit; atque ad Deum non semel abiisse dixerit.

Constantius ab Euzojo baptizatur.

5. Quin tamen ad superos facilis Constantio via patuerit, multa obstant, tota scilicet vitæ series, vel vitiis transacta, vel certe Arianæ hæresi tuendæ sollicita, quem etiam in vitæ exitu Euzojus Arianus Episcopus baptizavit: *Constantium impietatis suæ nacti patronum* Ariani, *qui cum ad usque finem in impietate perseverasset, demum instante morte baptizari voluit, non a piis utique viris, sed ab Euzojo, qui Arianæ hæreseos causa, non semel sed multoties, & Diaconus cum esset, & cum Antiochiæ sederet, depositus fuerat*. Athanasio consentiunt alii historici; Auctor Chronici Alex. *Constantius denunciatis sibi Juliani Cæsaris insidiis, concitus a Tarso Ciliciæ ad Mopsuestiam seu Mopsifontes veniens, accepto ab Euzojo Antiochiæ Episcopo ex monasterio per Constantium accersito, baptismate Constantius Aug. mense dio, seu novembri die tertia, Anno Antiocheno CDX. indict. XV. cum Ecclesia pacem annos quinquaginta habuisset, dictis consulibus Tauro, & Florentio, mortem cum vita commutavit*. Eademque Socrates.

Athan. de syn. tom. 1. pag. 748.

Constantii funera & exequiæ. Marcell. lib. 21. 16.

6. Defuncto honores non defuerunt: *Pollinctum corpus* ait Marcellinus, *conditumque in loculis, Jovianus, protector domesticus cum regia prosequi pompa Constantinopolim usque jussus est, humandum*, juxta corpus Constantini Imp. nec ea funeris pompa desiderata est, quam defunctis exhibere solet Ecclesia, ut narrat Nazianzenus: *Ille*, idest Constantius, *publicis laudibus, faustisque ominationibus, pompisque deducitur, ac religiosis etiam his nostratibus cultibus, nocturnis cantionibus, facumque gestationibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum honore prosequi consuevimus. Ac lætitia luctu permixta efficitur hujusmodi corporis exportatio*. Ubi vero Constantinopolim Constantii cadaver pervenit, Julianus; obviam factus cum legionibus honorificentissime excepit, & feretrum præcedens absque diademate honorem exhibuit mortuo, cui paulo ante vitam adimere properabat, ait Philostorgius. Mediocrem sui famam Constantius reliquit, in quo non deerant egregiæ animi dotes: *Vir egregiæ tranquillitatis*, ab Eutropio dictus, placidus animo, amicis & familiaribus benevolus & liberalis, tunc tan-

Nazianz. orat. 4.

tantum ad severitatem propensior si suspicio Imperii movetur. At effrenis Constantii in rebus ad christianam Religionem spectantibus dominandi cupido, quin & insanum Arianæ hæresis dilatandæ studium, invisum ipsius nomen in Ecclesiæ fastis adeo reddidit, ut a doctissimis sanctissimisque viris Hilario, Lucifero, Athanasio acerbissimus Ecclesiæ persecutor, ac Antichristi præcursor dici meruerit. Eamque Constantii in rebus ad Religionem spectantibus immodicam innovandi cupidinem, ne Ethnicos quidem scriptores latuit, de qua hæc Ammianus: *Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressu fusius aluit concertatione verborum*: sed de Constantio, ejusque gestis hactenus.

Ju[illegible]us christi[illegible]am religio[illegible]m simula

7. Ad Julianum nunc oratio convertitur, qui cum ante Constantii obitum purpuram induisset, ad conciliandos sibi Christianorum animos, ex quibus exercitus pars maxima constabat, christianorum Religionem se colere finxit, & Epiphaniæ festo una cum Christianis rebus sacris adfuit: *Agebat interim*, ait Marcellinus, *nihil de statu rerum præsentium mutans, sed animo tranquillo, & quieto incedentia cuncta disponens. Utque omnes, nullo impediente, ad suum favorem alliceret, inhærere cultui christiano fingebat, a quo jampridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, aruspicinæ auguriisque intentus, & ceteris quæ Deorum semper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphaniam dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter Numine orato discessit.*

Marcell. lib. 21. 2.

Julianus adversus Constantium proficiscitur.

8. Rebus sacris in Ecclesia peractis, seu potius fictis, *secretiore ritu Bellona placata*, aliisque officiis Deorum suorum implorato auxilio, adversus Constantium exercitum eduxerat, & superatis Alpibus, nullo resistente Sirmium usque pervenerat, ubi faustis acclamationibus exceptus, *militaris, & omnis generis turba, cum lumine multo, & floribus, votisque susceptis Augustum appellans, & Dominum, duxit in Regiam.* Cum Sirmii esset, Victorem historicum ad se venire jussum *Pannoniæ secundæ consularem præfecit*, ait Marcellinus, *& honoravit ænea statua*. Hic est Victor Historiæ auctor de vita, & moribus Imperatorum Romanorum, quem Theodosius Imperator Urbis Præfectum fecit. Interea Julianus aper-

JESU CHR. AN. 361. aperto jam bello cum Constantio agens, adversus eum verbis, & gestis acerbius agere cœpit, & deposita Christianitatis larva, Diis palam sacrificare non dubitavit; atque ad Maximum Ephesium, quo ad omnem impietatem pedagogo usus fuerat, hæc de rebus suis scripsit: *Illud maxime te audire convenit, & quemadmodum uno tempore præsens auxilium Deorum sensimus, & tantam insidiatorum multitudinem effugimus, nemine occiso, aut spoliato, sed iis tantum custodiæ traditis, qui in scelere ipso deprehensi erant. Atque hæc quidem fortasse melius erit dicere, quam scribere: puto tamen abs te libentissimo animo auditum iri. Deos publice, & palam colimus, & totus meus exercitus pietatem amat. Nos aperte boves immolamus, Diis gratias agimus multis hecatombis.* Hæc Julianus, insidias, quas ipse Constantio paraverat, se evasisse prædicans.

Ep. ad Maximum.

Julianus se excusat, ad bellum Constantio intulerit.

Julian. ep. ad Julian.

9. Ut autem expeditionis adversus Constantium susceptæ excusationem aliquam prætexeret, vitaretque ingratitudinis notam, ad Julianum avunculum, post Costantii obitum scripsit: se nunquam in animo, aut in votis habuisse Costantium occidere, immo magis, id ne accideret exoptasse, ac tantum ut terreret eum se arma sumpsisse sperans, eo pacto res ad colloquium aliquod planius, & mitius devenituras esse, aut si etiam bello decernendum foret, Fortunæ Diisque, omnia permitterentur. *Cum vero CPolim pervenisset tertio iduum decembrium verecundis Senatus officiis, & popularium consonis plausibus, stipatusque armatorum, & togatorum agminibus exceptus est*, ut Socrates, & Idacius narrant. Auctor vero chronici Alex. de Juliani adventu: *Constantius die tertio nonas novemb. Tauro, & Florentio Coss. in finibus Ciliciæ vita defunctus est. Julianus vero iisdem Coss. die tertio idus Decemb. in partibus Occidentis profectus CP. venit, in eaque urbe Imperator est renunciatus*, ibique ad octo menses, vel decem, ut ait Zosimus, substitit; *& corpus quidem Constantii regalibus exequiis honoravit*, ait Socrates; de quibus supra dum de Constantii exequiis egimus, aliqua prænotavimus.

Socrat. lib. 3. 1.

Julianus in Constantii ministros sævit.

10. Imperii sui initia judiciorum severitate dedicavit Julianus, *Secundo Salustio Præfecto prætorio summam causarum agitandarum committens*, cui Arbetionem, Nevitam, & Jovinum equitum Magistrum adjunxit, qui omnes transgressi Chalcedonem, ibique reorum plurimos in judicium vocatos, pro criminum varietate variis etiam pœnis addixerunt; e quibus Pal-

Palladius in Britanniam relegatus est, Taurus vero Præfectus prœtorii, & hujus anni consul Vercellas, quem etiam una cum collega Florentio, eo quod audita Juliani in Constantium rebellione, Urbe excesserant, *Consules fugitivos in perscribendis publicis instrumentis Julianus eos appellari jussit*, inquit Zosimus: Ursulus autem occisus est, eo quod liberius de eo locutus fuisset, ac ob bellum ab eodem adversus Constantium susceptum ingratitudinis notam inussisset. Apodemius vero, qui in Silvani, Gallique Cæsaris perniciem conspiraverat, una cum Paulo Catena vivi combusti sunt; eademque severitate alii plurimi variis de causis exilio, aut extremo supplicio multati sunt, ut narrat Marcellinus. De Eusebio vero præfecto cubiculi, & Arianorum patrono, qui catholicos Episcopos, Ecclesiamque sub Constantio hactenus vexaverat, hæc subdit: *Eusebium super his, cui erat Constantiani thalami cura commissa, alte spirantem præcipitem tamquam e rupe quadra egit excelsa*; quem ut habet Socrates, *capitali supplicio affecit*, tum quod multos injuriis affecisset, tum præcipue quod fratrem suum Gallum per ejus calumnias interfectum comperisset.

Zozim. lib. 3. 10.

ad. lib. 3.

11. De Palatinorum vero censura a Juliano indicta, & exactisque pro scelerum diversitate pœnis, audiamus iterum Socratem, & Marcellinum. Nam eunuchos, tonsores, & coquos ejecit ex palatio. Eunuchos quidem, eo quod ipse uxorem suam amiserat, post cujus obitum aliam nolebat ducere. Coquos vero, propterea quod tenui, ac simplici cibo uteretur. Tonsores denique, eo quod ut ajebat, *unus* sufficit plurimis; has igitur ob causas hujusmodi hominum genus palatio expulit. Ex Notariis etiam plurimos ad pristinam conditionem redegit, ceteris salarium Notario congruens dari præcepit. Publici etiam cursus impensas minuit, ac publicis necessitatibus tantum inservire jussit, ut pluribus persequitur Marcellinus, addens alios quidem hæc Juliani gesta laudasse, plurimos vero vituperasse, eo quod sublata regiarum opum magnificentia, vile, & contemptui obnoxium reddidisset Imperium.

Julianus Eunuchos, coquos, tonsores palatio ejicit.

12. Id vero præceteris curavit Julianus, ut Ethnicorum religionem, ac Deorum cultum a Constantino primum, deinde a Constantio pene extinctum, postliminio revocaret: *Quamquam*, inquit Marcellinus, *a rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga Numinum cultum*; occulte tamen vivere

Julianus Idolatriam restituere conatur.

Jesu Chr. An. 361. te Conſtantio hæc agebat: *At ubi adeſſe ſibi liberum tempus faciendi quæ vellet advertit, ſui pectoris patefecit arcana, & planis abſolutiſque decretis aperiri templa, ariſque hoſtias admoveri, Deorum ſtatuit cultum.* Socrates etiam: *Familiaribus ſuis mandavit, ut gentilium templa confeſtim aperirent*, & paulo ante: *Itaque Pagani feſtos dies Numinum ſuorum gentili ritu celebrabant*, & iterum: *Eodem tempore chriſtianæ Religionis ſimulationem prorſus abjecit; ſingulas enim civitates circumiens templa aperire, & ſimulacris ſacrificare cœpit, ſeque ipſe Pontificem maximum appellavit*; & ut alios exemplo præiret, atque ad Deorum cultum, Chriſti religione abdicata, alliceret, impio lavacro, baptiſma abſtergere voluit, ut narrat Gregorius Nazianzenus.

Marcell. ut ſup. Socrat. ut ſup.

Juli. [illegible] ſtianæ palam re ciat. Greg. Nazianz. in Julianum.

13. *Vix Imperii hæreditatem adire cœperat, cum impietatem palam libereque profitetur, perinde atque hoc nomine erubeſcens, quod chriſtianus aliquando fuiſſet, ac ea de cauſa chriſtianis ſuccenſens, quibus nominis ſocietate junctus fuerat. Atque hinc quidem facinora ſua auſpicatur, quemadmodum narrant, qui ipſius arcanis gloriantur (proh Superi, in quos ſermones incurrere cogor!) impuro, & nefario ſanguine lavacrum extergit, initiationi noſtræ execrabilem initi actionem opponens: ſus videlicet in cœno provoluta (ſicut eſt in proverbio) manuſque ſuas profanat, ut nimirum eas ab incruento illo ſacrificio, per quod nos Chriſto ipſiuſque paſſionibus, & Divinitati communicamus, elueret, ac repurgaret.* Huc uſque Nazianzenus. De Juliani Imperatoris geſtis, deque perſecutione in Eccleſiam excitata ſequentibus annis; hoc loco adnotare ſufficiet, quæ de Apoſtatis Spiritus Sanctus prænunciavit: *Homo Apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat, huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit ultra medicinam*; quæ omnia in Juliano completa fuiſſe ſequentium annorum hiſtoria monſtrabit.

Proverb. 6. 12.

De Meletii ordinatione. Sozom. lib. 2. 24. 25. Socrat. lib. 2. 43. cap. 44.

14. Ut ad res Eccleſiæ propius accedamus, hoc ineunte anno dum adhuc Conſtantius viveret, Meletius vir pietate, doctrinaque inſignis ex Sebaſtena Eccleſia ad Antiochenam translatus eſt. Is Bereæ primum Epiſcopus, Sebaſtem deinde translatus fuerat, uti tradunt Sozomenus, & Socrates, qui capi-

Jesu Chr. an. 361.

te sequenti narrat, eum e Sebastena Sede in Bereensem translatum, deinde in Antiochenam, sed melius, veriusque dixisset ex Bereensi in Sebastenam, & ex ea in Antiochenam: *Meletius Sebastiæ Armenorum Episcopus ab Acacio, & Georgio Arianis Episcopis Antiochiam transfertur*, ait Hieronymus, eademque Philostorgius, & Theodoretus, qui ex Armenia, idest ex Sebaste Antiochiam translatum fuisse scribunt. Modico tamen tempore Sebastenam Ecclesiam, tenuisse Meletium, idem Theodoretus innuit his verbis: *Cum gregis sui contumaciam ferre non posset, alio migraverat, ibique in otio degebat*. Qua autem ratione ad Antiochenam Ecclesiam Arianorum opera translatus fuerit, Sozomenus his verbis narrat: *Per idem tempus cum Eudoxius Constantinopolitanam Ecclesiam obtineret*, (Antiochena relicta) *multi Antiochenam Sedem ambire cœperunt*; ita ut variæ contentiones ob eam causam tum a Clero, tum a populo excitarentur: *Cum unusquisque ad regendam Ecclesiam eum deligebat, quem sperabat secum in fide consensurum esse*. Cum itaque Antiochensis Ecclesia turbata esset, commodum sibi fore judicarunt Eudoxiani, ut Meletius ex Sebastena sede illuc transferreretur, quippe qui ad dicendum, & ad persuadendum idoneus esset in primis, & ob vitæ integritatem probatus, præcipue vero quod eum secum sentire arbitrabantur, sicque sperabant, ut tanti viri fama, atque auctoritate cives Antiocheni, ac finitimæ civitates ad eorum opinionem allicerentur. At longe aliter res accidit, nam Meletius Antiochena sede potitus, primum quidem morum regulas publice exposuit, tandem vero Filium Dei ejusdem cum Patre substantiæ esse aperte pronunciavit.

Hier. Chron. Sozom. lib. 4. 28. Theod. lib. 2. 31. Philostr. lib. 5. Theod. lib. 2. 31.

4

Meletius Nicænam fidem prædicat, & in exilium ejicitur.

15. Cumque Nicænam fidem aperte prædicaret, Ecclesiæ Archidiaconus admota ori manu, eum prohibere conatus est, at Meletius, ore clauso, signis consubstantialem Trinitatem prædicare non destitit: *Tres enim digitos initio protendit, deinde iisdem retractis, & compressis, unum tantum porrexit, manus figura designans multitudini ea, quæ ipse sentiret, & quæ dicere prohiberetur*; cumque ira æstuans Archidiaconus dimisso ore, manum Meletii apprehendisset, ille liberam linguam nactus, elata voce sententiam suam apertius declaravit, auditoresque hortatus est, ut Nicænam fidem tenerent, eos, qui aliter sentirent, a vero aberrare obtestans, cumque hæc sæpe fecisset, ac Nicænæ fidei assertorem prædicatoremque se ver-

Jesu Chr. an. 361. verbis & facto probasset, Eustathiani exclamare, & præ gaudio exilire cœperunt; Ariani vero animos demisere. Quibus auditis, Eudoxiani graviter commoti sunt, operamque adhibuerunt, ut Meletius civitate expelleretur, ut infra dicturi sumus.

Eusebii Samosateni invicta constantia. *Theodorit. lib. 2. 31. 32.*

16. In Meletii electionem tum Ariani, tum Catholici consenserant, *summoque studio*, ait Theodoritus, *curarunt, ut decretum ea de re præscriberetur, & cunctorum subscriptionibus firmaretur, atque id decretum tum hi, tum illi, tanquam commune pactum, Eusebio Samosatensi Episcopo servandum tradiderunt*. Hinc accidit, ut cum Ariani se deceptos, inaque spe frustratos viderent, ne propriis subscriptionibus convincerentur, Constantio suaserunt, ut virum mitteret, qui decretum illud repeteret. Imperator itaque ad Eusebium statim misit, ut decretum ordinationis Meletii, cui subscripserant Ariani, ad se deferret. At Eusebius: *Non possum*, inquit, *commune depositum restituere, nisi congregatis prius universis Episcopis, qui mihi illud commendarunt*. Imperator vero ira succensus, alterum cum minacibus litteris nuncium misit, dexteram scilicet manum abscindendam fore, nisi obtemperasset; quibus ille perspectis, cum dextra sinistram quoque manum protendit, in ambarum abscissionem libentissime consentiens: *Nam decretum*, inquit, *non reddam, quo Arianorum improbitas apertissime convincitur*. Cujus fortitudinem cum Constantius cognovisset, & tunc laudavit plurimum, & postea mirari non desiit. *Acaciani vero Antiochiæ iterum congregati, ea, quæ ipsi* paulo ante decreverant, infirmare non dubitarunt, Meletio e Sede, ad quam ipsi vocaverant, ejecto, orationem vero, quam is priusquam discederet ad Populum habuit, posteritati Epiphanius commendavit. Plebs vero cum moleste ferret, se a Pastore suo divelli, lapidibus Præsidem, in cujus curru sanctus vir erat in exilium deportandus, aggressa est; at *ille*, idest Meletius, *complexus suis vestibus contexuit* caput Præsidis. Euzojus deinde ab Arianis in Meletii locum ordinatus est, qui olim una cum Ario, dum diaconus esset Alexandrinæ Ecclesiæ, ab Alexandro Episcopo dejectus, excommunicatusque fuerat. Eustathiani vero Euzoii communionem aversantes, ac a Miletianis etiam divisi, eo quod ab Arianis ordinatus fuerat Meletius, in Apostolica Ecclesia, quæ in Urbe veteri sita erat, conventus agere cœperunt; unde in

Epiphan. hær. 73. n. 29. Crysost. orat. 45.

tres

tres partes distracta remansit Ecclesia Antiochena, Arianorum scilicet, Eustathianorum, quibus præerat Paulinus presbyter, qui paulo post a Lucifero ibidem Episcopus est ordinatus, & Meletianorum. Unde Schisma inter Catholicos ipsos exortum est; cum alii cum Paulino, ceteri cum Meletio communicarent. At de Antiocheno schismate infra. Jesu Chr. An. 361.

17. Anno elapso ad finem vergente in Gallias redire jussus fuerat Hilarius, quem maximo cum plausu Galliæ excepere, ut narrat Sulpicius: *Ubi permensus est Orbem pene terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi, & magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem synodum recepissent, optimum factu arbitratus, revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, omnibus fere epistolis de errore profitentibus apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum fide reformant.* Hilarii zelum pro instauranda Ecclesiæ fide, & unitate, & in revocandis ad pœnitentiam lapsis Episcopis, qui Ariminensi synodo subscripserant, imitati sunt alii sanctissimi viri Eusebius Vercellensis, & Athanasius; unde Sulpicio testante: *Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis esse liberatas.* Hieronymus vero *Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat.* Eademque Fortunatus, Ruffinus, aliique.

Hilarius in Gallias redit quo plausu exceptus. Sulpic. lib. 2.

Fortun. Hilar vita cap. 8. Ruffin. hist. lib. 1. 30.

JESU CHRISTI an. 362. Liberii Papæ 11.
Juliani Imperatoris 2.
Coss. Mamertino, et Nevita
Olymp. 285. an. 2. Urbis. an. 1115.

1. Exules pro fide Episcopos ad suas redire Ecclesias jusserat Julianus, unaque cum iis cujuscumque ordinis Clericos, idque non pietatis, aut clementiæ instinctu, sed potius in Ecclesiam odio; sperabat enim eorum reditu Ecclesiæ dissidia in dies augeri, foverique posse, quod nequidem Ethnicum scriptorem latuit: *Dissidentes Christianorum Antistites cum plebe disscissa in Palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante Religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat adeo obstinate, ut dissensiones augente licentia, non timeret unanimem postea plebem, nullas infestas*

Julianus pro fide exules exilio solvit, qua de causa.

Jesu Chr. an. 362. *festas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum*. Quare *furebat adversum nos*, ait Gregorius Nazianzenus, *infandus Imperator, & cum in se ipsum primum per christianæ Fidei repudiationem insaniisset, jam aliis quoque intolerabilis erat, nequaquam ceterorum Christi hostium more, magno & strenuo animo impietatem profitens, verum clementiæ obtutu persecutionem celans*. Huic altera accessit causa, ut scilicet simulata hac indulgentia, *Constantii in subditos crudelitatem traduceret, eumque apud multitudinem infamaret*, inquit Socrates.

Greg. Naz. in orat. funeb. Cæsarii fratris.

Socrat. lib. 3. 1. Sozom. lib. 5. 5.

Juliani epistola ad Ætium.

2. Ætium vero auctorem sectæ Eunomianorum, a Constantio Amblada relegatum, scriptis etiam litteris, dataque copia publici cursus revocavit, ad quem in hæc verba scrip- *Julianus Ætio Episcopo. Ceteris omnibus, qui a Con- …uo vita defuncto ejecti patria fuerant, propter amentiam …literarum exilium condonavi. Te autem non solum ea pœna … ero, verum etiam memor pristinæ cognitionis, atque amicitiæ nostræ, hortor, ut ad nos venias. Uteris autem vehiculo publico usque ad nostram Cohortem, & uno equi affectatore*. Eadem ex causa, ut adnotat Sozomenus, Eleuterio Cizicinorum Episcopo sub gravissima multa injunxit, ut intra spatium duorum mensium ecclesiam Novatianorum, quam Constantii temporibus destruxerat, suis sumptibus instauraret. Inter exules pro fide Episcopos Eusebius Vercellensis præ ceteris eminebat, de cujus reditu antequam agamus, quæ in exilio pertulerit adnotanda sunt.

Eusebius Vercell. apud Josephum comitem hospitatur.

Epiph. hær. 30.

Eusebii epist. ad Vercell. de iis, quæ Schytopoli passus est.

3. Is itaque anno 355. post Mediolanensem synodum solum vertere jussus, Schytopolim ductus, a Josepho Comite hospitio exceptus fuit, ut narrat Epiphanius, qui hæc ab eodem Comite didicerat: *Ex ore enim ipsius hæc omnia audivi, & non ab aliquo alio, in senecta ipsius circa septuagesimum ætatis annum, aut etiam ultra*; Patrophylus tamen Arianorum Episcopus, Eusebium apud Josephum hospitari, ejusque pietatis officiis diu frui non permisit, quin sanctissimum Confessorem variis, multisque modis vexavit, ut in epistola ad Vercellenses pluribus idem Eusebius narrat: *Dilectissimis fratribus, & satis desideratissimis presbyteris, sed & sanctis in fide consistentibus plebibus Vercellensibus, Novariensibus Hipporegiensibus, nec non etiam Dertonensibus, Eusebius Episcopus in Domino æternam salutem*; ac se in adventu plurimo-

rum

rum fratrum, Syri scilicet diaconi, & Victorini exorcistæ, litterisque eorum ad se perlatis, inter exilii molestias exultasse addit: *Gaudeo itaque, Fratres carissimi, de fide vestra, gaudeo de salute, quæ fidem sequitur, gaudeo de fructibus, quod non solum illic constituti, sed & longe pergitis &c.* Post aliqua in eamdem rem, de persecutione ab Arianis in ipsum excitata, & præcipue a Patrophylo Scythopolitano Episcopo, scribit eos nullum non movisse lapidem, ac minis terroribusque adhibitis contendisse, ut eum in suam ipsorum perfidiam traherent; inter cetera jejunum perseverasse narrat, cum Ariani Catholicos ut eum adirent prohibuissent, ut vel invitus victum ab Arianis sumere cogeretur, ne mori vellet. Ob quam rem hanc ad Patrophylum contestationem dedit:

JASU CHR. AN. 362.

Arianorum crudelitas in Eusebium.

4. *Servus Dei Eusebius cum conservis suis, qui mecum fidei causa laborant, Patrophylo Custodi cum suis.* Sic namque Eusebius ad Arianum Episcopum scribens, noluit eum Episcopum appellare, sed custodem, cui cura potissimum esset Catholicos in carcerem detrudere, ac in carcere detentos custodire, variisque modis vexare. De vi autem vexationeque plurima sibi adhibita, Patrophylo inter cetera exprobrat: *Me vi multorum & furore, non solum tractum per terram; sed interdum nudato corpore supinum portastis de hoc hospitio, quod mihi per vestros & agentes in rebus dedistis, e quo numquam nisi nunc vestra violentia egressus sum, & Deus scit, & Civitas novit, nec vos hic, & in futuro negare potestis. Interim me hoc decrevisse sciatis (ut ratio nunc, & in futuro, & hic possit stare) in hospitio, quo me clausum tenetis, in quo me post primam portationem retrudentes crudelius ausi fuistis inde eodem modo portare, & in unam cellam rejicere, non panem manducaturum, neque aquam bibiturum, nisi ante singuli professi fueritis non solum verbo, sed & manu, vos non prohibituros fratres meos, qui mecum hæc fidei causa libenter patiuntur, de hospitio quo manent, necessarias escas offerre, nec eos, qui me dignati fuerint requirere*; quo scripto Eusebius Patrophilo denunciavit, se potius impastum perseveraturum in carcere, quam ab Arianis cibum sumpturum, ne cum iis quoquo modo communicare videretur. Quare post plurima: *Non ego in me reus ero*, subdit, *sed vos, qui conservos, meos necessaria ministraturos prohibere voluistis*. Id quippe consilii Patrophylus ceperat, ut Eusebium cogeret ad victum necessaria

E... libel- lus ...ro- phy

JESU CHR. AN. 362.

ab Arianis accipere, ut eo pacto gloriari posset, licet inaniter, Eusebium secum in cibo, potuque communicasse. Si vero oblatam recusasset alimoniam ac fame periisset, illud calumniose de eo ubique diffamaret, Eusebium (quod magna esset ignominia) voluntario exitio diem extremum clausisse. In eamque causam Eusebius mox subdit: *Et si hoc putaveritis, vos debere contemnere, non quasi mortem timentem, sed ne post excessum meum dicatis, me voluntaria morte exire voluisse, & quandam nobis nebulam accusationis inveniatis; conventurum me scitote Ecclesias Orbis terrarum &c.* Cumque libellum sua subscriptione firmasset, ut ubique vulgaretur adjecit: *Adjuro te, qui has litteras legeris, per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ut non supprimas, sed aliis legendas tradas.*

Eusebius ab Arianis iterum vexatus.

5. Cumque feritate sua nil profecissent Ariani, ac quatriduum jejunus perseverasset Eusebius, ad hospitium, in quo prius manserat, reverti eum compulerunt; quem populus cum gaudio excepit, lucernis etiam Eusebii hospitium circumdantes; quod diu Arianorum furor sustinere non potuit. Itaque viginti, & quinque vix elapsis diebus, cum perdita multorum manu, ad Eusebii hospitium armati fustibus iterum concurrunt, aut per aliena claustra parietem irrumpunt; iterum rapiunt, arctiorique custodia cum Tegrino presbytero detinent. Presbyteros, & diaconos, qui Eusebio hactenus ministrarant, post triduum per loca diversa in exilium mittunt, neminem interea ex suis ad eum accedere permittentes, ut ad victum necessaria deferret, ita ut vix sexta die, deficiente jam præ inedia illustri Confessore, cum victu aliquem admiserint, ut in supracitata epistola narrat; quam per Syrum diaconum ad suam Ecclesiam misit. Crudeliora adhuc sunt, quæ Maximus Eusebium in exilio pertulisse narrat, inter cetera, quod, *dum interrogaretur ab Arianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum proclivi tractu supinis pedibus ad imum usque pertraheretur; & iterum revocatus ad summum, interrogatus denuo, cum eadem respondisset, eadem pateretur: ac sic frequentem interrogationem, frequenter hujusmodi supplicium fuerit subsecutum.*

Maxim. serm. 53. in append. cap. 5. Leonis. edit. Venetæ.

Eusebii Vercellensis peregrinationes in Orientem, gesta, & reditus in Italiam *Socrat. lib. 3. 5. 6. 7.*

6. Interea Juliani Imp. edicto, in libertatem eductus Eusebius cum Lucifero Calaritano episcopo consilium inter se inierunt, ait Socrates, *quonam modo ecclesiasticis legibus subvenirent, nec eas violari impune paterentur.* Placuit itaque, ut Lu-

Lucifer Antiochiam proficifceretur, Eufebius vero Alexandriam, ut communicatis cum Athanafio confiliis, ftatueretur qua ratione in Ecclefiam recipiendi effent ii, ac ad communionem admittendi, qui Ariminenfi concilio fubfcripferant, quocumque modo Ariana labe infecti erant. Alexandriam itaque profectus Eufebius, confeftim una cum Athanafio fynodum convocavit, qua eos recipiendos effe firmatum eft: *Poft Synodum vero Alexandria digreffus Antiochiam perrexit*, fubdit Socrates, *cumque illic Paulinum quidem a Lucifero ordinatum, plebem vero inter fe diffidentem reperiiffet, (nam Meletii fautores feparatim conventus agebant) commotus, eo quod ordinationi illi non omnes confentirent; apud fe quidem factum damnavit, fed ob reverentiam Luciferi, rem diffimulans abfceffit*, cum fruftra ejufdem Ecclefiæ Catholicos inter fe reconciliare tentaffet. Inde difcedens Eufebius Orientis provincias peragrans, eos, qui in fide infirmi erant, ad integram valetudinem reftituit, ecclefiaftica doctrina eos inftituens, atque erudiens, ac tandem in Italiam rediit. An autem hoc, vel fequenti anno in Italiam redierit Eufebius, non conftat; id certum eft, ejufdem reditum Italiæ Ecclefiis multum profuiffe. *Tunc ad reditum Eufebii*, ait Hieronymus, *lugubres veftes Italia mutavit; concurrebant Epifcopi qui Ariminenfibus dolis irretiti fine confcientia hæretici ferebantur, conteftantes corpus Domini, & quidquid in Ecclefia fanctum eft, fe nihil mali in fua fide fufpicatos*; quos propterea Ecclefiæ Eufebius reconciliabat, contra Luciferianorum opinionem, quam ibidem Hieronymus confutat, ut mox videbimus.

cap. 9.

Hieronym. adverf. Lucif.

7. Dum medendis Orientalis Ecclefiæ vulneribus Eufebius vacaret, Lucifer imprudentia fua, aut immoderato zelo Antiochenæ ecclefiæ diffidia auxit, ac fchifma firmavit, quod per annos quinquaginta, & amplius eam turbavit Ecclefiam, ideft ufque ad annum 415, quo temporis intervallo Occidens ab Oriente fere divifus perfeveravit cum primi Paulino, Orientales vero Meletio communicarent. A Meletianis infuper diffidebant Eufthatiani, qui Paulino presbytero duce, poft Euftathii exilium ab Arianorum communione recefferant. Componendis itaque Antiochenæ ecclefiæ diffidiis, pacandifque animis, aut Euftathiani Meletianis reconciliandi erant; aut amoto Meletio, alius ordinandus erat Epifcopus, qui in unum Euftathianos, & Meletianos foclaret, atque ita fub unico pafto-

Lucifer Paulinum Antiochiæ Epifcopum ordinat.

JESU CHR. AN. 362. re, unum ovile fieret; cumque id frustra tentasset Lucifer, Paulinum ex Eustathianorum parte Episcopum ordinavit: *Lucifer Antiochiam profectus perturbatam ejus loci Ecclesiam invenit*, ait Socrates; *nam populus inter se dissidebat: Non enim solum Ariana hæresis, quæ ab Euzojo fuerat inducta dirimebat Ecclesiam; sed & ii, qui Meletium sectati fuerant, ob studium, atque amorem erga præceptorem suum sejunxerant se ab iis, qui in fide idem cum ipsis sentiebant. Lucifer ergo cum Paulinum illis Episcopum ordinasset, inde discessit.*

Theodor. lib. 3. 5. Ruffin. lib. 2. 3. Socrat. lib. 3. 6. Socrat. lib. 3. 9.

Lucifer ab Eusebio, & Alex. Synodo. dissidet. Socrat. Ruffin. ut supra.

8. Eusebius vero, ut diximus, *neutri Partium*, ut ait Ruffinus, *communionem suam relaxans*, inde discessit. Lucifer vero ordinationem suam ab Eusebio probatam non fuisse intelligens, id moleste tulit; ac ab Eusebii communione sese disjunxit, & ea, quæ a Synodo decreta fuerant, studio contentionis adductus, cœpit reprehendere, ac catholicam retinens fidem, *in Sardiniam ad propriam Sedem recessit*, ait Socrates, eademque Ruffinus; qui adnotat Luciferianum schisma inde conflatum fuisse, quod Luciferi exemplo in hæresim lapsi, nequaquam recipiebantur, ut infra videbimus.

Luciferi scripta, & gesta.

9. De Luciferi gestis adnotare juvabit, eum a Constantio Imperatore pro catholica Fide anno 355. certantem, in exilium ejectum fuisse, ac Arianorum sævitia sæpius exilii locum mutasse, quorum ultimus in Thebaide fuit; unde Marcellinus, & Faustinus in libello Valentiniano oblato: *Post aliquot annos*, inquiunt, *Beatus Lucifer, de quarto exilio Romam pergens &c.* in exilio autem detentus catholicam fidem scriptis vindicare non destitit, atque adversus Constantium stylum acuens, tanta dicendi libertate usus est, ut reverentiam Principi debitam violasse videatur; quodque mirabilius est, librum Bonoso cuidam perferendum, tradidit; unde Imperator Florentio Officiorum magistro jussit, ut de his se certiorem redderet. Florentius vero ad eum has litteras dedit:

Biblioth. PP. tom. 4.

Domino benignissimo Lucifero Florentius.

Florentii ep. ad Luciferum & Luciferi ad Florentium.

Nomine tuo Codicem quidam Domino, & Augusto nostro obtulit. Hunc ad Sanctitatem tuam perferri mandavit, & cognoscere desiderat, si idem codex a te destinatus sit. Id ergo, quod in fide veri est, perscribere debebis, & Codicem remittere,

re, ut possit Æternitati ejus denuo offerri. Lucifer vero Florentii litteris rescribens, se libri auctorem fuisse, Codicemque misisse testatus est. Quid autem his acceptis a Florentio epistolis in Luciferum Constantius statuerit, haud scimus; liquet tamen de immoderata Luciferi dicendi libertate conquestum fuisse, unde in altero Libro, quem in eumdem Constantium scripsit, *de non parcendo in Deum delinquentibus*, adnotat: *Superatum te, Imperator, a Dei servis ex omni cum conspexisses parte, dixisti passum te, ac pati contra monita Scripturarum contumeliam. Dicis nos insolentes extitisse circa te, quem honorari decuerit. Si quisquam Dei cultorum pepercit Apostatis, sint vera quæ dicis de nobis &c.*, quo libro gravioribus eumdem Imperatorem exagitat invectivis. Eadem styli acerbitate aspersi sunt ceteri ejusdem libri, quos aut in exilio edidit, aut postquam in Sardiniam rediit; cujusmodi sunt liber, cujus titulus *de Regibus Apostaticis*. *De non conveniendo cum hæreticis*. *Quod moriendum sit pro Filio Dei*; in quibus & fidem Catholicam tuetur, & Constantium acerbissimis vexat conviciis, quæ longum esset exscribere. In libro cui titulum præfixit, quod moriendum sit pro Filio Dei, inter cetera Constantio in memoriam revocat, eique exprobrat immania scelera, quæ Alexandriæ ejus jussu perpetrata fuerant, quantos scilicet una subscriptione per abrupta dejiciendos jusserit, quantos gladio demetiri fecerit, quantos fame, sitique, vel carceribus necari, quantos intercepto effecerit spiritu strangulari &c. Hæc aliaque ibidem Lucifer; quæ cum Athanasius in eremo latitans percepisset, ad eum per Eutychetem diaconum epistolas dedit, quibus ejusdem animi constantiam impense laudat, ac Confessoris titulo exornat:

10. *Domino dilectissimo Fratri Lucifero Episcopo, & Confessori Athanasius in Domino salutem. Deo favente, corpore valentes, misimus etiam nunc carissimum nostrum Eutychetem Diaconum, ut tua quoque religiosa sanctitas, quod est nobis optandum & desiderabile, de tua incolumitate, tuorumque omnium, certiores nos efficere dignetur. Vobis namque confessoribus, ac servis Dei viventibus, credimus statum Ecclesiæ Catholicæ renovari: & quod hæretici conscindere tentaverunt, hoc Dominum nostrum Jesum Christum per vos ad integrum restituere &c.* post aliqua: *Pervenit ad nos scripsisse Sanctitatem tuam Augusto Constantio, & magis magisque miramur, quia in*

Jesu Chr. An. 362.

Biblioth. PP. ut sup.

Athanasii epist. ad Luciferu. *Ath. tom. 1. par. 2. pag. 965.*

JESU CHR. AN. 362.

in medio tamquam scorpionum habitans, animi tamen libertate uteris, ut vel monendo, vel docendo, vel emendando, errantem ad lumen veritatis adducas. Rogo igitur, rogant mecum etiam omnes Confessores, ut digneris nobis exemplum destinare, ut non tantum auditu, sed etiam ex litteris perspicere possint omnes animæ tuæ virtutem, fideique fiduciam, & libertatem. His acceptis Lucifer ad Athanasium libros contra Constantium editos misit, quos cum Athanasius legisset, alteras ad eum litteras dedit, quibus eum de sævissima Arianorum persecutione tunc vigente certiorem reddidit, deinde de acceptis a Lucifero libris, & epistolis: *Accepimus epistolas, & libros religiosissimæ, ac sapientissimæ animæ tuæ, in quibus perspeximus imaginem Apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, martyrii gloriam, triumphos adversus hæresim Arianam, traditionem integram Patrum nostrorum, regulam rectam Ecclesiastici ordinis. O vere Lucifer, qui juxta nomen, lumen veritatis ferens, posuisti super candelabrum, ut luceat omnibus &c.* Orationibus tandem ejus sese commendat, aliaque in Luciferi laudem, & in Arianorum detestationem addit, quæ brevitatis studio prætterimus.

Lucifer in Occidentem redit.

11. Nunc cetera, quæ Luciferum spectant, prosequimur, adnotantes, eum eousque iniquo animo tulisse Paulini ordinationem ab Eusebio Vercellensi nullatenus approbatam fuisse, atque Alexandrinam synodum lapsos Episcopos non solum ad pœnitentiam recepisse, sed & suis sedibus reddidisse, cum ipse Episcopos lapsos vix ad laicam communionem admittendos esse censeret, ut ea de causa ab eorum communione recesserit, atque in Sardiniam rediens, cum Neapolim pertransisset, Zozimi Neapolitani Episcopi ab Arianis ordinati in locum Maximi, communionem aversatus est: *Post aliquot annos*, inquiunt Marcellinus, & Faustinus in suo Libello Imperatoribus oblato: *Post aliquot annos B. Lucifer de quarto exilio Romam pergens, ingressus est Neapolim Campaniæ, ad quem Zozimus venire tentavit, illa forte fiducia, qua scilicet jam de impietate correxisse videbatur; sed hunc confessor Lucifer recipere noluit, non ignorans, quæ gesserat, imo & sancti Episcopi, & Martyris sententiam robustius exequitur, dicens, quod Episcopatum ipsum, quem sibi, ut adulter vindicat, speciali Dei judicio non habebit, & sic quoque sentiet pœnam suæ impietatis.*

B... PP. Tom. 5.

Si

Si actis S. Maximi fides habenda est, Zozimus linguæ usum in Ecclesia perdidit, quem Ecclesia egressus recuperavit.

Luciferiani Schismatis origo.

12. Ex hac Luciferi severitate, qua Ariana labe infectos ab ordinibus removendos esse censebat, Luciferianum schisma exortum est, vel ipso Lucifero auctore, vel exemplo, quorum capitale crimen erat, quod ea de causa totius Ecclesiæ communionem adversarentur, unitatisque vincula frangerent: *Regressus ad Sardiniæ partes Lucifer, sive quia cito morte præventus, tempus sententiæ mutandæ non habuit, sive hoc animo immobiliter insederat, parum firmaverim. Ex ipso interim Luciferianorum schisma, quod licet per paucos adhuc volvitur, sumpsit exordium*, ait Ruffinus. Qua de causa vero schisma fecerit narrat Severus: *Ceterum Lucifer*, inquit, *tum Antiochiæ agens longe diversæ sententiæ fuit, ab ea quam Alexandrina synodus amplexa fuerat, nam non tantum eos, qui Arimini fuerunt, condemnavit, sed etiam se ab eorum communione separarat, qui eos sub satisfactione, & pœnitentia recepissent*; quod unicum erat Luciferianorum crimen, nam in reliquis cum catholica Ecclesia consentiebant. Hinc Ambrosius: *Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat, & quamquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen* (*Satyrus frater scilicet*) *fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari &c.* Hieronymus vero: *Ventum est*, inquit, *ad asperrimum locum, in quo adversus voluntatem, & propositum meum cogor de beato Lucifero, secus quidquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poscit existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad loquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ovibus, reliquum gregem deseruit: bonus quidem ipse Pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Praetereo illa, quæ quidam ex maledicis quasi satis firma defendunt: hoc illum amore gloriæ, & nominis in posteros transmittendi fecisse, necnon & pro simultate, quam adversus Eusebium propter Antiochenam dissensionem susceperat; nihil istorum de tali viro credo. Unum est, quod etiam in præsenti constanter loquar; verbis eum a vobis dissentire, non rebus; si quidem eos recipiat, qui ab Arianis baptisma consecuti sunt*. Hactenus Hieronymus, cui consonat

Rufin. lib. 1. 30.

Sever. Sulp. lib. 2.

Ambros. orat. funebr. in Satyr. fratrem.

Hier. advers. Lucif. cap. 7.

in ... ban.

Jesu Chr. An. 362. sonat Augustinus, qui in libro de agone Christiano Luciferianorum crimen in eo tantum collocat, quod ab Ecclesiæ unitate recesserint: *Nec eos audiamus*, inquit, *qui quamvis neminem rebaptizent, præcidere se tamen ab unitate, & Luciferiani magis dici, quam Catholici maluerunt*. Quos ideo schismaticos tantum fuisse constat, eamque ob rem ab Epiphanio, & Philastrio in Hæreticorum catalogo prætermissi sunt. Alibi tamen Augustinus, se legisse testatur, Luciferianos docuisse, animas ex traduce, eamque ex carnis substantia genitas; quæ num vera essent ipse Augustinus dubitabat, atque ex incerto rumore vulgata fuisse, indicat.

August. de Agone Christian. cap. 30.

August. de Hæres. cap. 81.

An Lucifer in schismate obierit, res incerta.

13. Utrum Lucifer schismatis auctor fuerit, ac in eo ultimum diem clauserit, vel Luciferiani ad conciliandam sibi auctoritatem schismatis eum auctorem fecerint, ut in Nicolaitarum hæresi contigisse sæculo primo adnotavimus, incertum est. Eum sane viri doctrina & eruditione clarissimi a schismatis crimine vindicare non dubitarunt, eorumque sententiæ Socrates, & Sozomenus favere videntur, dum schismatis quidem auctores, eos fuisse testantur qui ab Alexandrina synodo exasperati recesserant; Luciferum vero *ecclesiasticam retinentem fidem in Sardiniam ad propriam sedem recessisse. Hi vero, qui una cum ipso primum fuerant exulcerati, hactenus ab Ecclesia segregati remanent*. Schisma ergo non Lucifero, sed aliis, qui eadem cum ipso sentiebant, adscribendum indicant. His adde Luciferi memoriam in Calaritana Ecclesia tanto in honore semper fuisse, ut die vigesima Maii, ejusdem festum maxima cum solemnitate hactenus celebretur. Quæ sane in aperti schismatis auctore tolerari vix possent, atque inter Sanctos eum numerare non dubitant Papebrochius, Baylet, Ruinartius, aliique. De cultu Luciferi in Calaritana Ecclesia hactenus exhibito, vide opus de Servorum Dei Beatificatione, & Canonizatione Benedicti XIV., æternæ memoriæ Pontificis, aut Antonii Matthei dissertationem præviam ad librum, cui titulus *Sardinia Sacra*, Romæ anno 1758. editam. Nonetenim Luciferi apologiam a Calaritanis sæpe vulgatam edere hoc loco animus, aut otium est.

Card. Orsi tom. 6. p. 493.
Socrat. lib. 3. 9.
Sozom. lib. 5. 13.

De Hilarii Diaconi gestis, & schismate.

14. Gregorium Hispaniarum Episcopum, & Philonem Lybiæ, socios in Schismate habuisse Luciferum tradit Hieronymus in Chronico: *Lucifer cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Lybiæ nunquam se Arianæ miscuit pravitati*, quorum

rum

rum quæ fuerint gesta, quisve in schismate progressus, aut vitæ exitus prorsus ignoramus. Certiora sunt, quæ de Hilario Romanæ Ecclesiæ diacono, & Luciferiani schismatis propugnatore, & propagatore a Hieronymo narrantur, cum scilicet eo temeritatis devenisse, ut ab Arianis baptizatos rebaptizaret: *Orbis Deucalion* ab Hieronymo ea de causa dictus, quasi baptismate suo Mundum, Arianorum baptismate pollutum, expurgare vellet. Communem cum Lucifero Hilarius patriam habuit, idest Sardiniam insulam: *In ea Ecclesia baptizatus est*, inquit Hieronymus, *quæ semper ab Hæreticis baptismum recepit*, idest in Romana Ecclesia, ac a Liberio diaconus ordinatus fuerat. Ad Constantium deinde una cum Lucifero, & Pancratio Romanæ Ecclesiæ præsbytero anno 354. missus, *ad exorandam mansuetudinem tuam*, ajebat Liberius, *ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem, & coepiscopum meum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario diacono placuit proficisci*. Hilarii diaconi, Pancratii, & Luciferi legatorum meminit & in altera epistola ad Eusebium Vercellensem data, unde errasse constat Athanasium, & cum eo Caveum, dum cum Hilario Eutropium presbyterum missum fuisse scribit. Anno deinde 355. cum aliis Liberii Legatis Mediolanensi synodo adfuit Hilarius, ubi pro catholica Fide multa pertulit, & ut ait Athanasius: *Terga detractis vestibus flagellis conciderunt* Ariani; *flagellatumque extorrem fecerunt, inter verbera ita Diacono verbis insultantes: Quare Liberio non restitisti, sed ejus litteras attulisti? Auctores hujus facinoris Ursacius, & Valens cum Eunuchis, qui ibi quoque aderant. Diaconus vero inter crepitus ictusque flagellorum Domino benedicebat, non immemor istorum verborum Domini: Dorsum meum dedi ad flagella, flagellatores autem risu dicteriisque virum subsannabant*. In Thebaide cum Lucifero exulavit Hilarius, post Constantii vero obitum ad sua rediens, non solum cum Lucifero eorum communionem aversatus est, qui Ariana communione, aut hæresi aliquando participes fuerant, sed Hæreticorum baptisma respuebat, atque suæ sectæ participes, novo baptismate abluebat, seu potius sordidabat.

Hieronym. ad. vers. Lucif.

Liberii epist. ad Constantium. Coutan. pag. 427.

Athan. epist. ad Monachos

An Hilarius in schismate obierit.

15. Eum in schismate usque ad obitum perseverasse, Natalis Alexander, & Pagius negant, atque tandem cum catholica Ecclesia reconciliatum extremum diem obiisse contendunt, quod ex commentariis in epistolas divi Pauli, Ambrosio

Natal. Alex. sec. 4. cap. 6. art. 14. Pag. an. 362. not. 25.

JESU CHR. AN. 362.

Ambros. tom. 4. Append. Edit. Maur. Venetæ.

August. tom. 3. app. in epist. ad Corinth. 1. cap. 1. in epist. ad Timoth. 1. cap. 2. ... contr. epist. Pelag. lib. 4. cap. 4. ad Bonif.

brosio olim inscriptis, & ex libris quæstionum veteris, ac novi Testamenti Augustino olim tributis, quos Hilario diacono inscribendos esse ajunt, probare satagunt; in quibus plura leguntur, quæ schismatico Luciferiano convenire non possunt, ut sunt ea, quæ in Commentario in epistolas divi Pauli habentur contra rebaptizantium errorem, vel quæ de Damaso Romano Pontifice idem Auctor scribit: *Cum totus Mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie rector est Damasus*, quæ sane Luciferianorum sectæ auctori convenire non possunt, quos Ursicino Antipapæ favisse constat ex Faustini, & Marcellini libello ad Valentinianum. Ea autem commentaria Hilario Sardo esse adscribenda Augustinus indicat, dum contra Pelagianos: *Sic Sanctus Hilarius hæc intellexit, quod scriptum est, in quo omnes peccaverunt. Ipse enim* (idest Adam) *per peccatum corruptus est, & omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens Hilarius &c.*, quæ totidem verbis leguntur in commentario epistolæ ad Romanos *cap. 5.* Is autem alius non est, nisi Hilarius diaconus Romanæ Ecclesiæ, qui Damasi temporibus floruit, nam Arelatensis posterior fuit. Pictaviensis vero Hilarius, & si Damaso, & Hilario Sardo coevus fuerit, auctor tamen commentarii in Paulinas epistolas dici non potest ob styli diversitatem: itaque etsi Hilarius diaconus Romanæ Ecclesiæ aliquando Luciferiano schismati faverit, ab eo tandem recessisse ejusdem opera testantur. Utinam quæ pro Hilarii defensione ab eruditis viris proferuntur, certa essent, ac liquido constaret eum auctorem fuisse commentariorum in Paulinas epistolas, & quæstionum in vetus, ac novum Testamentum, inde facile quoque constaret, eum Luciferianum schisma abjecisse, atque cum catholica Ecclesia, & Damaso Rom. Pontifice reconciliatum fuisse! At cum hæc incerta sint, incertusque adhuc sit auctor commentarii in epistolas Pauli, & quæstionum in vetus, & novum Testamentum, tota quoque Hilarii diaconi apologia corruit; nec obstat Augustinum sub sancti Hilarii nomine quædam referre, quæ totidem verbis in commentario epistolæ ad Rom. leguntur, cum ea vel ex aliquo Hilarii Pictaviensis commentario exscribere potuerit, vel ex alio Hilario nobis ignoto, vel etiam in libri alicujus inscriptione deceptus, Hilario tribuerit quæ alterius scriptoris erant. Ut vero Hilarium diaconum Luciferiano schismate addictum obiisse dicamus, nos movet Hieronymi aucto-

Edit. Maurin. in Ambros. tom. 4. append. in Aug. tom. 3. app.

Dupin. biblioth. secul. 4. pag. 862.

Hieronymus Dial. contra Lucifer. cap. 8

ri-

ritas, qui post ejusdem obitum contra Luciferianos scribens, eumdem non solum dum viveret ei favisse tradit, sed & in eodem schismate ad finem usque perseverasse, non obscure indicat, dum ait: *Cum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta*.

JESU CHR. AN. 362.

16. Antiochiam cum Lucifero digressi, eo nunc revertimur, quo post Paulini ordinationem rediit etiam Meletius, a suis ambabus ulnis exceptus: *Regressus de exilio*, inquit Ruffinus, *quia cum eo numerosior populus erat, ecclesias tenuit, & ex eo jam propriam synodum cum ceteris Orientalibus habuit, nec tamen Athanasio junctus est*, nam Athanasius cum Paulino una cum Occidentalibus communicabat, quia tamen Euzojus Arianorum antistes ecclesias obtinebat: *Meletius ab exilio reversus, extra portas urbis plebem colligebat*, inquit Socrates, atque in loco, qui Palea dicebatur, divina mysteria celebrabat, ut ait Theodoretus.

Meletius Antiochiam rediit. *Ruffinus lib. 2. 30.*

Socrat. lib. 3. 9. *Theodo t. lib. 3. 4.*

17. Antequam Alexandriam hoc anno rediret Athanasius, Artemius Ægypti Præses Juliani Imp. jussu martyrium subiit. Hunc quidem Ammianus Ethnicus scriptor, graviorum criminum reum Juliani sententia extremo supplicio affectum fuisse, tradit: *Tunc & Artemius ex Duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali multatus est*. At quæ fuerint Artemii crimina, Theodoretus his verbis narrat: *Artemium quoque qui Dux militum fuerat per Ægyptum, eo quod temporibus Constantii, cum Magistratum illuc gereret, plurima Deorum simulacra confregerat, non solum bonis exuit, verum capite truncavit*; eaque de causa inter Martyres die 20. Octobris Martyrologio Romano recensetur. Acta autem Metaphrastico stylo digesta præterimus.

Arthemii Ducis martyrium.

Ammian. Marcell. lib. 22. cap. 11.

Theodor. lib. 3. 18.

18. *Cum autem*, subdit Ammianus, *a morte Artemii tempus intercessisset exiguum, Alexandrini iram in Georgium verterunt episcopum, vipereis, ut ita dicam, ab eo morsibus sæpe appetiti*. Cum etenim Georgius multitudine stipatus ante templum Genii pertransisset: *Quamdiu*, inquit, *sepulchrum hoc stabit?* Alexandrina vero plebs, hoc audito, metuens ne illud quoque tentaret evertere, insidias in eum struere non cessabat. Ut vulgatum est, Artemium Ducem extinctum fuisse, plebs insperato elata gaudio, horrendis vocibus infrendens, Georgium petiit, raptumque variis injuriis suppliciisque affectum interemit; eodemque furoris impetu Dracontius Monetæ præpositus, & Diodorus Co-

Georgii Alexandrini Episcopi interitus.

Jesu Chr. An. 362. Comes, injectis per crura funibus, ac per urbem tracti, laceratique, simul exanimati sunt. Ille quod aram in Monetæ officina locatam evertisset; alter, quod ædificandæ præesset ecclesiæ. Dilaniata deinde peremptorum cadavera camelis imposita ad maris littus detulit, ibique cremavit, cineres vero in mare projecit, metuens, ne collectis cineribus eos Christiani, tanquam Martyres venerarentur.

Christianorum clades Alex. gesta. *Socrat. lib.* 3. 2. *Nazianz.* orat. in laudem Athanasii. *Epiph. hær.* 76. *Socrat. lib.* 3. 2.

19. Miserabilem Georgii interitum narrant Socrates, Epiphanius, Nazianzenus aliique plures, addentes eum *ab ecclesia abstractum, & ad camelum alligatum, tractumque ac dilaniatum, simul cum camelo incenderunt*. Una cum Georgio Christianorum nonnullos a furentibus gentilibus occisos fuisse, ex Ammiano audivimus, Socrates etiam in Christianos ab Ethnicis tunc sævitum fuisse aduotat, cum Mithræ templum Georgii jussu expurgaretur; ejusque prophana mysteria ludibrio exposita essent. *Cum Pagani qui Alexandriæ erant id cernerent, opprobrium non ferentes, ira exarserunt: & quodcumque obvium erat, vice teli arrepto, contra Christianos impetum fecere, multosque eorum vario mortis genere extinxere*, gladiis scilicet, fustibus, lapidibus. Nonnullos funibus strangularunt, quosdam etiam cruci affixerunt, ut eo supplicio sanctæ Cruci contumeliam facerent. Atque, ut in ejusmodi tumultibus fieri solet, ne proximis quidem pepercerunt. Sed amicus in amicum, frater in fratrem, parentes in filios mutuam in cædem ruebant.

Cur Georgius inter martyres non recenseatur. *Epiph. hær.* 76.

20. Cur vero Martyribus non accenseatur Georgius, etsi ab Ethnicis crudelissime necatus, hanc rationem reddit Epiphanius: *Dixerit autem fortasse aliquis de eo, qui sic mortuus est, igitur Martyr factus est, qui a Græcis*, ideſt ethnicis, *hæc passus est. Et si quidem pro veritate fuisset ipsi hoc certamen, & hæc accidissent ei a Græcis propter invidiam, & ob confessionem in Christum, revera inter Martyres, eosque non parvos locatus esset. Non erat autem causa propter confessionem in Christum, sed propter multam violentiam, quam in suo appellato Episcopatu in civitatem, & populum exercuerat, aliquando hæreditates hominibus a parentibus relictas diripiens*. Quem etiam auri fodinas, ac papyri, & calami paludes, & stagna salis barbarico more occupasse narrat, aliaque lucri causa turpiter ab eo inventa, ut nequidem cadavera ad sepulturam sine pretio deferri permitteret. *Propter hæc igitur omnia, Ale-*

Alexandrini in eum ira perciti, & maxime Græci, hac ipsum morte multarunt, ait Epiphanius. At etsi pro Christi nomine, Georgius occisus fuisset, Martyr tamen esse non poterat, ut ad Donatum scribebat Augustinus: *Extra Ecclesiam constitutus, & separatus a compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus combribereris*; quæ merito Georgio aptari possunt, utpote Arianorum patrono, alienæque Sedis invasori.

August. epist. 123.

Ariani Georgium uti martyrem venerantur.

21. Ariani tamen Georgium tanquam Martyrem venerati sunt, cujus etiam acta vulgarunt, in quibus inter cetera cum Athanasio Mago eum certasse narrabant. Athanasium quippe Magum fuisse Ariani vulgarunt, ut acta conciliabuli Tyriensis testantur, hinc Marcellinus, licet Ethnicus, de Athanasio: *Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæve augurales portenderent alites scientissime callens, aliquoties prædixisse futura*. Hisque ea spectant, quæ Sozomenus narrat, dum crocitante quadam die cornice, Ethnici Athanasio illudentes quid cornix prædiceret, interrogarunt, quibus Athanasius: *Cras*, inquit; *atque istud vociferans crastinum diem, nequaquam jucundum vobis fore*, *denunciat*. Prædictionem autem eventus comprobavit, die etenim crastina Imperatoris edicto prohibitum fuit Ethnicis templa ingredi. Eruditionis quidem non omnino expertem fuisse Georgium, ex Juliani epistola ad Ædicium Ægypti Præfectum constat, qua ejusdem libros, ut ad se mittat, jubet: *Hoc mihi privatum beneficium dabis, ut Georgii scripta omnia reperienda cures. Multa erant apud illum philosophica, multa rethorica, multa de Galileorum doctrina, quæ velim penitus extincta esse, sed ne cum his illa quoque pereunt, omnia diligenter exquiri volo*. Hæc Julianus, qui in epistola ad Alexandrinos ob necem Georgio illatam, eos graviter, vehementerque redarguit, ut ibidem videre est.

Baron. præf. in martyr. Rom. cap. 10.
Amm. Marcel lib. 15. 7.
Sozom. lib. 4. 10.
Julian. epist. 30.
Socrat. lib. 3. 3.

Athanasius Alexandriam rediit.

22. Post Georgii interitum, Athanasius e latebris exiens Alexandriam rediit, magna populi frequentia, multaque lætitia exceptus, de cujus reditu Hieronymus: *Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur*, idest Constantius, *tranquillitas redit*, *manifestius dicam*, *omnes Episcopi*, *qui de propriis sedibus fuerant exterminati*, *per indulgentiam novi Principis ad ecclesias redeunt*. *Tunc triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit*. *&c.* De gestis ab Athanasio post reditum, adnotat Nazianzenus, tanta lenitate, ac modestia cum iis

Hieronym. adverf. Lucif.
Nazianz. orat 21.

JESU CHR. AN. 362. iis egisse, a quibus læsus fuerat, ut nemini reditus ejus molestus fuerit, Nicænam fidem, ac Trinitatis mysterium per totam Ægyptum exortationibus, prædicare sollicitus.

De Synodo Alexandrina. 23. Synodum ea de causa Alexandriæ celebravit, cui Eusebius Vercellensis adfuit. Luciferus vero ab Eusebio rogatus, ut secum Alexandriam pergeret, Antiochiam ire maluit, duos tamen diaconos *Herennium*, *&* *Agapetum* Alexandriam misit. Paulinus etiam Antiochiæ tunc Presbyter, postea Episcopus *Maximum*, *&* *Calmerum* illuc destinavit, quo Episcopi quindecim ex Ægypto, quorum nomina in synodica epistola leguntur, convenerunt una cum Monachis aliquot ab Apollinari Sardicæ Episcopo destinati. Ex synodica autem epistola, de componendis Antiochenæ Ecclesiæ dissidiis actum fuisse scimus: & sane tunc facili negotio componi potuissent, nisi præpostera Paulini ordinatio a Lucifero peracta impedimento fuisset.

Athan. tom. 1. par. 2. pag. 770. Harduin. to. 1. pag. 730.

Decreta Synodi Alex. *Ruff. lib. 1. 28.* 24. *Confessorum itaque concilio congregato, pauci numero*, inquit Ruffinus, *sed fidei integritate, & meritis multi*, actum imprimis est, qua ratione, post hæreticorum procellas, & perfidiæ turbines tranquillitas & pax in ecclesiis revocari posset; & alii quidem fidei calore ferventiores nullum ultra in Sacerdotium recipiendum esse censebant ex iis, qui se utcumque cum hæreticis communionis contagione maculassent, contraria tamen sententia prævaluit, quæ & synodi auctoritate firmata est, ut scilicet: *Tantæ perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis sacerdotibus daretur optio, si forte vellent abjurato errore perfidiæ ad fidem Patrum statutaque converti, nec negare aditum redeuntibus*. Hujusce decreti meminit Hieronymus, ac totum Occidentem, ejusdem sententiæ subscripsisse adnotat, ac addit: *Per tam necessarium concilium e Satanæ faucibus ereptus est Mundus*. Moderatioris sententiæ æquitatem vindicat Athanasius in epistola ad Ruffinianum, qua etiam impietatis auctores, si quidem resipiscerent, ad pœnitentiam admitti posse censet, nullum tamen iis in clero locum relinqui; qui autem per vim vel fraudem, aut ignorantiam impietati subscripserant, in clerum etiam recipiendos esse statuit: *Quoniam interrogasti de iis, qui vi quidem subducti lapsi sunt, nec tamen prava fide corrupti, & voluisti me rescribere, quæ de illis cum in synodis, tum ubique alias decreta sunt, scito Domine mi optatissime, in principio quidem cum vis illa desiisset,*

Hier. adversf. Lucif.

Athanasii epist. ad Ruffin. tom. 1. par. 2. pag. 963.

fuisset, post Constantii obitum, *coactam synodum fuisse, praesentibus exterarum partium Episcopis* (Alex. synodum designat), *celebratam item aliam fuisse apud Graeciae comministros, nihiloque secius apud illos, qui in Hispania, & in Gallia degunt, atque id ipsum hic, & ubique placuisse, nimirum ut iis, qui lapsi sunt, si impietatis fuerint praefecti, venia concedatur, si quidem resipiscant, nec detur tamen in Clero locus: iis vero qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate, ac violentia tracti fuere, decretum est, ut & venia concedatur, & in Clero detur locus*, cum in eam simulationem, ob temporis acerbitatem, magis quam voluntate illi se consensisse testarentur, quibus ideo venia facile tribuenda erat, ut eodem loco pluribus persequitur Athanasius. Eidemque sententiae Basilius subscripsit, dum eos qui in Valentis persecutione lapsi fuerant, in communionem, Athanasii auctoritate & exemplo motus, recepit.

JESU CHR. AN. 362.

Basil. ep. 204.

25. Eadem Alex. synodus nonnulla, quae catholicam fidem spectabant, declaravit. Inter cetera: *Sancti quidem Spiritus divinitatem illic asseruerunt*, ait Socrates, *eum in consubstantiali Trinitate comprehendentes, Christum vero hominem factum, non carnem modo, sed animam etiam humanam assumpsisse pronunciarunt, quae quidem sententia olim fuerat ecclesiasticorum virorum*. De Substantiae etiam, ac Hypostasis voce quaestio agitata est; an scilicet una vel tres substantiae in Trinitate dicendae essent, vel una, vel tres hypostases, quam de verbis magis, quam de re ipsa quaestionem fuisse subdit Socrates. Hanc de hypostasis & substantiae voce quaestionem Osius Cordubensis Episcopus, ab Imperatore Constantino Alexandriam missus ut excitatum ab Ario tumultum extingueret, primus agitaverat; Nicaena autem synodus, paulo post congregata omnino praeterierat. Quoniam vero nonnulli ea de voce contendere caeperunt, idcirco Alex. synodus substantiae & hypostasis voces usurpandas non esse censuit, nisi cum Sabellii opinio refutaretur, tunc etenim ne verborum obscuritate, aut inopia una tantum in Trinitate persona putaretur, sub diversa Patris, & Filii, & Spiritus Sancti appellatione, tres hypostases dicendas esse cautum fuerat, ut tres personae, in propria hypostasi subsistere indicarentur.

Alex. synodi decreta de fide.

Socrat. li. 3. 7.

26. De harum vocum origine & usu haec etiam adnotat Socrates, eos, qui graecam inter graecos Philosophiam tradiderunt,

De vocis substantiae, & hypostasis origine, & usu.

Socrat. li. 3. 7.

Jesu Chr. An. 362. runt, substantiam quidem pluribus modis definiisse, hypostaseos vero nullam prorsus mentionem fecisse. Irenæus quidem Grammaticus in Lexico per ordinem litterarum digesto, quod Atticistes inscribitur, hanc vocem barbaram esse affirmat. Neque enim apud quemquam veterum Scriptorum eam reperiri, at sicubi fortasse reperiatur, non eo sensu, quo nunc sumitur, usurpari. Etenim apud Sophoclem in Tragædia Phœnice ea vox insidias significat; apud Menandrum vero condimenta, perinde ac si quis fœcem vini in dolio subsidentem appellet. Nihilominus etsi antiquiorum nemo eam vocem usurpaverit, recentiores tamen frequenter hypostasis voce pro substantia usi sunt. Substantiam porro variis modis definierunt.

Basil. epist. 38. Basilius etiam de hypostasis, & substantiæ nomine & usu, & differentia pluribus disputat, quæve inter usiam, & hypostasim differentia sit, exponit, atque usiam communem quodammodo naturam significare contendit, hypostasim vero naturæ proprietates, ita ut, exempli gratia, inter Petrum, & Paulum communis sit usia, seu natura, hypostasis vero alia sit Petri, alia Pauli, cum diversa sit Petri, & Pauli persona, ut pluribus ibidem persequitur, ac alibi passim ab Occidentalibus has voces confundi, atque indiscriminatim pro natura, & subsistentia usurpari, ex latinæ linguæ angustia, & ignoratione Græcæ tradit, verborum tamen eam fuisse quæstionem, exitus declaravit, nam etsi teste Ruffino: *Quidam dicerent substantiam, & subsistentiam unum videri, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debemus. Alii vero, quibus longe aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, quia substantia ipsa rei alicujus naturam, rationemque, qua constat, designat; subsistentia vero uniuscujusque personæ hoc ipsum, quod extat, & subsistit, ostendat.*

Epist. 224. 125.

Ruff. li. 1. 29.

27. Etsi liberum cuique reliquerit Alexandrina synodus, unam, vel tres hypostases in Trinitate dicere pro diversa ejusdem verbi interpretatione, nihilominus paucis ab hinc annis, an una, vel tres in Trinitate hypostases dicendæ essent, graviter, vehementerque inter Catholicos disputatum est, unde Hieronymus ad Damasum scribens: *Nunc igitur, proh dolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter occidente decretum, trium hypostaseon, ab Arianorum præsule, & campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur.* At

[...]um [...] circa verbum hypostasis.

Hieron. epist. 57.

At de Usiæ & Hypostasis varia significatione, & dissidiis qui plura cupit Christianum Lupum adeat, qui dissertatione singulari hæc persecutus est.

JESU CHR. AN. 362.

Tom. 2. pag. 303. edit. Venetæ.

28. Fidei quoque formulam ab Arianis sub nomine concilii Sardicensis vulgatam uti adulterinam rejecit Alex. synodus: *Quam igitur nonnulli*, inquit, *jactant tabellam, quasi in Sardicensi synodo de fide compositam, ne legi quidem omnino, aut proferri sinatis, nihil quippe ejusmodi definivit synodus. Quamvis enim nonnulli postulurint, ut quædam de fide scriberentur, quasi aliquid Nicænæ synodo deesset, atque id obtinere temere conati fuerint; Synodus tamen Sardicæ coacta rem indigne tulit, sancivitque ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata &c.* Hæc aliaque in eamdem rem synodica epistola, quæ & ad Antiochenos inscripta est. In eamdemque sententiam de recipiendis ad pœnitentiam Episcopis, ceterisque ecclesiastici ordinis, ita ut in suis etiam gradibus ministrare possent, cum Athanasio, & synodo Alex. ivit Liberius Papa, in quam rem extat ejusdem Pontificis epistola ad Episcopos Italiæ, qua etiam in perfidiæ auctores, propagatoresque severitatem retinendam esse monet.

Synodus Sardicensis nullam fidei formulam edidit *Athan. tom. 1. par. 2. pag. 771.*

Coutan. pag. 448.

29. Mensibus aliquot Alexandriæ vix transegerat Athanasius, rebus Ecclesiæ componendis intentus, cum conspirantibus una cum Arianis, etiam Ethnicis iterum solum vertere, & latebras quærere coactus est. Invidiæ Ethnicorum id tribuunt Ruffinus, & Theodoretus: *Nam Dæmones cum efficaciam linguæ, & precationum Athanasii ferre non possent, ministros suos ad maledicta in eum congerenda impulerunt, ac multa quidem in eum dixerunt, poscentes ab impietatis patrono*, idest Juliano, *ut Athanasium urbe expelleret*. Ruffinus vero: *Cum, velut tetri serpentes de cavernis terræ ebullientes, ad eum processisset Magorum, Philosophorum, Aruspicum, Augurumque manus profana, omnes pariter assurgunt, nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium, velut omnium horum obstaculum sustulisset*. Cui id præcipue datum est crimini, quod sua sponte Alexandriam rediisset, quem ideo inde ejiciendum, datis ad Alexandrinos litteris, jussit Julianus: *Æquum erat*, inquit, *eum qui regiis edictis compluribus ejectus fuerat, unum saltem edictum regium expectare, ac tum denique domum suam redire, non autem singulari audacia*

Athanasius iterum exulare cogitur.

Ruffin. lib. 10. 33. Theod. li. 3. 9.

Juliani epist. ad Alex.

JESU CHR. AN. 362. *dacia atque amentia fretum, legibus tamquam omnino extinctis, ac perditis illudere. Etenim nunc quoque nos Galilæis a Constantio ejectis, non reditum ad suas ecclesias, sed in patriam cuique suam concessimus. Audio, Athanasium hominem audacissimum, solita audacia elatum, episcopatus sedem (ut ipsi appellant) iterum usurpare, id vero non mediocriter Alexandrino populo displicere; quare eum jubemus urbe excedere eo ipso die, quo humanitatis nostræ litteras acceperit. Quod si in urbe manserit, longe ei majores, gravioresque pœnas denunciamus.* Alia vero epistola ad Ecdicium Ægypti Præfectum eum Alexandria, totaque Ægypto exturbandum jubet, tanquam infensissimum Deorum hostem, cujus opera ibidem Ethnicorum religio contemptui erat, ut pluribus eo loco persequitur Julianus.

epist.6.28.51.

Altera Juliani epist. ad Alex.

30. Cumque clerus, senatus, populusque Alexandrinus Julianum exorasset, ne pastorem carissimum inde exturbaret, prolixioribus datis litteris Julianus eorum in fide tuenda constantiam exprobrat, quos Serapidi, & Isidi devotos esse, utpote Alexandriæ totiusque Ægypti patronis, magis decere ajebat: deinde Alexandri conditoris, ac Ptolomei, & Augusti Cæsaris in Alexandrinos beneficia commemorat, eorumque religionem celebrat: *Et horum Deorum*, inquit, *neminem colere audetis, sed potius Jesum, quem neque vos, neque parentes vestri crediderunt, Deum Verbum esse opinamini, solem vero parvipenditis.* Eos igitur, ut meliora saperent hortatur, ac ut Athanasium expetere desinerent admonet: *Sunt enim*, subdit, *ex ejus discipulis utique complures, qui prurientibus ac sermonibus impiis expleri cupientibus auribus vestris faciant satis. Utinam enim Athanasio solo sacrilegæ ipsius scholæ circumscripta esset improbitas! sed est in vobis hujusmodi non ignobilis multitudo. Sin vero vos Athanasii solertiam exoptatis, veteratorem enim esse hominem audio, scitote hac ipsa de causa urbe illum ejectum fuisse.*

A[th]anasius a Juliano Imp. exagitatus latere cogitur. *Theod.lib.3.9. Ruffin.lib.1.3*

31. Hæc aliaque Julianus ad Alexandrinos, multam seiram adversus Athanasium suscepisse indicans, quem ut tota non solum Ægypto ejiceretur jussisse Theodoretus narrat, sed etiam ut occideretur. Et sane Alexandria fugiens Athanasius, ac per Nylum iter agens, Comes qui ad occidendum eum missus fuerat, instanter eum insequi cœperat, ita ut jam jamque, nisi prospexisset, immineret. In tanto itaque

que discrimine, qui cum Athanasio erant, eremum suadebant. At ille: *Nolite*, inquit, *o filii, deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat quia longe major est qui nos defendit, quam qui persequitur*. Et conversa navi, in occursum ejus, qui adversum se veniebat, iter peregit. Ille vero tamquam prætereuntes interrogavit, ubi audisent esse Athanasium, cumque respondisent, vidise se eum non longe, velis, remisque expansis persecutor pertransiit. At Athanasius, periculo ereptus Alexandriam rediens latitavit, ut Socrates Theodoretus, aliique narrant. In desertum vero usque ad Juliani obitum abiise Athanasium, ex Ammonii actis probat editor Maurinus in vita Athanasii.

Socrates lib. 3.14. Theodor. lib. 3.9. Athan.tom.1. vita pag. 8

32. Etsi immenso in Ecclesiam odio exardesceret Julianus, quam toto Imperii tempore insectari non destitit, neminem tamen aperta vi ad sacrificandum Idolis cogebat, nam ait Nazianzenus *suadendi & alliciendi partes sibi retinuit*: *vim tamen*, *& tyrannidem populari turbæ*, *& civitatibus permisit*. Exemplo sint, quæ Cæsareæ in Cappadocia contigerunt, ubi ob incensum Fortunæ templum, Ethnicorum multitudo, impetu in Christianos facto, ingentem eorum stragem patravit. Præfectus vero ut tumultum compesceret in Christianorum plures, nonnullosque Gentilium animadvertit, qua de causa Juliani indignationem meruit, atque exilio multatus est: *Quid etenim grave*, scribebat Julianus, *si manus una gentilium decem Galileos interfecit?* unde inter Ecclesiæ persecutores non immerito recensetur, nam ut ait Augustinus: *Quid respondent de Juliano, quem non numerant inter decem*, persecutores scilicet: *An ipse non est Ecclesiam persecutus, qui christianos liberales litteras docere ac discere vetuit? Sub quo Valentinianus major, qui post eum tertius Imperator fuit, fidei Christianæ confessor extitit, militiaque privatus est, ut omittam quæ apud Antiochiam facere cœperat, nisi unius fidelissimi, & constantissimi juvenis, qui, multis ut torquerentur apprehensis, per totum diem primus est tortus, inter ungulas, cruciatusque psallentis libertatem, atque hilaritatem miratus exhorruisset, & in cæteris deformius erubescere timuisset*. Hæc S. Augustinus, de quibus uberius suo loco dicturi sumus.

Juliani persecutio in Ecclesiam. Nazianz. orat 3. in Julianum

August. de civit. Dei lib. 18. cap. 5.

33. Quasnam autem ad Christianos divexandos Apostata artes excogitaverit, S. Gregorius Nazianzenus coævus testis enarrat, ac Ethnicorum plebisque furori Christianos primum

Quibus artibus usus sit Julianus ad christianos vexandos.

Jesu Chr. An. 362. Greg. Nazianz. orat. 1. in Jul.

mum reliquisse refert, deinde domesticos, & Palatinos aggressus, eorum plurimos, aut blanditiis aut terroribus a christiana Religione revocavit, alios vero fortiter resistentes, aut occidit, aut Palatio ejecit, ut Cæsario Basilii fratre contigit. *Milites vero*, subdit Gregorius, *partim per eos, qui magistratibus fungebantur allicit, quippe quos leviores magisque credulos arbitrabatur, alios honoribus capiens, alios animi simplicitate detrahens, nimirum eos, qui nullam aliam legem, quam Principis voluntatem agnoscebant, immo si rectius loquendum est, militum partem non minimam ad se pertraxit*, non tamen omnes, quin eodem Nazianzeno teste, multi Præfecturis, ac dignitatibus ornati, multi etiam plebeji ordinis, sive insidiis aggressi, aut aperta vi tentati, in Christianæ fidei confessione, omnes ejusdem machinas fortitudine sua superantes, perseverarunt.

Julianus labarum mutat. Sozom. lib. 5. 17.

34. Ut vero milites incautos & nolentes etiam impietatis participes efficeret, Labarum mutavit, & sublato Crucis trophæo, Jovem jussit juxta se pingi: *Cum ad evertendam christianam fidem omnia moliretur*, inquit Sozomenus, *persuadere quidem nullatenus valuit, palam autem vim inferre erubescebat, ne tyrannus videretur; denique ut omnibus modis eos gentilium superstitioni assuefaceret, in pristinam formam commutare decrevit signum illud nobilissimum exercituum Romanorum, quod Constantinus, Deo jubente, ut superius retulimus, in crucis formam converterat*; ac in publicis imaginibus Jovem e cœlo apparentem, & coronam, ac purpuram sibi tradentem pingi curavit, aut Martem, vel Mercurium, atque ita sub obtentu honoris, qui Imperatori deferebatur, Deos etiam una cum ipso pictos imprudenter adorarent: *Eo audaciæ prorupit*, inquit Nazianzenus, *ut adversus magnum illud vexillum præceps ferretur, quod simul cum Cruce magnifica, & insigni pompa exercitum ducit in sublime evectum, quod laborum solvendorum vim habet, ab eoque apud latinos nomen trahit*, idest Labarum, *principatumque ut ita dicam in reliqua omnia vexilla tenet*.

Nazianz. ut sup.

Julianus milites ad sacrificia compellit. Sozom. ut sup.

35. Ad sacrificia etiam milites compulit; nam dum singulis dona largiretur, qui Imperatori adstabant, ex veteri more usu recepto, unumquemque thus adolere jubebat. Quo factum est, ut plerique consuetudinis, ac vetustatis specie inducti, ne scelus quidem suum animadverterent. Alii lucro proposito

posito illecti, aut metu turbati, etsi se Gentilium more sacra facere intelligerent, haud tamen effugerunt. Accidit autem ut quidam, qui in eam simulationem imprudenter inciderant in convivio, ut fieri solet, simul essent, ac sibi mutuo pocula porrigentes Christum invocarent; at alius, qui illibatam Christo fidem servaverat, dixit: *Mirum quidpiam patimini, Christum invocantes, quem paulo antea negavistis, tunc cum donativum accipientes a Principe, thus in focum imposuistis*, qua admonitione excitati, facinus detestantes, illico relicta mensa, discurrere cœperunt, vociferantes, & cum lacrymis Deum, hominesque testantes, Christianos se esse, ac semper fuisse, per ignorationem autem ejus, quod fieret, si tamen id licet dicere, solam manum sacrificasse, animo neutiquam conscio. Imperatorem deinde adeuntes, projecto quod dederat auro, se deceptos fuisse dixerunt; Imperator autem Julianus, tantam dicendi libertatem admiratus, atque ad martyrium paratos cernens, *exauctoratos tantum Palatio expulit*, ait Sozomenus, eademque Nazianzenus, & Theodoretus, qui & addit ad tentandam eorum constantiam ad locum supplicii perductos fuisse, cumque jam carnifex gladium strinxisset, juniorem, Romanum nomine, decollaturus, *supervenit quidam indulgentiam Principis nuncians, & sublato clamore e longinquo vetans ne occiderentur, quos in ultimos Imperii fines relegavit.* Theod. l. 3. 17

36. De christianis militibus qui sub Juliano militabant hæc etiam adnotat Augustinus: *Julianus extitit Imperator infidelis, nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani serviebant Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat; quando [illegible] lebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponeb[illegible] Deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite con[illegible] lam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum [illegible] ternum a domino temporali, & tamen subditi erant propt[illegible] Dominum æternum etiam domino temporali.* Hæc Augustinus de christianis militibus, qui in castris, aut in Palatio militabant, eoque tempore *tamquam in fornace probati*, ut ait Socrates, *tum qui veri, tum qui falsi christiani essent, omnibus innotuerunt, nam qui sincere atque ex animo christiani erant, libenti animo cingulum deposuerant, quidquid ferre parati potius, quam Christum negare.* Inter illustres Fidei Confessores Jovianus, Valentinianus, & Valens, qui postea Imperatores fuerunt

Christianorum militum in Principem obedientia. [illegible]gust. de ci[illegible] Dei cap.

So[illegible] lib. 3. 13.

JESU CHR. AN. 362. Eceboli inconstantia in fide.

runt, recensendi sunt. Inter fidei Apostatas, qui divitias & honores hujus Sæculi æternæ felicitati præferentes, ad Ethnicorum religionem absque mora transierunt, Ecebolius Sophista numeratur, qui fidem, moresque suos ad Imperatorum voluntatem mutans, sub Constantio Imp. Christianam se religionem ardentissime colere simulavit; Juliano Imperante ad Ethnicorum superstitionem rediit; post obitum autem Juliani, christianam iterum Fidem professus præ foribus Ecclesiæ adstans his vocibus fideles exoravit: *Calcate me, ut sal insipidum*.

De Joviani, & Valentiniani Imp. confessione. Socrat. lib. 3. 2. Theodor. lib. 3.16.

37. Jovianum tamen cingulum deponere paratum, magis quam Juliani jussa exequi, inter duces retinuit, imminentis belli Persici necessitate compulsus. Celebrior adhuc Valentiniani confessio fuit, quem ideo Julianus exilio multavit, ut narrat Theodoretus: *Forte in templum Genii publici exultans Julianus intrabat. Utrinque ad januas adstabant aeditui, qui lustralis aquae adspersione ingressuros purgarent, ut quidem ipsi existimabant. Tunc Valentinianus, qui ante Imperatorem incedebat, guttam aquae clamydi suae adspersam conspicatus, aedituum pugno percussit, inquinatum se dicens, non autem purgatum: atque ob hanc causam utrumque regnum meruit adipisci. Quo conspecto, sceleratissimus Imperator eum in castellum quoddam situm in solitudine relegavit, praecipiens, ut illic degeret.* Melitenem in Armenia relegatum fuisse tradit Sozomenus, qui & addit Juliano spectante, partem vestis, quæ lustrali aqua aspersa fuerat, abscidisse, ac projecisse. Philostorgius vero Thebas Ægypties relegatum fuisse narrat; at Socrates ab utrisque dissentit, ac eum, & Valentem fratrem, una cum Joviano, nunquam loco movisse tradit, quos Reipublicæ utiles esse unde in hac scriptorum varietate Valentiniani exi[lium] incerto relinquimus.

Sozom. lib. 6.6. Philost. li. 7.7. Socrat. li. 4.1.

38. Joviani, & Valentiniani pietatem æmulatus est Cæsarius Gregorii Nazianzeni, seu Theologi frater, qui philosophicis disciplinis apprime eruditus, in aulam a Constantio vocatus, & in amplissimum Senatum cooptatus, Ærarii Præfectura a Juliano donatus fuerat. At de fidei periculo a patre, & fratre admonitus, aulam & Præfecturam sprevit, Crucis ignominiam, opibus, & honoribus præferens, magis eligens abjectum esse in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum, quem gravissimis verbis, ut ab aula recederet Gregorius frater hortatus fuerat, cujus exortationibus obtemperans,

[...] umi Julia [...] rero

ad Hebr. 11. psalm. 83. Greg. Nazian. epist. 17. pag. 719. tom. 1. edit. venet. 1753.

rans, Juliani indignationem in se concitavit, ac variis modis tentatus, Christum summa cum gloria confessus est, ut in oratione funebri ejusdem Cæsarii, idem narrat Gregorius, inter cætera in ejus laudem dicta:

Cæsarii confessio fidei coram Juliano. Nazianz. in orat. funeb. Cæsarii orat. 10. pag. 159.

39. *Rem unam*, ait, *pro omnibus dicam, quæ nihil in ipsius vita celebrius est, magisque pervulgatum. Furebat adversus nos infandus Imperator, & cum in seipsum primum per Christianæ fidei abjectionem insaniisset &c. cumque alios pecuniis, alios dignitatibus, alios promissis, alios variis bonorum generibus (quos ne regie quidem, sed per quam serviliter in omnium aspectu deferebat), omnes denique verborum præstigiis ac suo exemplo ad se alliceret, post multos Cæsarium quoque aggreditur. Proh stuporem, & amentiam, si spem habuit fore, ut & Cæsarium, & fratrem meum, & his parentibus natum prædaretur!* quem ideo Crucis signo armatum, omnes Apostatæ insidias facile vicisse addit, ac adnotat Julianum Cæsarii constantia victum exclamasse, *O felicem patrem*, qui tales procreasset filios, *O liberos infelices*, idest Gregorium, & Cæsarium, eo quod Christi fidem Imperatoris amicitiæ præferebant.

De Juliani ad Basilium epistolis. inter Basil. epist. n. 39.

40. Nonnullæ etiam ad Basilium Cæsariensis tunc Ecclesiæ presbyterum, postea episcopum Juliani Imp. supersunt epistolæ, quarum prima ut ad se quantocius veniret invitat: *Age igitur*, inquit, *& ad nos quamprimum advola. Certe amicus ad amicum venies*, in fine vero: *Propera igitur, ut dixi, publico usurus cursu: cumque apud nos, quantum tibi videbitur fueris, tum quo voles a nobis, ut decet, dimissus proficisceris.* Huic altera addenda esset Juliani ad Basilium epistola, quam Annalibus suis inseruit Baronius, cujus etiam auctoritate synodus Nicæna secunda sacrarum imaginum usum confirmavit. Has tamen epistolas quas post Nicephorum, & Amphilochium, magni nominis viri Tillemontius, Dupinius, Pagius Juliano inscripserunt, uti apocryphas, aut saltem dubias judicavit Maurinus S. Basilii editor. Quare *si genuinæ sunt*, inquit, *hujus Apostatæ ad Basilium litteræ*; paulo post, *abiere in has conjecturas eruditi viri, Dupinius, & Tillemontius, quia hanc epistolam ad Basilium scriptam putabant, sed si eam scripsit Julianus, homini scripsit Constantii aulæ incommoda experto, non Basilio nostro, qui numquam hujus Imperatoris limen attigit.* Hæc de prima Juliani ad Basilium epistola Maurinus editor

Baron. 362. n. 7.

Basilii vita c. 8. pag. 60. tom. 3. Tillem. tom. 9. pag. 61. & pag 645.

Jesu Chr. an. 362. tor, de ceteris etenim quin apocriphæ sint dubitari vix potest.

Juliani ira in Gregorium Nazianz. Greg. Nazianz. orat. funeb. in Cæsar.

41. In Gregorium Nazianzenum infesto animo fuisse Julianum, idem Nazianzenus narrat: *Nam nos quoque*, inquit *ignominiæ societate honorandos duxit, quorum eruditionem, pietatemque Athenis cognoverat*, ac post Persicum bellum suppli. cio cum aliis se destinatum fuisse eadem in Julianum oratione addit: *Postremosque ad periculum reservabas, ac fortasse tamquam triumphale quoddam ingens, & magnificum munus dæmonibus excogitabas, si te a Perside redeuntem excepissent, aut etiam ad baratrum tuum abripere sperabas, improbe hoc tibi opinione fingens*. Inter eruditos viros eos præcipue diligebat Julianus honoribusque exornabat, qui in Idolorum cultu perseverabant. Ex his Mamertinum oratorum celeberrimum Consulatu decoravit, quem tanto honore indignum fuisse, adnotat Marcellinus; præ ceteris Maximum Ephesium philosophum carissimum habuit, quo duce prophanæ superstitionis mysteria didicerat, eoque suadente Christo, ejusque religioni renunciaverat, ad se venientem hoc anno, *indecore exilivit*, ait Marcellinus, *& qui esset oblitus, effuso cursu e vestibulo longe progressus, osculatum, susceptumque reverenter secum induxit &c.* Eunapius vero de Juliani erga Maximum observantia: *Ab eo totus pependit, & universam viri doctrinam mordicus retinuit*. Quanti autem eum Julianus faceret epistolæ ad eum datæ testantur, quibus inter cetera: *Alexandrum Macedonem ajunt Homeri carminibus indormire solitum, ut noctes diesque in bellicis ejus signis versaretur, at nos cum tuis medicamentis dormimus, easque assidue tamquam recentes, & novas iteramus. Quare scribe, & assidue scribe, vel potius Diis juvantibus veni.* Hæc ad Maximum, dum adhuc abesset, Theomistium autem philosophum ad se vocatum, Urbis Præfectum creavit, Libanium etiam Oratorem, quæstura exornavit, aliosque, ut Aribatium, Aristomenum honoribus insignivit, ad quos Juliani extant epistolæ, quapropter ajebat Mamertinus in Juliani panegyrico hoc anno recitato: *Tu tu Maxime Imperator exulantes, relegatasque virtutes ad Rempublicam quodam postliminio reduxisti, tu extincta jam litterarum studia flammasti; tu philosophiam paulo ante suspectam ac nedum spoliatam honoribus, sed accusatam & ream, non modo judicio liberasti, sed amictam purpura, auro gemmisque redimitam in regali solio*

Amm. Marcell. lib. 21.

Marcell. lib. 21.

Eunap. vita philos.

Jul. epist. 15.

lio collocasti. Hæc aliaque Mamertinus de honoribus collatis a Juliano Imperatore philosophis; quorum tamen plurimos, spe magis, quam re ipsa lactavit, ut Nazianzenus narrat, qui & subdit Imperii provincias a Præsidibus Ethnicis latrociniis, & avaritia divexatas fuisse, utpote quorum philosophia in pallii gestatione consisteret aut longa barba. Horum plurimi philosophiæ prætextu magicas illicitasque artes exercebant, quorum consuetudine & familiaritate Julianus delectabatur: *Haruspicinis autem*, ait Nazianzenus, *& sacrificiis Imperialem aulam constituit, malis mali Imperii consiliariis utens*.

Nazianz. orat. 2. in Julian. tom. 1. pag. 109

Nazianz. orat. 1. in Julian.

42. Sordidiora adhuc de Juliani aula narrat coævus auctor, idest Chrysostomus; ac una cum Oratoribus, Philosophis, Magis, Aruspicibus omniumque sacrilegarum artium cultoribus, fœditatum etiam & libidinum magistris, refertam fuisse tradit: *Divulgato per universum terrarum Orbem mandato, ut Idolorum templa instaurarentur, aræ excitarentur, pristini honores Dæmonibus redderentur, magni item illis proventus variis ex locis suppeterent. Quo ex mandato, Magi continuo, Incantatores, Augures, Haruspices, Menagyrtæ, idest, menstrui viatores, seu præcones, denique omnifariæ imposturæ artifices, undique ab universo Orbe confluxerunt*, ita ut Regia ipsa infamibus, abjectis ac profugis hominibus plena esset, qui cum se Idolorum sacerdotes esse profiterentur, mirum est, quanto in honore, quanto in prætio a Juliano habiti fuerint; lenones autem, & meretriculæ, & meritoriorum adolescentum turba eum stipantes, per forum inambulantem comitabantur, ait Chrysostomus, eademque in Juliano redarguit Ammianus scriptor Ethnicus: *Culpabatur*, inquit, *hinc opportune cum ostentationis gratia vehens, licenter pro Sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis lætabatur*.

Quibus refecta esset Juliani domus, & aula.

Grisost. orat. adversf. gentes tom. 1.

Amm. lib. 22.

43. Cumque in sacrificiis offerendis frequens esset Apostata, accidit non semel, ut portenta emotæ menti obversarentur, ita ut aliquando eidem victimarum exta coronatam Crucem ostendisse ferant, quo factum est, ut potentiam nostram nonnulli agnoscerent, ait Nazianzenus. *At impietatis magistro animum addidit, tanquam circumscripti, atque undique conclusi essemus, sic enim Crucem & circulum ex tempore interpretatus est*. Alias vero cum in inaccessum, horrendumque locum una cum Idolorum sacerdote, seu potius mago descendisset, plures ac formidabiles sonos tetraque spectra audire, ac videre sibi vi-

Portenta Juliano sacrificanti ostensa.

Nazianz. orat. 1. in Jul. pag. 64.

Jesu Chr. An. 362. Crucis signo Dæmones fugantur. Sozom. li. 5. 2. Christianorum præsentiam dæmones exhorrescunt. Prudent. in Apoteosi.

visus est Julianus. Quare rei novitate perculsus, ad Crucem vetusque remedium confugit, eoque signo se adversus terrores consignavit: *Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores*, quod cum pluries tentatum esset, eadem ostenta renovata sunt, ut pluribus post Nazianzenum, persequitur Sozomenus.

44. Eadem fere Juliano sacrificanti accidisse narrat Prudentius, nam cum inter adstantes Christianus quidam Crucis se signo armasset, adstans Sacerdos:

Cum subito exclamat media inter sacra Sacerdos
Pallidus: An quid ago? Majus, Rex optime, majus
Nescio quod Numen nostris intervenit aris,
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte.
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ;
Accitas video longe dispergier umbras.
Territa Persephonæ vertit vestigia retro,
Extinctis facibus, tracto fugitiva flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia Manes.

Et post aliqua,

Nescio quis certo subrepit Christicolarum
Huc juvenum: genus hoc hominum tremit infula, & omne,
Pulvinar Divum. Lotus procul absit & unctus:
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, & exanguis collabitur: at velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum.
Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
Pallet, & astantes circumspicit: ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora Signo,
Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros?
Armiger e cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei cultor lateris deprehenditur unus:
Nec negat, & gemino gemmata hastilie ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosilut pavidus, dejecto Antistite, Princeps,
Marmoreum fugiens, nullo comitante, sacellum:
Dum tremefacta cohors, dominique oblita supinam
Erigit ad cœlum faciem, atque invocat Jesum.

Ju-

45. Juliano etiam sacrificanti Marium Chalcedonensem Arianorum Episcopum, hæc exprobrasse narrat Sozomenus: *Quadam die cum in templo Genii publici Constantinopoli sacrificaret, Maris Chalcedonensis Episcopus eum adiisse dicitur, & tamquam impium palam contumelia affecisse, Deique hostem & desertorem Fidei appellasse*. Julianus vero solam ei oculorum cœcitatem exprobravit. Cumque in Christum blasphemans dixisset: Nunquam profecto Galilæus Deus tuus te sanabit: *At ego*, inquit Maris, *gratias ago Deo meo, quod luminibus orbatus sum, ne te videam, qui a pietate excidisti*.

JESU CHR. AN. 362. Maris Chalcedonensis Episcopus quid Juliano exprobraverit. *Sozom. li. 5. 4.*

46. Qua feritate adversus Christianos Ethnici hoc tempore sævierint, ex his, quæ de Marco Arethusiorum Episcopo narrat Theodoretus cognosci potest; cum enim Marcus Constantio Imperante templum quoddam evertisset, ac multos Ethnicorum ad christianam fidem convertisset, Arethusiorum odium in se concitaverat. Quare cum Julianus Constantio successisset, Arethusiorum furorem declinans, fuga ab eorum manibus se se eripuerat. At cum multos sui causa duci, atque in carcerem pertrahi accepisset, multosque ob persequentium crudelitatem in periculo versari, ultro sese plebis arbitrio tradidit, quæ crudeliter adeo in eum sæviit, ut omnis ætatis, sexus, & conditionis homines, eo religiosiores esse crederent, quo immanius adversus eum egissent. Hinc per vias ac plateas diu raptatum, variisque suppliciis, ac contumeliis affectum, tandem in sporta sublatum, melle & jusculo undique persusum, apum vesparumque morsibus meridiano tempore exposuerunt. At Marcus tanto supplicio expositus, tortoribus ipsis superior erat, unde sibi placere dixit: *Quod sublimem se prospiceret, illos contra abjectos, atque humi positos*.

Marci Arethusiorum Episcopi martyrium. *Nazianz. orat. 1. in Julian. pag. 78. Theodor. hist. li. 3. 7*

47. Tam dira autem pertulit Marcus, ne vel unum nummum pro restauratione templi ab eo diruti Arethusiis daret. Quandiu etenim, ait Theodoretus, *gravissima templi æstimatione facta totam auri summam poscebant, aut ipsum certe templum reficere jubebant, videri poterat ille idcirco potius obsistere, quod jussa exequi non posset, quam quod pietatis studio duceretur. Posteaquam autem tolerantia sua eos paulatim vincens, atque ex æstimatione aliquid semper detrahens, eo tandem rem adduxit, ut perquam exiguum id esset, quod ab eo postulabatur, ac persolvere facillime posset, parique certamine inter se contenderent, illi ut vincerent, hic ne vinceretur, hoc est,*

Qua de causa Marcus martyrium subierit. *Theod. li. 3. 7.*

JESU CHR. AN. 362. *illi, ut vel tantillum pecuniæ acciperent, hic ne quid omnino numeraret (quamvis alioqui multi, essent, qui partim pietate adducti, partim invicta, & inexpugnabili ejus fortitudine commoti, ampliorem etiam summam erogare pararent) tum vero liquido declaratum est, eum non pro pecuniis, sed pro pietate certamen iniisse.* Tanta porro in cruciatibus perferendis Marci fuit constantia, ut vel Ethnici admirarentur, ac qui Hyparchi munere fungebatur, ad Imperatorem fidenter, ac libere dixisse feruntur: *Non nos pudet Imperator usque adeo Christianis omnibus inferiores esse, ut ne senem quidem unum superare potuerimus?* Sed de his hactenus, quibus plura alia ibidem addit Nazianzenus, ex his comprobans fictitiam, ac simulatam fuisse decantatam ab Ethnicis scriptoribus Juliani mansuetudinem & clementiam, cum ubique terrarum eo sciente, annuente etiam, tot Christianorum strages perpetratæ fuerint.

Julianus ecclesiam Arianorum Edessæ spoliat. *Julian. epist. 43.*

48. Quam infenso in Christianam religionem animo Julianus esset, ejusdem rescripta testantur, quorum altero Arianorum ecclesiam bonis omnibus Edessæ expoliari jussit, eo quod adversus Valentinianos hæreticos rixarentur: *De Galilæis omnibus adeo clementer, & humaniter statui, ut nemini vis inferatur, neque in templum trahatur, neque alia de re ulla præter voluntatem suam contumelia afficiatur. At qui sunt de Ecclesia Arianorum luxuriantes opibus, in Valentinianos invaserunt, eaque apud Edessam perpetrarunt, quæ numquam in civitate bene instituta accidissent. Quare quod ipsis a lege admirabili,* nempe Evangelio, *imperatum est, quo facilius in regnum cælorum veniant, nos ad id hominibus opera tulimus, eorumque pecunias omnes ab Edessenorum Ecclesia tolli jussimus, ut militi dividantur, & facultates, ut nostris privatis attribuantur: quo illi pauperes facti sapiant, neque regno cælesti, quod nunc etiam sperant, priventur &c.* Hactenus Julianus, mordacibus hisce salibus irridens Christianam religionem, quæ *Matth. 19. 21.* dispendio rerum terrenarum docet sperandam esse bona cælestia, secundum illud: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.*

Quid in Cæsarienses statuerit. *Sozom. l. 5. 4.*

49. Cæsarienses vero, quorum pars maxima Christo dicata erat, eo quod templum Genii publici destruxissent, ita afflixit, ut quorum urbs totius Cappadociæ hactenus Metropo-

lis

lis fuerat, ex civitatum albo expunxerit, eorumque ecclesias tercentas auri libras fisco inferre præceperit; Clericos autem in album Officii Rectoris Provinciæ, quod quidem militiæ genus inter Romanos milites vile, atque inhonestum existimabatur. Christianam vero plebem una cum uxoribus, & liberis describi, ac gravissima tributa pendere jussit. Additoque jurejurando minatus est, nisi quamprimum templa instaurassent: *se urbi succensere, eamque opprimere non destiturum: ac ne permissurum quidem, ut Galilæi, sic enim Christianos per ludibrium vocabat, capita sua retinerent*. Hæc de Juliani minis adversus Cæsarienses Sozomenus.

Omnes ubique eccle..as bonis & privilegiis Julianus privat. *Sozom. li.5.5*

50. Omnes tandem Ecclesias bonis & privilegiis spoliavit, ac clericis quidem immunitatem omnem, atque honorem, & annonam a Constantino statutam ademit, legesque in eorum gratiam latas abrogavit, ac curiis restituit. Virgines etiam viduasque, quibus ex Constantini lege alimenta præstabantur, non solum quotidiano victu privavit, sed acceptum olim reddere coegit, quam exactionem crudelissimam, ac molestissimam fuisse, adnotat Sozomenus. Nec tamen hic stetit odium Principis adversus Religionem christianam; verum, ut erat infenso in hanc doctrinam animo, nullum nocendi genus prætermisit, quo Ecclesiam subverteret: *Nam & opes earum, & donaria, ac sacra vasa ademit: & Deorum templa, quæ principatu Constantini, & Constantii destructa fuerant, ab iis ipsis, qui ea destruxerant, instaurari coegit, aut pretia eorum persolvi. Has ob causas, cum neutrum istorum præstare possent, ac præterea sacræ opes studiose persequerentur, Episcopi simul, & Clerici, & ex plebe Christianorum non pauci gravissimis tormentis subditi, & in carcerem conjecti sunt*, ait Sozomenus, eademque Nazianzenus, Socrates, Theodoretus.

Nazianz. orat. 1. & 2. contra Julian.

Julianus cum Sociis ob violatam ecclesiam a Deo plectuntur. *Theod. li. 3. 12. 13. Socrat. lib. 3. 11.*

51. Inter cetera, notatu digna sunt, quæ Antiochiæ acciderunt, cum Julianus, Juliani Apostatæ avunculus, ejusdemque impietatis socius, ob direpta ecclesiæ vasa, violatamque ecclesiam, una cum sociis, Felice, & Elpidio debitas Deo pœnas illico dederunt. Cum etenim sacra vasa majoris ecclesiæ, quam Constantinus ædificaverat Antiochiæ surripere vellet, Julianus Orientis Comes una cum Felice Comite sacrarum largitionum, & Elpidio Comite ecclesiam ingressus, sacram mensam perminxisse dicitur, ac Euzojum facinus prohibere conantem colapho percussisse. Felix vero sacrorum vasorum ma-

Jesu Chr. an. 362. magnificentiam conspicatus: *Ecce*, inquit, *quibus vasis Mariæ filio ministratur*. At sacrilegii, ac blasphemiæ pœnas cito dederunt: *Julianus confestim gravissimo morbo correptus est, ita ut intestina ejus putredine consumerentur, nec per solitos meatus stercus egereret, sed impurum os, quod blasphemiæ instrumentum fuerat, excrementis alvi meatum præberet. Ejus autem conjux, fide ac religione insignis fœmina, maritum his verbis allocuta esse dicitur: Christum Servatorem laudare debes, mi vir, qui hujusmodi castigatione suam tibi potentiam declaraverit. Nescires enim quis sit, contra quem pugnabas, si solita usus patientia, has tibi plagas divinitus infligere noluisset. Ex his verbis, & ex dolorum, quibus premebatur magnitudine, cum causam morbi sui intellexisset miser, Imperatorem rogavit, ut ecclesiam iis, quibus adempta fuerat, restitueret. Sed neque Imperatori persuasit, & ipse protinus ex hac luce sublatus est. Felix vero, ipse quoque divino flagello repente perculsus, sanguinem diu, noctuque per os emisit, omnibus undique venis in eam corporis partem confluentibus. Sic universo sanguine effuso, ipse quoque extinctus est, & morti æternæ traditus. Atque hi quidem impietatis suæ ejusmodi pœnas dederunt.*

Sozom. li.5.8. Socrat. lib. 3. 19. Ruffin. lib. 1. 36. Sozomenus vero addit Theodorum presbyterum, sacrorumque vasorum custodem, qui ceteris fugientibus in ecclesia solus remanserat, Juliani jussu graviter cruciatum, tandem gladio percussum, martyrio coronatum fuisse; præclaræ tamen confessioni supervixisse Theodorum, Ruffinus nos admonet, quem multos post annos superstitem se vidisse ait, ab eoque quæsisse, num dum torqueretur, gravissimum sensisset dolorem, illum vero affirmasse levem sibi ex tormentis dolorem accidisse, cum ei juvenis quidam adfuerit, qui & sudorem ex certamine profluentem abstergeret, & in confessione confirmaret. Subitam Juliani avunculi Imperatoris, & Felicis largitionum comitis mortem Marcellinus etiam Ethnicus auctor lib. 23. historiæ suæ commemoravit.

Julianus christianos litteras docere, aut discere vetat. Juliani epist. 42. 52. Cumque humanarum litterarum professores una cum humanis litteris, christianæ Religionis præcepta ut plurimum traderent, ac quæ de Deorum gestis, & cultu ab Ethnicis tradebantur, confutarent, Christianos humaniores litteras docere, aut discere Julianus prohibuit, ajebat enim: *Absurdum est qui horum libros exponunt*, idest Homerum, Hesiodum, Demosthenem, Herodotum, Thucididem, qui de Deorum ge-

gestis multa narrant, *Deos vituperare, quos illi coluerunt. Neque tamen quia id absurdum puto, idcirco eos discipulorum causa sententiam mutare jubeo. Verum do optionem, ut ne doceant, quae non bona esse censent; sin docere malunt, doceant re ipsa primum, & persuadeant discipulis, neque Homerum, neque Hesiodum, neque quemquam eorum, quos interpretati sunt, quosque impietatis, amentiae, & erroris erga Deos condemnarunt, talem esse &c.* Et post plurima *si in Deos sanctissimos putant ab illis auctoribus peccatum esse, eant in Galilaeorum ecclesias, ibique Matthaeum, & Lucam interpretentur, quibus vos obtemperantes a sacris abstinere jubetis.* Haec aliaque in eamdem rem Julianus, quibus impietatem aeque, ac stultitiam suam prodiit, unde Ammianus profundi silentii ejuscemodi decretum dignum judicavit: *Illud autem*, inquit, *erat inclemens obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros Rhetoricos, & grammaticos christiani ritus*; & iterum: *Erat inclemens, quod docere magistros Rethoricos, & Grammaticos, nisi transiissent ad Numinum cultum.* Severiori etiam censura Julianum arguit Nazianzenus: *Quare qui hoc edixit*, inquit, *anne quidem, & eleganter loqui prohibuit? at ne vera loqueremur haudquaquam impedivit, simulque & imbecillitatem suam prodidit, nec confutationes effugit, imo vero imprudens sese his magis subjecit atque implicuit*; deinde: *Atque haec quidem sapiens noster Imperator & legislator, qui ne tyrannidis suae quidquam expers esset, verum brutae stoliditatis edictum proponeret in Imperii sui auspiciis, atque inter alia, sermones tyrannide oppressit.* Haec aliaque de Juliani edicto Nazianzenus, eademque Ruffinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Hieronymus, Augustinus &c. qui non solum docere, sed & discere humanas litteras Julianum prohibuisse tradunt, id tamen inverisimile Baronio videtur, quem ex citatis scriptoribus Pagius confutat.

Ammian. lib. 22. & lib. 25.

Nazianz. orat 1. in Julian. pag. 47.

Ruff. li. 10. 31 Theod. lib. 3. 8 Socrat. lib. 3. 16. Sozom. lib. 5. 18. August. de civ. Dei lib. 10. cap. 52. Bar. an. 362. n. 2. pag. ibid.

Proaresius, & Victorinus scholas deserunt.

53. Ob eam causam scholas magis, quam fidem deserere maluerunt clarissimi viri, inter eos de Proaresio narrat Hieronymus: *Proaresius Sophista Atheniensis, lege data ne christiani liberalium artium doctores essent, & sibi specialiter Julianus concederet, ut christianos doceret, scholam sponte deseruit.* Celebrior Proaresio Victorini memoria perseverat, qui ne fidem perderet, *loquacem scholam deseruit*, ut ait Augustinus, cujus admirabilem conversionem, ut ex Simpliciano

Hier. in chron.

August. lib. 8. cap. 5.

JESU CHR. AN. 362. no Mediolanensis ecclesiæ tunc presbytero audierat, narrat, quam Juliano Imperante accidisse verosimile est.

Marii Victorini mirabilis conversio ad fidem. August. Confess. lib. 8.

54. *Ut me Simplicianus exhortaretur ad humilitatem Christi sapientibus absconditam, & revelatam parvulis, Victorinum ipsum recordatus est, quem Romæ cum esset familiarissime noverat*, de quo narravit Augustino quod cum plurimorum Senatorum eloquentiæ magister esset, tantæque apud omnes eloquentiæ laude clarescceret, ut statuam in Foro Romano promeruisset, ad eam nihilominus ætatem usque venerator idolorum, sacrorumque sacrilegiorum particeps fuerat, quibus eo adhuc tempore tota fere Romana nobilitas serviebat, eademque Deorum monstra senex Victorinus tot annos *ore terricrepo defensitaverat*; cum autem Simpliciano hortante sanctam Scripturam, omnesque christianas litteras studiosissime legisset, dicebat Simpliciano non palam, sed secreto: Noveris me jam esse christianum. At Simplicianus: *Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in ecclesia Christi te videro*. Ille autem irridens addebat: *Ergo ne parietes faciunt christianos?* quod cum sæpius dixisset, tandem inopinato Simpliciano dixit: *Eamus in ecclesiam, christianus volo fieri*. At ille non capiens præ lætitia, cum eo perrexit, ac ubi imbutus est primis christianæ fidei elementis, inter Cathecumenos nomen dedit. Ut vero ventum est ad horam profitendæ fidel, quæ verbis conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solebat, oblatum fuit Victorino a presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat. At Victorinus in conspectu sanctæ multitudinis profiteri maluit, ac ubi ascendit, ut redderet, seu recitaret symbolum, quisque eum noverat, strepitu congratulationis nomen ejus celebravit. Pronunciavit ille fidem suam præclara fiducia, non sine maxima omnium admiratione & lætitia. Quæ ut a Simpliciano audivit Augustinus, se maximo quoque suscipiendæ christianæ fidei ardore excitatum fuisse addit. Sic igitur Victorinus ætate senex, eloquentia celeberrimus tota spectante, ac mirante Roma, Christi fidem suscepit, quam non solum exemplo, sed & scriptis tuendam suscepit.

Victorini opera. Hier. de Vir. illust. cap. 101

55. De Victorini operibus hæc Hieronymus: *Victorinus natione Afer Romæ sub Constantio Principe Rethoricam docuit, & in extrema senectute Christi se tradens fidei, scripsit adversus*

sus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis intelliguntur, & commentarios in Apostolum. Ejusdem commentarii in Apostolum meminit in proœmio in epistolam ad Galatas, ac alicujus vix pretii fuisse adnotat, utpote a viro scripta, qui secularibus litteris insenuerat, *Scripturas sanctas omnino ignoraverit, & nemo possit, quamvis eloquens de eo bene disputare, quod nescit*, ait Hieronymus. Alia etiam opuscula Victorino inscribuntur, cujusmodi sunt de verbo Consubstantiali, hymni tres de Trinitate, poema de Macchabæis, ac contra Manichæos, quæ etsi Victorino indigna non sint, tamen an Victorino inscribenda sint, ob Hieronymi silentium in incerto relinquimus; secularibus tamen litteris cum excelleret, & eloquentia, multos Platonicorum libros latinitate donavit, quos se legisse Augustinus testatur: sed de Victorino satis, & ad Juliani gesta, unde digressa est, revertatur oratio.

JESU CHR. AN. 362.

Hier. proœm. in epist. ad Galat.
Biblioth. PP. tom. 4.
Dupin. secul. 4. tom. 1.
August. Conf. lib. 8.

56. Cum in eo totus esset Julianus, ut catholicam Ecclesiam everteret, aut saltem turbaret, sub indulgentiæ prætextu, exules quoslibet non solum exilio liberaverat, sed singulis christianæ religionis sectis, quælibet audendi licentiam dederat. Quare Africana ecclesia, quæ hactenus a Donatistarum, & circumcellionum furore aliquatenus respiraverat, majori incendio iterum & persecutione vexata est, cum ex Juliani rescripto non solum exules Donatistæ ab exilio revocati sint, sed & basilicas eisdem reddi jusserit, de quibus Optatus, postquam narravit a Constantino, & Constantio Donatistarum Principes exilio relegatos fuisse, subdit: *Deinde alter, ut omnibus notum est secutus Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, Apostatam se edictis suis esse ubique testatus, quem precibus rogastis ut reverti possetis. Quas preces si vos negatis misisse, nos legimus, nec difficultatem præbuit, quem rogastis: ire præcepit pro voto suo; quos intellexerat ad disturbandam pacem esse venturos.* Donatistarum Legati, Augustino teste, Rogatianus, Cassianus, & Pontius fuere, ut ex Juliani rescripto constat, cujus partem recitat: *Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano, & ceteris Episcopis, sed & clericis accedit ad cumulum ut abolitis, quæ adversus eos sine rescripto perperam gesta sunt, in antiquum statum cuncta revocentur*; & iterum: *Antiquius est Evangelium Christi, quam rescriptum Juliani, an-*

Julianus Donatistis favet.

Optat.
August. Vincent. D. nat. epist. & contra litteras Petiliani lib. 2. pag. 278 286.
pag. 286.

ti-

tiquior est unitas Christi, quam pars Donati, antiquiores sunt Ecclesiæ preces pro unitate Christi, quam Rogatiani Pontii, & Cassiani ad Julianum pro parte Donati. Hæc Augustinus de Donatistarum postulatione ad Julianum, quam eodem loco, & alibi eisdem exprobrat, præcipue quod apud ipsum solum justitiam locum habuisse dixissent, ac inter cetera: *Vobis, qui nos sic arguitis*, quod scilicet Imperatorum patrocinium implorassent, ac ajebant: *Quid vobis cum Regibus seculi?* Augustinus vero: *Vobis, qui nos sic arguistis, quid fuit cum Rege Pagano, & quod gravius est Apostata, & Christiani nominis hoste Juliano, a quo vobis basilicas quasi vestras reddi deprecantes, hoc in ejus laude posuistis, quod apud eum sola justitia locum haberet? Quibus verbis, credo enim vos latine intelligere, & idololatria Juliani, & Apostasia justitia est appellata; tenetur petitio quam vestri majores dederunt, constitutio, quam impetraverunt, gesta ubi allegaverunt &c.* Hæc aliaque ibidem Augustinus de Donatistarum expostulatione ad Julianum, & de ejusdem rescripto, quo Donatistas exules ad propria redire permisit, iisque basilicas reddi jussit; eademque in epistola ad Vincentium Donatistam repetit.

contra lit. Petil. pag. 276. tom. 9.

August. epist. 48.

Quæ Donatistæ adversus catholicos tentaverint. *Optatus ut sup.*

57. Post hæc quanta Donatistæ in Catholicos pertentaverint, idem Optatus pluribus narrat, eos scilicet cum sceleratorum, & Circumcellionum manu multis in locis basilicas vi aperta occupasse, extorres multos fecisse, alios contumeliis plagisque affectos etiam occidisse. Ex horum numero fuerunt Felix Diabensis, Januarius Flamen Pistensis, & cæteri, qui cum in ecclesia Lemellensis oppidi essent, a Donatistis basilicam invadentibus occisi sunt. His alia plurima aliis in locis patrata facinora addit, quæ longum esset exponere: *Lacerati sunt*, inquit, *viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati, abacti sunt partus. Ecce ecclesia vestra, episcopis ducibus, cruentis morsibus pasta est.* Immaniora adhuc Donatistarum facinora commemorat, eos scilicet Eucharistiam canibus fundi jussisse, quos etiam sacrilegii pœnas cito dedisse narrat, nam canes accensi rabie, ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt, & cum casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam sustineret, ita ut Deo

...atistæ ... in Eu... ...ia, & ...risma sacrilegia.

Deo muniente, illæsa inter saxa consederit. Jam vides, Lector, quibus accensendi sint, qui Donatistarum exemplo, vel paria, vel majora etiam contra catholicam Ecclesiam, & contra sacrosancta mysteria, & sacramenta perpetrarunt, seculi decimisexti Pseudo-reformatores, Luteranos, & Calvinianos eorumque socios Anglicanos, aliove nomine ab ecclesia Romana dissidentes: sed Donatistarum scelera persequimur, de quibus idem Optatus; JESU CHR. AN. 362.

58. *Inde revertentes Urbanus Formensis, & Felix Idicrensis, invenerunt Matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane, Episcopos celas, & cum pro tuis erubescere debueras, Catholicos innocentes accusas. Interea supra memoratus Felix, inter sua crimina, & facinora nefanda, ab eo compressam puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit, & quasi de peccato sanctior fieret, inde velociter properavit. Sic Donatum annorum septuaginta episcopum, hominem innocentem spoliare ausus est episcopali nomine, & officio, & honore.* Hæc aliaque de Donatistarum sceleribus Optatus, quæ longum esset enumerare; id adhuc hoc loco addimus, Juliani pro Donatistis rescriptum, in ipsorum postea ignominiam cessisse, cum ex Arcadii, & Honorii jussu, in Africanis provinciis vulgatum est, ut eos Juliani patrocinium implorasse ubique innotesceret. Alia Donatistarum facinora.

59. Nec Donatistarum furorem in Ecclesiam excitare satis Juliano fuit nisi etiam Judæorum perfidiam commoveret, quos in Christianos, eo imperante, multa temasse, ac ecclesias vastasse ex Ambrosio, & Joanne Chrisostomo scimus: *Quantas ecclesiæ basilicas Judæi tempore Imperii Juliani incenderunt!* inquit Ambrosius, *duas Damasci*; *Incensæ sunt basilicæ Gazis, Ascalone, Berithi, & illis fere locis omnibus &c.* In eo præceteris Juliani insania, ac in Ecclesiam odium enituit, dum Judæos ad urbem, & Templum Hierosolymis ædificandum excitavit, ut eo modo, si fieri potuisset, falsi argueret oracula, in quibus habetur, usque in finem desolationem perseveraturam, ut in Daniele legitur, & de templo non remansurum lapidem, ut in Evangelio. *Julianus*, inquit Philostorgius, *cum urbem Hierosolymam instaurari jussisset eo consilio, ut Domini nostri de illa prædictiones irritas esse convinceret.* Tam insani consilii testes extant ejusdem Juliani epistolæ, Julianus Judæos adversus Christianos excitat. Ambros. ep. 18. Da... Matth. cap.

 quas

Jesu Chr. An. 362.
Socrat. lib. 3. 20. Sozom. lib. 5. 21. Juliani epist. 35. Ruffin. lib. 1. 37. Socrat. Sozom ut sup. Chrisost. orat. 2. advers. Judæos. Greg. Nazian. orat. 2. in Julian. Marcell. lib. 23. 1.

quas *Patriarchis, ac Principibus eorum, ipsique plebi dedisse*, narrat Sozomenus, quibus in eos benevolentiam affectat, eosdemque a gravioribus tributis, quibus hactenus opprimebantur, liberos esse jussit, vocatis deinde Judæorum primoribus, cur sacra juxta legis Moysen non facerent interrogavit, iisque respondentibus sibi non licere extra Hierosolymitanum Templum sacrificia offerre, ad ejusdem instaurationem eos excitavit, oblatis etiam in eam rem impensis. Marcellinus auctor coævus, & Ethnicus audiatur: *Julianus Imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quoddam apud Hierosolymam Templum, quod post multa & inter nociva certamina obsidente Vespasiano, posteaque Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi. Cum itaque rei fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum*. Portenta eadem, quibus Judæi, ne in incœpto opere perseverarent, prohibiti sunt, scriptorum plurimi narrant; præ omnibus Ruffinum audire præstat.

Judæi multis prodigiis ab opere prohibentur.
Ruffini ibid. lib 1. 37.

60. *Judæos convocatos ad se interrogat, cur non sacrificarent, cum eis lex sua de sacrificiis imperaret? At illi occasionem se invenisse temporis rati, non possumus, inquiunt, nisi in solo Hierosolymorum templo. Accepta ab eo reparandi Templi licentia, in tantum insolentiæ pervenerunt, ut aliquis eis Prophetarum reditus videretur*. Igitur ex omnibus locis atque Provinciis convenere Judæi, ac urgente ad opus Comite Palestinæ, res omni conatu agebatur. Interea insultare nostris, & velut reparatis sibi regni temporibus comminari acrius Judæi incipiebant, quasi jam opus perfecissent. At terra effossa, calce cæmentoque adhibitis, nihil omnino deerat, quin die postera veteribus deturbatis, nova jacerent fundamenta, nocte tamen, quæ ad incipiendum opus jam sola restabat, ingenti exorto terræmotu, non solum fundamentorum saxa longe lateque jactata sunt, verum etiam totius loci pene ædificia complanata. Porticus quoque publicæ, in quibus erat Judæorum multitudo, quæ operi vacabat, ad solum deductæ sunt, & ruina sua Judæos adstantes oppressere. Luce vero, orta ceteri venientes ad requirendos eos, qui terræmotu perierant, igne consumpti sunt,

sunt, nam subito globus quidam ignis emicuit, & per medium plateæ percurrens, adustis & exanimatis qui aderant Judæis, idque non semel per totam illam diem repetens pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercebat. Et ne hæc casu fieri crederentur, in sequenti nocte vestimentis omnium signaculum Crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere voluisset, non valeret. Sic deterriti Judæi, atque Gentiles locum simul, & *inaniter cœpta reliquere*, ait Ruffinus, eademque Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Chrisostomus, Nazianzenus, qui & addit tanto zelo in id operis Judæos incubuisse, ut ipsæ matronæ, non modo pro templi structura, *omnem matronalem mundum*, corporisque ornatum distraxerint, sed etiam *ut terram sinu efferrentes*, *nec vestibus præclaris*, *& exquisitis*, *nec teneris membris parcentes*, *pietatis officio se fungi existimarent &c.*

JESU CHR. AN. 362.

Nazianz. or. 1. in Julian. tom. 1. pag. 101

61. De crucibus vero, quæ in Judæorum vestibus inopinato apparuerunt, hæc addit Nazianzenus: *Proferant nunc quoque vestes suas, qui hujus miraculi spectatores, & conscii extiterunt, illas, inquam, Crucis notis tunc infustas & consignatas. Simul enim ac quispiam, sive nostrorum, sive exterorum hæc narrabat, aut narrantes audiebat, statim hoc miraculum, vel in se ipso, vel in vicino suo perspiciebat, stellatus nimirum ipse, notisque distinctus, vel illum talem in vestimentis intuens, omnem textoris artificii elegantiam, ac summa cura elaboratam picturam varietate superantem. Quæ res spectantium animos tanto stupore affecit, ut omnes ferme, quasi ex signo uno, atque una voce, christianorum Deum invocarent, eumque multis laudibus, precibusque placare studerent.* Quorum plurimi nulla interposita mora, adhibitis precibus in ecclesiam admissi, sacro baptismate loti sunt, ut narrat Nazianzenus, & Sozomenus, Orosius vero addit Julianum phiteatrum Hierosolymis extrui jussisse, *in quo reversus a I this, Episcopos, monachos, omnesque ejus loci sanctos, bt etiam arte sævioribus objiceret, spectaretque laniandos*, c' us nefanda consilia Deus evertit, nam paulo post, eodem Bello Persico periit, ut sequenti anno videbimus.

Signum Crucis in Judæorum vestibus apparet.

Nazianz. ut sup.

62. Hoc etiam tempore, cum Judæi, & Gentiles Christianos impune grassarentur, Christi statuam, quam Pancade Hemorovssa Christo erexerat, subverterunt, injuriisque affectam contriverunt: *Regnante Juliano*, ait Philostorgius, *gen-*

Christi statua a gentilibus raptata frangitur.

JESU CHR. AN. 362. *gentiles, qui Paneadem incolebant ad impietatem incitati, a basi sua revulsam, funibus ad pedes circumligatis per mediam plateam traxerunt. Post hæc reliquum quidem corpus distrahentes confregerunt, caput vero inter trahendum a cervice disjunctum nonnulli clanculo abripuerunt, & quoad fieri potuit conservarunt*, quod se vidisse Philostorgius testatur: paulo aliter rem narrat Sozomenus, Julianum scilicet Christi statuam dejecisse, eodemque loco suam posuisse. At Idolum Dagon in locum Arcæ diu stare non potuit, nam ignis summa vi e cœlo delapsus, pectus statuæ, & vicinas pectoris partes discidit, caputque una cum collo dejecit.

Euseb. hist. li. 7. 15. Philostor. lib. 7. 3. Sozom. lib. 5. 21.

Victricii confessio fidei. Paulin. epist. 26.

63. In Galliis etiam Juliani persecutionem sæviisse, ex Victricii certamine patet, qui cum eo tempore miles esset, Christi amore succensus, ut ait Paulinus, ante pedes sacrilegi Tribuni *militiæ sacramenta permutavit*, ac militari abjecto cingulo, se Jesu Christo inposterum militaturum fore testatus est, qua de causa fustibus primum verberibusque contusus in teterrimum carcerem testarum fragmentis stratum conjectus est. Ad majorem etiam pugnam reservatus, & deinde Christi fidem confessus, capitalem sententiam promeruit. Deo tamen protegente illæsus abiit; nam cum carnifex cervicem ejus insultans minaciter tetigisset, cæcitate percussus, temeritatis suæ illico pœnas dedit; eodemque tempore resolutis repente catenis Christi Martyr solutus apparuit. Quare milites: *Ad Comitem pavidi cucurrerunt, veritatem Dei pro confessoribus confitentes, quod auditum religiose & creditum Comes Principi suo cum testimonio militum retulit. Et ut ipsius quoque repentina ad clementiam de furore conversio inter mirabilia Dei numeraretur, factus est in te prædicator Christi, in quo esse devoverat persecutor*, ait Paulinus de Victricio, quem ...a Rothomagensem Episcopum doctrina, & sanctitate ce...imum fuisse scimus.

Victricius capite damnatus, miraculo liberatur.

...64. Interea cum Julianus sciret, ad christianæ fidei propagationem, præter crebra miracula, doctrinæ quoque sanctimoniam, morumque pietatem, non minimum contulisse, easdem morum regulas Idololatris imitanda proposuit, eaque ratione Idolorum cultum se facile restituturum fore sperabat: *Imperator jam pridem id maxime studebat, ut gentilium religio per universum Romanum imperium prævaleret; eum a christianorum Religione longe superari cernens, iniquo animo tu-*

Sozom. li. 5. 16

tulit. Nam templa quidem Deorum patebant: & sacrificia, festique gentilium dies, ritusque majorum in singulis civitatibus ex voto Principis procedere videbantur. Dolebat tamen, cum apud se reputaret, brevi ista commutanda esse, si cura ipsius, ac sollicitudine destituerentur. Angebatur autem non mediocriter, cum audiret, multorum Flaminum uxores, ac liberos, & famulos christianam religionem profiteri. Cumque existimaret, christianorum religionem ex vita & moribus eorum, qui illam sectarentur, maxime commendari, gentilium templa apparatu, atque ordine christianis usitato ornare constituit: gradibus præterea, ac primi consessus prærogativa, gentilium item dogmatum, & exortationum doctoribus, atque lectoribus, certorum quoque dierum, atque horarum statutis precationibus, Monasteriis præterea virorum, ac mulierum philosophari cupientium, Xenodochiis denique, & Prochotrophiis, & omni reliqua erga egenos humanitate religionem gentilium illustrare. Ad hæc peccatis, quæ vel sponte, vel ab invitis committuntur, juxta morem christianorum congruam pœnitentiæ emendationem adhibere decreverat. Sed præcipuæ notas, ac tesseras episcopalium litterarum admiratus esse dicitur, quibus solent peregrinos sibi invicem commendare, ut undelibet venientes, ad quoscumque accesserint, tamquam noti, atque amici excipiantur hospitio, & benigne curentur ob testimonium ejusmodi notæ. Hæc cum animo agitaret, operam dabat, ut Gentiles Christianorum institutis assuefaceret.

JESU CHR. AN. 362.

65. Quanto autem studio in id insudaverit Julianus, testis est ejusdem epistola ad Arsacem in Galatia Idolorum sacerdotem, quam ceteris quoque per Orbem Romanum, gentilitiæ superstitionis sacerdotibus, communem reddidit: *Religio gentilium*, ait Apostata, *nondum ex animi nostri sententia viget, culpa eorum qui illam profitentur; nam ea quidem, quæ ad Deos pertinent, præclara sunt, atque magnifica, omnique voto ac spe majora*; post pauca: *Nec attendimus, quid christianorum religionem potissimum auxerit, humanitas scilicet i[n] peregrinos, & in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, & simulata morum gravitas*; eamdemque morum gravitatem c[...] Deorum cultoribus imitandam proponit, ac præc[...] ab Idolorum sacerdotibus, quos etiam a sacerdotali mini[sterio] removendos esse admonet, nisi una cum uxoribus, & liberis totaque familia Deorum cultum sequerentur, aut servos, filios,

Juliani epist. ad Arsacem Idolorum Sacerdotem.

con-

conjuges christianos esse paterentur. Singulos etiam Flamines hortatus est, ne ad theatrum accederent, aut tabernas frequentarent, vel artem ullam, aut opificium turpe exercerent. Insuper ut in singulis civitatibus Xenodochia aperirentur hortatur, ut cujuscumque sectæ homines, christianorum exemplo, reciperentur, iisque quot annis triginta millia modiorum tritici per universam Galatiam, & sexaginta millia sextariorum vini se destinasse narrat. Turpe quippe esse addit, ex Judæis quidem neminem mendicare, christianos vero præter suos, ceteros etiam cujuslibet sectæ homines alere, Idolatras vero suæ religionis socios omni subsidio destitutos relinquere: *Doce ergo Gentiles, ut ad hujusmodi ministeria aliquid conferant, & Gentilium pagi primitias fructuum Diis offerant. Et græcos homines hujusmodi beneficentiæ assuefacito, docens illos, id olim a nobis institutum fuisse. Homerus enim Eumæum sic loquentem inducit:*

JESU CHR. AN. 362. Morum regulæ a Juliano Sacerdotibus aliisque Idolorum ministris datæ.

Haud mihi fas, vel si veniat te vilior hospes,
Quemquam despicere. A summo nam sunt Jove cuncti,
Qui peregre adveniunt.

Et ne sacerdotum culpa, Idolorum religio contemptui esset, hæc Arsacio ceterisque Flaminibus servanda præcipit, ut Præsides domi raro adeant, sed litteris potius pro necessitate conveniant, iisque in urbem ingredientibus nullus flamen occurrat. Cum templa Deorum adierint, intra vestibulum dumtaxat occurrant. Intrantes vero illos nullus apparitorum præcedat, sequatur autem, qui volet; nam simulatque ingressus est limen delubri, quacumque dignitate fulserit privatus efficitur, cum in eo Sacerdos tantummodo potestatem auctoritatemque habeat. Hæc aliaque Julianus ad Arsacem in Galatia Idolorum Pontificem, quibus catholicæ Ecclesiæ morum sanctitas, & in pauperes effusa charitas mirifice commendatur, dum Idolorum cultoribus imitanda proponitur.

66. Inanem hanc Juliani, in restaurando Deorum cul[illegible]m, ac [illegible]stianos mores, christianosque ritus ad Gentilium superstit[illegible] transferendos sollicitudinem, tamquam delirantis com[illegible]tum exagitat Nazianzenus. Inter cetera *scholas quidem in omnibus civitatibus, & sacraria, subselliaque partim altiora, partim humiliora extruere parabat, prophanorum etiam*

[illegible] lium, exagitatus.

Greg. Nazianz. pag. 92. orat. 2. in Julian.

etiam dogmatum lectiones, & explicationes instituere, tam quæ mores componerent, quam quæ in abstrusiorum rerum tractatione versarentur: tum precationum alternatim canendarum formam, ac supplicii in eos, qui peccarent pro delicti modo constituendi; initiationum item, & perfectionis, atque omnia, quæ nostræ haud dubie disciplinæ sunt. Diversoria etiam, & hospitales domos ædificare, monasteria item, & Virginum cœnobia instituebat, simulque humanitatem, & benignitatem erga pauperes adjungere, cum in aliis rebus, tum in commendatitiis epistolis sitam, quibus eos, qui inopia premuntur, ex gente ad gentem transmittimus, quæ videlicet ille in nostris rebus præsertim admiratus fuerat. Atque hæc quidem novus iste dogmatistes, & Sophista in animo habebat. Frustra tamen ea tentasse pluribus prosequitur; nam christiani ritus & mores utpote ex Apostolis, vel Apostolicis viris derivati, atque ex purissimis Evangelii fontibus hausti, cum hominum inventis, aut Ethnicorum superstitionibus componi nequaquam possunt. Sed de Juliani gestis hoc anno satis.

JESU CHRISTI AN. 363. Liberii Papæ 12.
Joviani Imperatoris 1.
Coss. Juliano Aug. IV., et Sallustio.
Olymp. 285. an. 3. Urbis. an. 1116.

1. De Sallustio hujus anni Consule adnotat Ammianus: *Videbatur novum adjunctum esse in Consulatu privatum hominem, quod post Diocletianum & Aristobolum nullus meminerat gestum.* At Maximianus Consulatu suo undecimo Januarium habuit socium, ut in Fastis legitur. Sallustium vero hujus anni Consulem, & Galliarum Præfectum Prætorii, ab altero Sallustio Præfecto Prætorii Orientis distinguendum esse, multis argumentis contra Baronium, aliosque probant eruditi viri.

De Sallustio Consule. *Amm. Marcell. lib. 23. 1.*

Pag. nor. 32. ad an. 362. Murator. Basnag. ad an. 363.

2. Ad rem nostram quod attinet, eodem tempore quo Christi Ecclesiam vexabat atque infanda minitabatur Julianus, ad Persicam expeditionem necessaria parabat, divinæ tamen iræ, & imminentis vindictæ indicia multa præcesserant. Marcellinus in expeditione Persica Juliano comes, & testis oculatus hæc narrat: *Julianus hoc anno Sallustium creavit Consulem, Apronianum Romæ decrevit esse Præfectum, Octavianum Proconsulem Africæ, Venusto Vicario commisit Hispanias,*

De Juliani interitu, divinæ vindictæ prædia. *Marcell. lib. 23. 1.*

Jesu Chr. Ann. 363. & Ruffinum Aradium Comitem Orientis in locum Avunculi sui Juliani recens defuncti provexit: quem, ob direpta & violata vasa Antiochensis ecclesiæ, horribili plaga protinus a Deo immissa, vermibus consumptum interiisse, anno proximo diximus: *Quibus ut convenerat ordinatis, terrebatur omine quodam, ut docuit exitus, Felice largitionum Comite, profluvio sanguinis repente extincto*. His alia ejusdem generis addit, cum scilicet eo intrante templum Genii publici, sacerdos repente concidens expiravit: *Eodemque tempore nunciatum est Constantinopolim terræ pulsu vibratam, Romæ vero super hoc bello Persico libros Sybillæ consultos, ut jusserat, Imperatorem eo anno discedere a limitibus suis, aperto prohibuisse responso*. Quin Sybillini libri una cum Apollinis templo, in quo servabantur, *decimo quarto Kal. Aprilis* igne consumpti sunt, quibus portentis Dei vindicta in Julianum, & in Romanum Imperium portendebatur, & sane ut auctor est Sozomenus: *Quamdiu Imperator iste regnavit, Deus perpetuo indignari visus est, & in multis Provinciis Romanos diversis calamitatibus afflixit*.

Sozom. li. 5. 8.

Sozom. li. 6. 2.

Julianus temere Persas aggreditur. Nazianz. orat. 2. in Julian. pag. 103. Marcell. lib. 22. Zosim. lib. 3.

3. At Julianus præsagiis spretis, ac sola gloriæ cupiditate incensus, duplici stipatus exercitu, ut ait Nazianzenus, militum uno, Dæmonum altero, in quorum ope tota ejus fiducia nitebatur, *adversus Persas expeditionem suscipit, præcipiti temeritate potius, quam virium firmitate fretus &c.* Ejusdem iter & gesta Marcellinus expeditionis & itineris socius, pluribus describit, ex quo præcipua tantum adnotamus. Constantinopoli itaque egressus, Nicomediam primum, deinde Antiochiam perrexit; eoque in itinere adversus christianos passim indicia reliquit. Quid in Cæsarienses ob incensum Fortunæ templum statuerit, anno proximo narravimus; quo etiam tempore cum Cæsariensis ecclesia vacaret, atque in duas partes scissa esset, Julianus qui illuc aderat magis, magisque in Cæsarienses ea de re excanduit: *Aderat Imperator adversus Christianos fremens*, inquit Nazianzenus, *atque hanc electionem irato, atque infenso animo ferens, gravesque in eum, qui ordinatus fuerat minas intendens*. Inter episcopos, qui ad ordinationem convenerant, aderat Nazianzenus senior, qui Præfecto minitanti, maxima cum animi libertate respondit.

Nazianz. orat. in funere Patris to. 1. pag. 279.

Basilii, & Eupsychii martyrium. Sozom. li. 5. 11.

4. Eupsychium vero, & Basilium Cæsareæ cum esset, Martyres effecit: *Eodem tempore*, ait Sozomenus, *martyrio vi-*

vitam finiisse dicuntur Basilius Ancyranæ ecclesiæ Presbyter, & Eupsychius Cæsariensis Cappadox, nobili genere ortus, qui recens uxorem duxerat, & adhuc quasi sponsus erat. Et Eupsychius quidem, quantum conjectura assequor, propter templum Genii publici interfectus est, quo tunc temporis destructo, universi Cæsarienses, sicut antea retulimus, in Principis offensionem venerunt. Qui vero templum illud suis manibus subverterant, pœnas dedere, alii morte, alii exilio multati. Basilius vero Ancyranæ ecclesiæ præsbyter, cum catholicæ fidei vindex esset acerrimus, quamdiu imperavit Constantius, fortissime Arianis restiterat; ubi vero Julianus Imperio potitus est, regionem circumiens, christianos palam ac publice hortabatur, ut in christiana Fide perseverarent, nec Gentilium sacrificiis, aut libationibus sese polluerent; aliquando vero cum Gentiles publice sacrificantes vidisset, Deum palam precatus est, ne quis Christianorum ejusmodi errore caperetur. Quare comprehensus, ac Præsidi oblatus, multa in eo certamine perpessus tormenta, forti animo martyrium consummavit. Basilii Acta, ex Bollando recitat Ruinartius.

JESU CHR. AN. 363.

Ruinart. pag. 650.

5. *Et quoniam ad hunc sermonem devenimus*, cum Sozomeno addimus, *opportunum videtur, ut Eusebii, Nestabii, & Zenonis fratrum mentionem faciamus. Quos populus Gazeorum odio prosequens, tunc temporis domi abditos comprehendit. Ac primum quidem in carcerem eos conjecit, & flagris verberavit.* Deinde cum Gazenses convenissent in theatrum, adversus eos graviter conquesti sunt eo quod superioris temporis opportunitatem nacti, ad eversionem Græcanicæ religionis abusi essent. Cumque ita vociferarentur, & in cædem illorum sese mutuo furenti animo concitarent, semetipsos cohortati, ad carcerem properarunt, eosque inde eductos crudelissimo mortis genere interfecerunt, pro arbitrio, lapidibus, fustibus, & cujusquemodi telis, quæ ad manum essent, eos cædentes; quin, subdit Sozomenus, audivi etiam mulieres relicta tela ex domo progressas radiis illos pupugisse, & cocos, qui in foro erant, partim ollas aqua ferventi bullientes focis abreptas, eis superfudisse, partim verubus eos transfixisse, quorum corpora extra urbem cremata cum ossibus camelorum, asinorumque permixta sunt, ne facile distingui possent. Ea nihilominus mulier quædam christiana, Deo jubente, noctu collegit, ac Zenoni eorum consobrino custodienda

Eusebii, Nestabii, & Zenonis martyrium.

Sozom. li. 5. 9.

I 2 tra-

Jesu Chr. an. 363. tradidit. Is vero cum aliquanto post Gazeorum episcopus ordinatus fuisset, Theodosii Imperatoris tempore ecclesiam extra urbem ædificavit, & altare erexit, ubi Martyrum reliquias deposuit juxta Nestorem Confessorem, qui una cum supradictis Martyribus comprehensus, vincula, & flagella pertulerat, crudeliter deinde raptatus, tandem extra urbis portas tanquam mortuus, aut mox moriturus relictus fuerat; sed inde elatus, ac in Zenonis episcopi domum delatus, paulo post animam exhalaverat, ut pluribus narrat Sozomenus.

Martyres in Phrygia Macedonius, Theodulus, Gratianus, & Busyrides. Sozom. lib. 5. cap. 11.

6. His addantur Martyres, qui in Phrygia passi sunt, idest Macedonius cum sociis, qui in urbe *Mero Idolorum templum nocte ingressi, simulacra contriverunt. Cumque alii tamquam hujus facinoris auctores comprehensi, & pœnas jam daturi essent, sese ipsi indicarunt.* Quibus cum provinciæ Præses persuadere non potuisset ut sacrificando scelus admissum diluerent, vario tormentorum genere excruciatos, tandem craticulis impositos, igneque subjecto, dum cremarentur: *Si carnes assas*, ajebant, *concupiscis, o Amacli*, (id enim nomen erat Præsidis) *alterum nobis latus ad ignem subverte, ne gustanti tibi insuaves videamur, si semiassi simus*; atque ita in tormentis animam exhalarunt. Ancyræ etiam in Galatia Busyridem ex secta Enchratitarum comprehensum, ac Præsidi Provinciæ oblatum Præses equuleo suspendi præcepit. At Busyris elatis manibus latera nudavit, dixitque Præsidi, non esse opus, ut lictores in equuleum levando, ac deponendo, frustra fatigarentur, se etenim latera quandiu vellet, tortoribus ultro præbiturum spondens: quod promiserat, facto comprobavit, nam quamdiu Præsidi placuit, elatis brachiis latera ungulis ferreis lanianda præbuit, conjectus deinde in carcerem, non multo post, vulgato Juliani Imp. interitu, dimmissus est, ac usque ad Theodosii tempora superstes, damnata Enchratitarum hæresi, ad Catholicam ecclesiam se contulit, ait Sozomenus, eademque de Macedonio, & Sociis narrat Socrates.

Socrat. lib. 3. 15.

Sozomeni avus Juliani persecutionem fuga declinat. Sozom. lib. 5. 15.

7. Hic cetera a Juliano in christianæ Religionis eversionem gesta referre superfluum judicamus, a Sozomeno præsertim adnotata. Hoc unum addimus, quod cum ea vigente persecutione, passim christiani fugerent, inter ceteros Avum suum Sozomenus commemorat, qui cum ex Patre gentili natus esset, ipse tamen cum universa domo, omnesque simul,

mul, qui ex gente erant Alaphionis, Christi fidem susceperant Bethelix, *qui vicus est Gazeorum*, incolarum multitudine clarus, templa habens magnifica, unde etiam Pantheon dicebatur, tanquam Deorum domicilium: additque eodem loco Sozomenus progenitores suos, ac totam Alaphionis gentem, qui primi illic christianam Religionem susceperant, Hilarionis monachi opera ad fidem fuisse conversos, cum Alaphionem ipsum a dœmone vexatum, quem nec Ethnici, nec Judæi incantationibus suis liberare potuerant, Hilarion Christi nomine invocato liberasset. De Avo suo insuper adnotat, eum in exponendis Scripturis sacris excelluisse.

JESU CHR. AN. 363.

8. Interea etsi Julianum Antiocheni perhonorificentissime excepissent; non multo tamen post, morum ejus serietatem, ac in spectaculorum editione sobrietatem ægre ferentes, cum raro ludos, nec toto die spectaret, iis contemptui eousque fuit, ut injuriosis etiam verbis insectarentur: *Ridebatur*, inquit Marcellinus, *ut Cercops homo brevis humeros extentans angustos, & barbam præferens hircinam, victimarius pro sacricola dicebatur, & culpabatur hinc opportune, cum ostentationis gratia vehens licenter pro Sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis lætabatur*. Aliis quoque irrisionibus exagitatum fuisse innuit Gregorius Nazianzenus: *Quid prohiberet nos quoque Romanorum Imperatorem, eodem ludo ulciscentes Idolirnum, & Pifeum, & Adoneum, & Tauricremum vocaremus, ut jam nonnulli quoque nostrum lepidi, & festivi homines appellarunt*. Julianus vero, ut Philosophorum more, acceptas ulcisceretur injurias, stylum magis, quam ferrum in eos acuit, ac edita oratione, quam Misopogonem seu contra barbæ derisores inscripsit, qua Antiochenos, urbemque eorum tanta cum irrisione lacessivit, ut Zosimo teste, *ubique terrarum deridendis* probris exposuerit: eademque oratione Antiochensium petulantiam, levitatem, in theatralibus ludis licentiam, ac immoderatam cupiditatem carpit: *Quam orationem tuam*, inquit Nazianzenus, *purpuratam & magnam readebant adulatores illi, qui tua omnia laudibus in cælum vehebant, nunc autem ea mera barba est, quæ corrumpitur, & raptatur, ac simul cum iis, a quibus elaborata est, irridetur*. Hæc, aliaque de Juliani Misopogone Nazianzenus, sed graviora nos revocant.

Julianus ab Antiochenis spretus; contra eos Misopogonem scribit.

Zosim. lib. 3. Marcell. lib. 22. 14.

Greg. Naz. orat. 1. in Julian. pag. 74.

Naz. orat. 2. in Julian. pag. 121.

Socrat. lib. 3. 17.

9. Id præcipue Juliani animum in Antiochenses exacerba-

Cur Julianus in Antiochenos infensus fuerit.

JESU CHR. AN. 363. baverat, quod eorum urbs christianorum plena esset, ac Idolorum cultus eousque defecisset, ut instante Jovis maxima solemnitate nullus fuerit, qui vel vilissimam victimam deorum Patri offerret, unde Sacerdos anserem, ne incoenatus dormiret, obtulit. Deorum itaque contemptum in Misopogone suo his verbis exagerat: *Decimo fere mense*, antequam eam orationem vulgaret, *patrium festum est hujus Dei*, idest Apollinis Daphnitici, *& magno studio ad Daphnem concurritur. Ego igitur ab Jove Casio*, e Syria superiori prope Seleuciam, ut adnotat Norisius, non vero in Arabia, ut apud Baronium: *Ego igitur a Jove Casio illuc advolavi, existimans, me ibi maxime vestras opes visurum, & magnificam aliquam pompam fingebam, & quasi somnians victimas, libationes, choreas in Deum, thura, pueros in Templo, tum animos dignissime Deo compositos, tum veste candida, elegantique illustres intuebar. Ingressus autem in Templum, neque thura, neque placentam, neque victimam ullam reperi, itaque continuo miratus sum, vosque extra templum esse suspicabar, sed honoris causa signum a me, tanquam Pontifice, expectare. Percontatus autem de Sacerdote, quid esset civitas in solemnibus illis feriis Deo sacrificatura: Ego, inquit ille, dono anserem istum Deo offero, civitas enim nihil hoc tempore apparavit*. Deinde: *Ego (o me pacis, & gratiae inimicum) cum Senatu gravibus verbis expostulavi &c.* Id etiam Antiochensibus exprobrat, quod christianorum ecclesiis largissime subvenirent, unde post multa: *Nunc vero unusquisque vestrum mandat uxori, ut omnia Galilaeis largiatur, quae ubi pauperes facultatibus vestris aluerunt, egregium impietatis miraculum egentibus, quorum plena sunt omnia, ostentant*. Haec aliaque Julianus in Antiochenos, quae longum esset exscribere.

Norisi dissert. II. Baron. 362. n. 88.

Juliani in sacrificiis nimia frequentia. *Amm. Marcell. lib. 22.*

10. In sacrificiis autem offerendis assiduus ita & copiosus erat Julianus, ut sanguine plurimo hostiarum aras continuo perfunderet: *Tauros, aliquoties immolando centenos, & innumeros varii pecoris greges, ovesque candidas terra quaesitas & mari*, adeo ut ex carnibus sacrificatis, totum exercitum ad satietatem usque aleret, ut Marcellinus adnotat, qui de immodicis ob sacrificiorum frequentia impensis subdit: *Augebantur caeremoniarum ritus, immodice cum impensarum amplitudine, ante hac inusitata & gravi, cumque ad aras Deorum suorum assidue tauros immolaret, aram, & taurum*

rum nummis suis insculpi jusserat, ait Socrates. Unde Antiocheni, *taurum in ejus nummis insculptum esse ajebant, a* [illegible] *scilicet evertendus esset Orbis terrarum*, extantque etiam nunc Juliani numismata, in quorum postica taurus, & ara, vel taurus, & aquila insculpta sunt. Id etiam Iuliani animum in Antiochenos exacerbaverat, quod Apollinis oraculum, quod in Daphne erat, mutum eorum culpa, ut putabat, evasisset, tum quod Deos spernerent, tum etiam, eo quod in viciniis templi Apollinis S. Babylæ reliquias locassent, quare in Antiochena oratione: *Odiosam istam severitatem septimum jam mensem perpessi, vota quidem & preces quo tantis malis eripere-mur ad vetulas demisimus, quæ circa sepulchra mortuorum assidue versantur*; & de silentio Apollinis: *Mihi quidem*, ait, *videtur Deus multo ante conflagrationem templo excessisse, etenim primo statim introitu statua ipsa id mihi indicavit, atque hujus rei testem appello magnum Solem adversus eos, qui nolint credere*.

Socrat. ut sup.

Oraculum Daphniticum mutum redditum ob Babylæ reliquias.

Julian. in Misop.

11. Hinc ut iterum Apollinem loquacem redderet, S. Babylæ reliquias alio transferri jussit. Cum templa gentilium in urbe Antiochia aperiri jussisset, oraculum ab Apolline Daphnæo accipere omni studio contendebat; sed cum in templo habitans Dæmon, vicinum veritus Babylam martyrem, nihil responderet: *Imperator loculum confestim transferri jubet*. Quod ubi christianis, qui Antiochiæ erant, palam factum est, simul omnes effusi cum mulieribus, & parvulis, loculum ex Daphne cum gaudio psalmos concinentes, in urbem transtulerunt, ait Socrates. Sozomenus vero multa de Apollinis Daphnitici statua, de loci amœnitate, de ecclesia a Gallo Cæsare in honorem S. Babylæ martyris, ex adverso templi Apollonis extructæ subdit, de reliquiarum vero translatione addit, Iulianum in Antiochenos ea de causa excanduisse, *quasi contumelia affectus fuisset, & christianos suppliciis afficere decreverat*. Sallustius tamen Præfectus Prætorii, etsi Imperatoris consilium non probaret, nec refragari posset, multos christianorum comprehensos in vincula conjecit; at Theodori constantiam in tormentis perferendis admiratus, in alios sævire cessavit. Eadem de Apolline ob reliquias Babylæ obmutescente, deque earumdem Reliquiarum solemni translatione sub Juliano, Chrysostomus narrat, qui utpote Antiochenus, & coævus omnem sibi vindicat auctoritatem, ac auditores ipsos rei gestæ

Julianus S. Babylæ reliquias alio transferri jubet.

Socrat. 18.

Sozom. lib. 5. 19. 20.

testes advocabat: *Ex iis*, inquit, *qui ea viderunt superadbuc & senes, & juvenes, quos omnes obsecro, si quid ad me historiæ adjectum fuerit, in medium prodant, meque redarguant*.

Chrisost. orat. 5. contra gentes tom.

Conflagratio Templi Daphnes.

12. Babylæ reliquiis translatis, non solum mutus Apollo perseveravit, sed nec diu stetit, nam magnificentissimum templum divina virtute una cum Apollinis statua paulo post conflagravit, cujus incendii Christianos auctores fuisse suspicans Julianus, inquisitionem fieri jussit; ad christianorum tamen invidiam hæc vulgata fuisse, vel ipsi scriptores Ethnici testati sunt, præceteris Marcellinus, audiatur: *Eodem tempore die undecimo Kal. Novemb. amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus condidit, subita vi flammarum exustum est. Quo tam atroci casu repente consumpto; id ad usque Imperatorem ira provexit, ut quæstiones agitari juberet solito acriores, & majorem ecclesiam Antiochiæ claudi: suspicabatur enim id christianos egisse stimulatos invidia, quod idem templum inviti videbant ambitioso circumdari peristylio*. Hæc Ammianus, qui levissimo rumore Asclepiadem philosophum incendio causam dedisse addit, quem accensis facibus illuc ingressum fuisse narrat; igne tamen cælitus immisso conflagrasse delubrum Chrysostomus aperte testatur:

[...]mpollinis [...]mplum de[...]struitur.

13. *Malignus Dæmon statim edoctus est, frustra sibi fraudis suæ artificia conficta, seque non jam certamen habere cum mortuo, sed cum eo, qui viveret, qui efficax esset, quique non se modo, sed omnes quoque dæmones fortitudine superaret. Is enim, nempe Babylas, Deum deprecatus, ignem in templum ut cælitus demitteret, totum illius tectum exussit, ipsoque idolo ad extremos usque pedes deleto, eodemque in cinerem, ac pulverem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipsi integri adhuc stant abstinuit*. Partem autem templi maximam, in divinæ vindictæ testimonium, intactam remansisse idem adnotat Chrysostomus, eodemque loco lugubrem orationem a Sophista quodam recitatam, quem Libanium fuisse conjicit Baronius, de lamentabili casu, non aliter ac si urbs tota direpta ac eversa fuisset, pluribus deridendam exponit, quæ apud Chrysostomum, aut Baronium videri possunt.

Bar. 362. n. 177.

Filius Sacerdotis ad Christi fidem convertitur.

14. Quo tempore Julianus Antiochiæ Apollinem sacrificiis suis placare studebat, filius cujusdam sacerdotis Idolorum

rum ad Christi fidem convertitur. Rem gestam Theodoretus sic narrat: *Per id tempus adolescens quidam filius Flaminis in falsa religione educatus, Christianorum corpori se adjunxit.* Mulier etenim quædam insigni pietate, & Diaconatus officio prædita, matris ejus familiaris erat; puerum autem una cum matre ad eam venientem, benevole amplectebatur, & ad pietatem cohortabatur. Mortua interim matre, adolescens nihilosecius mulierem christianam adibat, ut consueta ejus institutione frueretur. Christianæ itaque fidei desiderio incensus, qua ratione id fieri, ac paternam superstitionem impune effugere posset, magistram interrogavit; cui illa, patrem fugiendum esse respondit, atque alibi properandum ubi latere posset, & impii Principis manus evadere; ipsa vero id sibi curæ fore pollicebatur. Cumque quadam die Daphnem Julianus transiisset publicum epulum celebraturus, unaque cum eo adolescentis pater, quippe qui & flamen esset, & Imperatorem affectari soleret, capta opportunitate ad mulierem Flaminis filius profectus: *Ego quidem*, inquit, *adsum, nec fidem datam fefelli, tu vero saluti & animæ, & corporis mei consule, & presta, quod promisisti.* Theod.li.3.14

15. Illa vero adolescentem ad Meletium deduxit, qui juvenem aliquandiu manere jussit in superiore domus c[...]culo. At pater filium suum quærens, Daphnem circumire cepit. Reversusque in urbem vicos omnes, & compita perambulabat, oculos quaquaversus conjiciens investigandi causa. Postquam vero ad locum venit, in quo domicilium erat Meletii, sublatis oculis videt illum per cancellos prospicientem; statimque ingressus corripuit eum, atque abduxit; & domum reductum primum quidem verberibus affecit ac in cubiculo inclusit: *Hæc ego illum jam senem narrantem audivi*, ait Theodoretus. Qui & addidit se divino numine afflatum, & cœlesti repletum gratia, patris simulacra omnia contrivisse. Postea vero patris iram metuens, se Christum orasse narravit, ut opem sibi f[...]ret ac apertis claustris fores aperirentur. *Tua enim causa*, ajeb[...] *hæc pertuli, hæc feci: Hæc cum dicerem, subito ceciderunt claustra, & fores apertæ sunt. Tum ego rursus [...] magistram cucurri.* Illa vero adolescentem muliebri indu[...] veste ad Meletium iterum perduxit, cujus opera ad Cyri[...] Hierosolymorum episcopum caute perductus est [...]ui postea Antiochiam sub Valentis Imperio rediens, *patrem suum ad [...]eram* E paterna domo aufugit, miraculo ab ira patris liberatur.

JESU CHR. AN. 363.

religionem perduxit, Nam & hoc inter alia nobis narravit, ait Theodoretus.

Julianus fontes, & esculenta libationibus inquinat.

16. Interea Julianus, ut Antiochenos ab Idolorum cultu alienos vel invitos sacrificiis, & libationibus Idolorum participes efficeret, fontes qui in urbe, ac in suburbano erant, abominandis sacrificiis inquinavit, ut quicumque aquam gustassent, communione sceleris inficerentur. Cuncta etiam, quæ in foro venalia erant, panes & carnes, olera item, ac poma, cuncta denique cibaria lustrali aqua adspergebantur. Christiani autem etsi ægre id ferrent, edebant tamen obtemperantes legi Apostolicæ: *Omne quod in macello venundatur, comedite nihil interrogantes propter conscientiam.*

Theod. lib. 3. 15. Ad Corinth. 1 10.

Martyrium Juventini, & Maximi militum.

17. Eodemque tempore, cum Juventinus, & Maximus honoratioris militiæ viri, scutarii enim, & stipatores Imperatoris erant, temporum suorum infelicitatem deplorarent, glorioso martyrio vitam finierunt, ajebant enim: *Tradidisti nos Regi iniquo Apostatæ super omnes gentes Orbis terrarum.* Quare ad Imperatorem perducti, ac interrogati cur hæc dixissent: *Nos*, responderunt, *in vera pietate educati, o Imperator, & præstantissimis legibus obtemperantes, quas scilicet Constantinus, ejusque filii tulerunt, lugemus nunc, abominatione cuncta abs repleri cernentes, & scelestis sacrificiis cibos, potumque contaminari. Hæc nos & domi deflevimus, & nunc apud te lamentamur. Hoc enim unum in tuo imperio moleste ferimus.* His auditis Julianus gravibus illos, atque acerbis tormentis excruciatos vita privavit; supplicii causam, non pietatem, pro qua interfecti sunt, sed linguæ petulantiam prætexens, eo quod Imperatorem contumelia affecissent. Atque hæc ita divulgari præcepit, cum nomen, atque honorem martyrii Fidei Confessoribus invideret. Eos nihilominus Antiochenses tanquam Martyres venerati, in splendido monumento reposuerunt, in quorum festo S. Joannes Chrysostomus orationem habuit, qua eorum certamina narrat, de quibus die 25. Januarii in Græcorum, Latinorumque martyrologiis occurrit mentio.

Theod. ut sup.

Publiæ matronæ elogium.

18. Inter Antiochenos cives Publia matrona præteriri non debet, quæ fidei constantia pietateque illustris, pro Jesu Christo contumelias pertulit: *Fuit his temporibus Publia quædam, ob virtutis præstantiam, & ob eximios actus notissima, ac celeberrima. Hæc cum aliquandiu matrimonii jugo fuisset adstricta, fructum plane admirabilem obtulit Deo: Joannes enim*

Theodor. lib. 3.19.

is, qui presbyterorum Antiochiæ diutissime Princeps fuit, & qui ad regendam Apostolicam Sedem sæpe quidem communibus suffragiis electus est. Joannem Chrysostomum a Theodoreto hoc loco designari, Græci communiter credunt, ut apud Menologii auctorem videre est die nona Octobris, quo Publiæ nomen legitur; sed ut recte adnotavit Baronius, mater Chrysostomi non Publia fuit, sed Anthusa, nec Juliani ætate senex erat, ut de Publia dicitur, nec Chrysostomus longo tempore Ecclesiæ Antiochenæ archipresbyter fuit, ut de Joanne tradit Theodoretus; quapropter de alio Joanne Antiocheno presbytero ea intelligenda sunt. Joannes hic Apameæ postea Episcopus fuit a Meletio ordinatus, ut alibi narrat Theodoretus, sed Publiæ Matronæ historiam prosequimur.

JESU CHR. AN. 363.

Baron. 362. 133.

Theodor. lib. 5.4.

19. Hæc igitur cum cœtum virginum, quæ perpetuam virginitatem sectabantur, secum haberet, creatorem ac servatorem Deum assidue laudabat. Cum autem Imperator prætergrederetur, contentiori voce eos præcipue Psalmos canebat, in quibus simulacrorum infirmitas deridetur, & una cum Davide dicebat: *Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: Similes ... fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in ei...* cum Julianus audivisset, ingenti dolore perculsus jussit. At Publia Imperatoris jussa parvipendens, ... reunte, eadem canere perseverabat addens: *Exsurgat dissipentur inimici ejus*. Quare graviter commotus Julia... bliam ad se adductam, nec canitiem ejus miseratus, ... mi constantiam, uni e satellitibus suis jussit, ut in ... genis cæderet, & cruentaret. Illa vero contumelian... honoris loco ducens, in cubiculum regressa, Tyrannu... ritalibus, ut solebat, canticis perstringere posthac non ... stitit.

Publia Idola deridet alacris Juliani jussu cæditur.

20. De Juliani persecutione, & de gestis ab eo Antiochiæ pra... pua narravimus: cetera brevitatis studio præterimus, ut eum ... Persicum bellum proficiscentem comitemur; cui cum gentes p... rimæ Romanis sociæ auxilia obtulissent, recusavit ...: *Non decere adventitiis adjumentis rem vindicari Romanam ... is opibus foveri conveniret amicos, & socios, si auxilium ... gerit necessitas implorare*. Solum Arsacem Armeniæ regem ... copias parare jussit, ait Marcellinus; extatque adhuc ejus ... d Arsacem

Marcell. 23.

facem

Jesu Chr. facem epistola, qua, ut adnotavit Sozomenus, non solum ultra modum se efferebat, ac Constantinum ut ignavum, & impium carpebat, sed & Arsacem, utpote Christianum, unaque cum eo Jesum Christum, cui Arsaces serviebat, injuriosis exagitabat verbis, denuncians etiam, quod si imperata non fecisset, frustra opem a Christo sibi adfuturam sperabat. Juliani autem epistola, quam inter Anecdota Græca Muratorius edidit, hæc inter cetera habet: *Ad aciem propera Arsacie, celerius quam sermo, dexteram contra Persicum furorem obarmans, noster enim bellicus apparatus, animique promptitudo alterutrum constituit, aut naturæ debitum persolvere, postquam in plana Parthorum expeditione maxima confecerimus, atque adversarios gravissime affecerimus, aut iisdem in servitutem redactis, Diis nostra gubernantibus, in patriam reverti victores, trophæis adversus hostes statutis*. Tandem minacibus hisce eum verbis affatur: *Si aliter, quam tibi imperatum est feceris, scito funditus domo, atque exciso Armeniorum Imperio, te Persici furoris appendicem fore. Communem vero tecum calamitatem subibit Nesibiorum civitas, cælestibus Diis hoc olim nobis prænunciantibus*. Hactenus de Juliani epistola ad Arsacem, nil tamen ea speciatim adver[...] Christum continet, etsi in Arsacem, & Nisibenos, utpo[...]ianos minæ non desint; unde stylus, & argumentum & Sozomeni auctoritas, de ejusdem veritate vix permittunt.

AN. 363.

Sozom. li. 6. 1.

Murat. Anecd Græc. pa. 334.

Duplici itaque exercitu stipatus, hominum altero sexmillibus militum, ut ait Zozimus, altero dæmonum, Nazianzenus; *eoque decenti ordine præmisso egressus est [...]a. tertio* nonas Martias. Cui cum multitudo promis[...]tum felicem, reditumque gloriosum exoptaret, oraretque, ut deinde placabilis esset, & lenior; asperius nihilominus respondit, se eos non ultra visurum, ac destinasse hyemandi gratia, per compendiariam viam Tharsum Ciliciæ reversurum. Et hoc haud diu postea contigit, ut adnotat Marcellinus: *Corpus namque ejus illuc relatum, exequiarum humili pompa in suburbano sepultum est*. Sed de Juliani interitu, & sepult[...]ra. Antiochia itaque digressus, quinta die Heliopoli[...] venit, ubi triduo moratus, Barnas Osdroenæ oppidulum pertransiit, inde cursu prospero Carras pervenit.

[...] ut sup. Julian. epi. 16.

22. Quo tempore Bæream Julianus transiit, ex Bæreensibus

Bærensis civis quid Juliano responderit.

fibus vir illuſtris, & conſpicuus filium ſuum domo expulerat palamque abdicaverat, eo quod chriſtiana abjurata Fide, ad Idolorum cultum defeciſſet. At filius Imperatorem adiit injuriam ſe a Patre religionis cauſa paſsum conquerens; quem Imperator ut bono animo eſſet hortatus eſt, patrem ei ſe reconciliaturum pollicitus. Quadam vero die, cum Decuriones, & honoratos ad convivium vocaſſet, inter hos erat adoleſcentis pater, quem una cum filio in eodem ſecum ſtibadio juſſit accumbere. Sub medium vero prandium ad patrem converſus: *Æquum mihi non videtur*, inquit, *vim facere ſententiæ, quæ in diverſum feratur, & quæ alio revocari nolit. Proinde noli filium tuum cogere, qui cultum tuum ſequi recuſat. Nam nec ego te cogo, ut cultum meum ſequaris, quamvis facile poſſim te ad hoc compellere. Tum ille fide divina animatus: De iſto*, inquit, *ſcelerato, Deoque inviſo loqueris, Imperator, qui mendacium prætulit veritati? Ad hæc Imperator perſonam induens manſuetudinis: Deſine*, inquit, *conviciari, vir bone; converſoque ad juvenem vultu: Ego, inquit, tui curam geram, quando patri tuo perſuadere non potui, ut id faceret.* Eodemque tempore Antiochenſis quidam civis Libanio Gentili oratori interroganti, quid Filius Fabri ageret (ſic Chriſtum ore blaſphemo vocabat), Imperatorem brevi moriturum, reſpond[it]: *Loculum enim*, inquit, *fabricatur hujus univerſi Condi[tor], quem tu Fabri Filium per ludibrium appellas. Nec multis poſt diebus nuntius de morte illius allatus eſt, & ipſe in loculo jacens advectus; ac minarum quidem inanis apparuit jactantia, Deus autem glorificatus eſt.*

Theodor. lib. 3. 22.

cap. 23.

23. Prætergreſſus interea Edeſſam propter odium incolarum, nam teſte Sozomeno, ea civitas jam inde ab initio univerſa Chriſti fidem ſuſceperat, Niſibim pertranſiit, ubi octies mille gravis armaturæ milites ad loci munitionem reliquit, quorum duces fuerunt Procopius, & Sebaſtianus, ait Zozimu[s], quo loco Procopium conſanguineum ſuum purpura induit, ait Ma[r]cellinus, atque ut fidenter principatum arriperet, ſi apud P[ar]thos ſe interiiſſe audiret, mandavit. Romani deinde Impe[rii] fines tranſgreſſus, relicta Niſibi, Euphrate trajecto, Ct[eſi]phontem uſque validiſſimam urbem, nullo fere r[eſiſt]ente, pervenit, cujus iter minutiſſime Ammianus itineris ſoc[ius] deſcribit; ſed nobis cum Gregorio Nazianzeno adnotare [ſu]fficiet, conatus quidem ipſius principia perquam felicia fauſtaque fuiſſe.

Julian[us] fit...

Greg. Nazianz. orat. 2. in Julian. pag. 104.

JESU CHR. AN. 363.

se. Nam totam Assyriæ partem, quam perfluit Euphrates transiit, nonnullaque castella omni præsidio destituta diruit, ac Chtesiphontem usque perveniens, ibidem castra posuit, ratus *post hæc prosperitates adventare complures*, ait Marcellinus, hostias Marti ibidem plurimas litare constituit. Cumque ex decem tauris ad id paratis, vix unus mactatus, ominosa signa monstraverit, his visis exclamavit Julianus, Jovemque testatus est, nulla Marti imposterum se sacra facturum, *nec resacravit celeri morte præreptus*.

Marcellin. lib. 24. 6.

Juliani fortuna ex prospera adversa redditur.

Nazianz. ut sup.

24. Interea cum nonnulla hactenus feliciter Juliano cessissent, mutata repente fortuna, *velut arena pedibus subtracta, aut tempestate in navem illisa, res ipsi retro fluunt*, inquit Nazianzenus, nam frustra tentata Chtesiphonte, quam cum nec vi, vel obsidione capere, atque in potestatem redigere posset, aut ulterius cum exercitu, ac præsertim cum navalibus copiis transire prohibitus, cum mediam urbem interflueret Euphrates, ultra Chtesiphontem Euphratis partem haud minimam prætergressus per fossam quamdam, cujus vetera etiam vestigia extabant, ut gestandis navibus par esse posset, derivavit, eaque ratione naves retinuit, e fluvio ad fluvium tuto pervectas, idest ex Euphrate ad Tigrim, ut pluribus narrat Mar-[illegible]linus, qui & addit eodem tempore, levioribus prælhis ac [illegible]tionibus rem sæpe inter utrumque exercitum peractam [illegible]uisse.

[illegible]rodi-[illegible]inum, [illegible]et-[illegible]xiti-[illegible]

25. Dumque eo res essent, ac in magna animi anxietate Julianus esset, *quoque se verteret non habens*, vir quidam inter Persas non ignobilis ut Julianum deciperet, se ob gravissimas causas in offensionem Regis Persarum incidisse, ac ad Romanos transfugisse simulavit, eique persuasit, ut na[illegible]le frumentum, tanquam superfluum onus abjiceret, se [illegible]um in interiora Persidis ducturum facili via promittens. Quacum Julianum ejusque milites in interiora Persidis, per in[illegible] loca duxisset, ubi omnis victus copia defuit, nec spes ul[illegible]vadendi appareret, dux itineris, Romanis insciis, inopina[illegible]recessit: hostes interea instabant undique, quare languebat [illegible]ni exercitus, animisque concidebat; cum eodem tempore, aut und[illegible] [illegible]rent, aut quo se verterent Romani penitus ignorarent.

Juliani interitus, qua manu perierit.

26. In summa itaque & victus penuria, & rerum difficul-

cultate cum esset Romanus exercitus: *Ubi nihil humani proficerent sensus, diu fluctuantes, & dubii*, ait Ammianus, *exstructis aris, cæsisque hostiis, consulta Numinum sciscitabantur, utrum nos per Assyriam reverti censerent, an præter radices montium levius gradientes Chiliocomum prope Corduenam situm ex improviso vastare; quorum neutrum extis inspectis dicebatur, stetit tamen sententia, ut omni spe meliorum succisa Corduenam arriperentur*. Itaque decimo sexto Kal. Julii iter Romani ingrediuntur, at instantibus undique Persis pugna initur, magnaque fit Persarum strages, Romanorum tamen conditio vix melior evasit, nam redeuntibus paulo post ad pugnam Persis, & Romanorum terga invadentibus, maxima Persarum, Romanorumque strage pugnatum est. Inter Romanos Anatolius officiorum Magister periit, Sallustius Præfectus Prætorii vix salvus evasit, Julianus ipse, dum suos ad pugnam revocat, letali vulnere sauciatur, quo paulo post interiit: *Exorto jam die permota sunt castra*, inquit Ammianus, *hinc nos egressos, Persæ cum sæpe afflicti peditum stabiles pugnas horrerent, structis insidiis occulte comitabantur*. Cumque gravior evasisset pugna, Julianus inermis ad speculandum progressus, suorum audito periculo oblitus loricæ, scuto inter tumultum arrepto, properans, dum suis opem ferre ac prælium reintegrare [illegible]tur, hasta percussus est in ima jecoris fibra, quam dum a[illegible]lere dextra manu conatur, acuto utrimque ferro digitorum nervos sensit excisos: *Et provolutus jumento, præsentiumque [illegible] veloci concursu relatus in castra medicinæ ministeriis fovebatur. Moxque ubi lenito paulisper dolore, timere desiit, magno spiritu contra exitum certans, arma poscebat & equum, ut reviso prælio suorum fiduciam repararet, sed cum vires parum sufficerent voluntati, sanguinisque profluvio vexaretur, mansit immobilis, ideo spe deinceps vivendi absumpta, quod percunctando Phrygiam appellari locum illum, ubi ceciderat, comperit, hic enim obiturum se præscripta audierat sorte*. Hæc aliaque Juliani obitu Marcellinus, quem anno ætatis suæ trigesimo p[illegible]mo obiisse scribit.

Jesu Chr. an. 363.

Ammian. lib. 24.

Ammian. lib. 24.

27. An autem hostili ferro, vel Romano Julianus in[illegible]rierit, in incerto est, ac variæ de ejusdem inter[illegible] [illegible]piniones in vulgus sparsæ fuerunt, quas commemorat Na[illegible]zenus. Nonnulli enim a Persis eum jaculo confixum fuisse, temere huc, atque illuc vesane præsultantem tradiderunt, alii Romanum mi-

Incertus auctor necis Juliani.

Nazian. orat. 2. in Julian. pag. 105.

Jesu Chr. an. 363. militem gladio eum occidisse scripserunt; nec desunt, qui Saraceno cuipiam gloriam hanc ascriberent, aut Dœmoni. Libanius in oratione funebri in honorem Juliani dicta, cujus fragmentum historiæ suæ inseruit Sozomenus, Christianos Juliano insidias struxisse, non obscure his verbis innuit: *Profecto habenda est hostibus gratia, qui facinus, quod ipsi non admiserunt, nequaquam sibi arrogarunt, sed nobis concesserunt, ut cædis auctorem inter nostros quæreremus. Qui enim ex ejus vita nullam percipiebant utilitatem, hi scilicet, qui nequaquam juxta legum præscripta vivebant,* (idest Christiani) *& olim insidias ei struxerant, & tunc opportunitatem nacti eum peremerunt, tum reliqua omni injustitia ipsos ad id facinus impellente, quæ illo regnante nullam licentiam obtinebant, tum præcipue Deorum cultum, cui ipsi adversabantur.* Hæc Gentilis scriptor in Christianos infensus. Ammianus autem a Romanis Julianum percussum fuisse tradit; quod & Persæ ipsi Romanis exprobrarunt: *Juliani audita morte e saltibus nos hostes diversitate telorum, ac verbis turpibus incessebant ut perfidos, & lectissimi Principis peremptores, audierant enim ipsis quoque referentibus transfugibus, rumore jactato incerto, Julianum telo concidisse Romano.* Socrates autem aliorum de Juliani ..ritu relatis opinionibus, subdit: *Verum Callistus, qui in.. protectores Imperatoris domesticos militabat, & qui res ejus gestas heroico carmine conscripsit, bellum hoc enarrans, Principem a dæmone percussum interiisse tradit, quod quidem ille for.a.. ut poeta finxit, fortasse vero ita se res habet, multis enim ultrices furiæ lætum intulere.* Quarto itaque consulatu suo, quem cum Sallustio collega gesserat, die sexto Kal. Julii in Perside extremum diem clausit Julianus, tertio Imperii anno, Cæ..reæ dignitatis septimo, ætatis 31. *Sed sive Angelus, sive homo ..um percusserit, certum est, quicumque tandem id fecerit, eum ..ivinæ voluntatis administrum fuisse*, ait Theodoretus, qui ..dit Julianum vulnere accepto, statim haustum manu sua san..inem in Cælum jecisse, ac dixisse: *Vicisti Galilee*; alii e con.. adversus Solem, quod Persas quidem adjuvisset, se ipsum ..ro nequaquam servasset, sanguinem projecisse suum narrant.

Liban. op. tom. tom. pag. 323. Sozom. li. 6. 1.

Ammian. lib. 25.

De interitu Juliani prædictiones. *Theod. li. 3. 24*

..minentem Juliani casum multis modis viri pii prædix... Inter eos cum Julianus Sabba minas ejus ad bellum pr...iscentis audisset, Deum intentius orare cœpit. Die vero, qua lethalem plagam accepit, cædes illius revelata eidem

dem est. Cum etenim enixius precaretur, repente fluentes lacrymas compressit, ac gaudio & hilaritate repletus est. Cum autem quidam ex ejus familiaribus rogasset, quænam tantæ hilaritatis causa ei accidisset; ille silvestrem aprum, vastatorem vineæ Domini, pœnas tandem persolvisse dixit, & mortuum jacere. Aliis quoque Juliani interitus divinitus demonstratus est, nam cum unus ex Juliani familia iter in Persidem ageret, ac tecti penuria cubuisset in ecclesia, in somno Apostolos & Prophetas in unum convenientes vidit, de Imperatoris in ecclesias contumeliis lamentantes; quorum duo e medio surgentes, reliquos bono animo esse jusserunt, ac statim e Concilio digressi, nocte altera reversi Julianum extinctum fuisse nunciarunt. Didymus vero Alexandriæ degens, cum ecclesiarum vastationem condolens, jejuniis, & orationibus vacaret, ac præ nimia sollicitudine, ne superveniente quidem nocte cibum sumpsisset, in cathedra sedens somno oppressus, velut in mentis excessu positus, equos candidos per aerem discurrentes cernere sibi visus est, virosque iis insidentes clamare: Nuntiate Didymo, hodie Julianum hac ipsa hora peremptum esse: *idque ille Athanasio episcopo significet, & surgens comedat*, ait Sozomenus, eademque Palladius in historia Lausiaca.

Sozom. lt. 6. 2.

Didymus Juliani interitum prænoscit.

29. Juliani autem interitu ubique vulgato, in tantam ubique lætitiam christiani erupere, & præcipue Antiochenses, ut convivia & festa celebrantes ingentes Deo laudes offerrent: *Ac non solum in ecclesiis, ac martyriis cuncti tripudiabant*, inquit Theodoretus, *sed in ipsis etiam theatris victoriam Crucis prædicabant, & illius oracula deridebant, omnesque simul juncti clamabant: Ubinam sunt vaticinia tua, Maxime stulte? Vicit Deus, & Christus ejus. Erat enim iis temporibus Maximus quidam professione philosophus, sed magicis artibus deditus, & qui futura prædicere gloriaretur*. Gentiles vero in tanta Christianorum lætitia, inexplicabili dolore affecti, audito Juliani interitu, *eum, qui primus mortem ejus nunciaverat, pr[illegible]pemodum lapidibus obruerunt*, ait Socrates, quod Carris accidisse narrat Zosimus: *Carreni*, inquit, *tantum dolorem perceper[illegible] morte Juliani nunciata, ut eum, qui nuncium attul[illegible], lapidibus obruerent*. Ex Ethnicis alii Christi potentiam a[illegible]oscentes, ajebant: *Quomodo christiani dicunt Deum suum [illegible]atientem, nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico*

Juliani obitus, chri[illegible]nis lœtitiam, gentilibus me[illegible] [illegible]lit.

Theod[illegible] 28

[illegible]m. lib. 3. 34.

Hier. in Habac. cap. 3.

Jesu Chr. An. 363. *quidem spatio indignationem suam differre potuit!* quæ Hieronymus dum puer esset audiisse se narrat.

Juliani artes magicæ detectæ. *Theod. lib. 3. 26.27.*

30. Post Juliani obitum infanda ejus scelera, magicasque artes cum maximo Ethnicorum opprobrio, & ignominia detectæ sunt, ait Theodoretus: *Carræ enim civitas impietatis ejus reliquias adhuc servat. Per hanc urbem stolidus ille iter faciens (Edessam enim, utpote christiana pietate insignem, ad lævam reliquerat), cum in Fanum quoddam, quod ab impiis colebatur, ingressus esset, ibique arcana quædam cum sceleris sui consortibus peregisset, claustra & signacula januis apposuit, & addita certorum militum custodia, vetuit, ne quis ante reditum suum illuc introiret. Sed postquam mors ejus nuntiata est, & religiosus Princeps impio successit, Fanum introgressi, admirabilem Imperatoris fortitudinem, & sapientiam, atque pietatem deprehenderunt. Viderunt enim mulierem capillis suspensam, manusque extensas habentem. Cujus dissecto ventre, sceleratus ille victoriam Persicam jecoris inspectione didicerat. Et Carris quidem hujusmodi deprehensum est maleficium, Antiochiæ vero, plurimas arcas in Palatio repertas esse ferunt plenas capitibus humanis, multos item puteos cadaveribus refertos.*

De Juliani sepultura. *Ammian. lib. 23.2. Nazian. orat. 4 in Julian. pag. 108.*

31. *Corpus ejus, pro copia rerum, ac temporis curatum est, & ubi olim ipse statuerat, conditum fuit*, idest Tarsi in Cilicia, cujus funebrem pompam Nazianzenus describit his verbis: *Mimi, & histriones eum ducebant probrisque a scena petitis, ac ludibriis incessebant, quoad eum tandem Tarsensis civitas excipit, haud scio quomodo, & quam ob causam hac contumelia mulctata. Hic illi templum infame, tumulusque impurus, & execrandus, ac ne piorum quidem oculis spectabilis.* Cujus sepulchrum Jovianus *exornari statuit*, ait Marcellinus; sepulchro hæc inscripta sunt carmina:

Il lib.

> *Tigride Julianus jacet hic post fata relicto.*
> *Rex pariter bonus, & bellator acerrimus idem.*

Zosim. ib. 34.

Sepulchro nihilominus indignum fuisse narrat Nazianzenus, *imo ut mihi quispiam narravit, nec ad sepulturam assumptum, sed a terra, quæ propter ipsius scelus tremore affecta fuerat, excussum æstuque vehementi projectum.* Cui divinos honores tributos fuisse Libanius Sophista in oratione, quam in ejus laudem habuit, non obscure indicat, ob quam causam his eum

Socrat. lib. 3. 23.

ver-

verbis redarguit Socrates: *Libanius Sophista, christianos irridens, ait hominem quemdam, ex Palæstina Deum, Deique filium ab iis fieri; in eo mihi videtur oblitus, se in fine orationis illius Julianum inter Deos retulisse.*

32. Ingenii sui monumenta aliquot post se Julianus reliquit, epistolas scilicet plurimas & orationes, quarum præcipua Antiochica seu Misapogone inscribitur. Cumque *inanis gloriæ morbo supra modum laboraret, cunctos ante se Imperatores perstrinxit in eo libro, quem inscripsit Cæsares*, ait Socrates. In ipsa autem expeditione Persica, contra Christianos libros scripsit, ait Hieronymus, quos septem fuisse indicat. At Cyrillus Alexandrinus, qui eosdem confutavit, tres tantum commemorat. Hæc tamen opinionum diversitas, non ex opere ipso, quam ex operis partitione oritur. Juliani scripta inter alios Petavius in unum collecta edidit, quibus nonnulla Antonius Muratorius inter Anecdota Græca addidit. De Juliani libris hæc Hieronymus adnotat: *Julianus Augustus septem libros in expeditione Parthica adversum Christum evomuit, & juxta fabulas Poetarum suo se ense laceravit. Si contra hunc scribere tentavero, puto interdices mihi, ne rabidum canem Philosophorum, & Stoicorum doctrinis, idest, Herculis clavam repercutiam. Quamquam Nazarenum nostrum, & (ut ipse solebat dicere) Galilæum statim in prælio senserit, & mercedem linguæ putidissimæ, conto in illis perfossus, acceperit*; hæc Hieronymus. Sed de iisdem audiendus est Cyrillus, qui eos confutavit, ac in præfatione ad Theodosium Imperatorem habet:

De Juliani scriptis.

Socrat. lib. 3. 1. & 23.
Voss. de hist. Græc. lib. 2.
Hieron. epist. 84. ad Magnum, & in Oseam cap. 11.
Cyrill. Alex. in Julian.
Hier. Epi. 84.

33. *Cum igitur Julianus linguam sortitus esset disertam, acuit eam contra nostri omnium Dominum Salvatorem Christum, & tres scripsit libros adversus sancta Evangelia, & contra piam Christianorum religionem, quibus multos commovit, & haud mediocriter offendit. Etenim leves, facileque mobiles, in ejus laqueos cito cadunt, fiuntque dæmonis dulcis esca. Turbantur autem interim nonnihil etiam ii, qui in fide profecerunt; credunt enim, ipsum sanctas divinas Litteras nosse, quandoquidem ex ipsis varia testimonia in suis libris accumulat, quamvis ignoret quid dicat. Quoniam autem plurimi superstitiosi convenientes eos, qui Christum sapiunt, susque deque pr[illegible]xunt, nobis exprobrantes illius contra nos scripta, & dicunt tanta gravitate edita, ut carpi nusquam valeant; nullumque adhuc inventum esse ex nostris Doctoribus, qui vel con-*

Cyrill. in præf. Lib. contra Julianum.

Cyrillus Juliani Libros confutat.

Jesu Chr. an. 363. *tradicere, vel subvertere dicta illius queat. Adhortantibus itaque multis, atque fisus Christo dicenti: Et nunc vade, & ego aperiam os tuum, accommodavi me, ut decutiam quidem Græcanicum supercilium adversus Dominum Christum sese extollens, adjuvem autem, quantum licet, deceptos, demonstrando deceptum esse, & ignorasse sacras Scripturas eum, qui nostri omnium Salvatorem Christum incusat.* Hæc Cyrillus: utrum vero egregie id præstiterit, ex ipsis, qui extant commentariis, quibus & libri Juliani intexti sun ¸ .ilibet utrumque textum legenti satis patebit.

Jovianus Juliano succedit ejus mores.

34. Juliano, ut diximus, e vivis erepto, Romanus exercitus, ob loci angustias, & victus penuriam in summo discrimine positus, ne aut Persarum ferro, aut fame periret, quinto Kal. Julias, seu 27. Junii, communi fere suffragio Jovianum Imperatorem elegit, qui Singiduno in Pannonia patre Varroniano anno 331. genitus, annum agebat trigesimum secundum, inter domesticorum duces primus, *insignis corpore, lætus ingenio, litterarum studiosus*, ait Victor, in præliis fortitudinem suam pluries ostenderat; pietate tamen clarior, quam fartam tectamque fortunarum, & vitæ etiam periculo, Juliano imperante, servaverat. *Christianæ religionis studiosus, & nonnunquam honorificus, mediocriter eruditus, magisque benevolus, & propensus, ut apparebat ex paucis, quos promoverat Judices electurus, edax tamen & vino, venerique indulgens, quæ vitia Imperiali forsitan verecundia correxisset*, ait Marcellinus. (Marcell. lib. 25.) De Ioviani inauguratione ad Imperium audiatur Socrates: *In summa difficultate positi milites absque mora Jovianum postridie Imperatorem designant, virum strenuum, ac nobilem*, qui cum Tribunus militum esset eo tempore, quo Julianus optionem militibus dedit, ut aut sacrificarent, aut militiam abjicerent, cingulum deponere maluit, quam Christi fidem abjicere. (Socrat. lib. 3. 22. Theodor. lib. 4. 1.) Belli tamen imminentis necessitate constrictus, inter Duces retinuerat Julianus, quo sublato oblatum Imperium recusavit, militibusque cum per vim cogentibus, ut oblatam purpuram indueret, reluctans respondit se nolle *hominibus superstitioni Gentilium deditis imperare, nec Juliani exercitum regere, nefariæ doctrinæ præceptis imbutum*. (Theod. ut sup.) At milites: *Ne dubites, Imperator*, inquiunt, *Imperabis enim christianis hominibus, & qui in pia disciplina sunt educati. Nam qui inter nos ætate sunt provectiores, ipsum Constantinum doctorem habe-*

buerunt. Qui autem illos proxime sequuntur, a Constantio instituti sunt. Hujus vero nuper mortui breve imperii tempus fuit, nec satis idoneum ad labem in deceptorum hominum mentibus altius defigendam.

35. Interea ut Julianum obiisse, ac Jovianum imperare auditum est, Romanos cum fame luctantes semel & iterum Persæ aggrediuntur, a quibus repulsam passi, tandem pacem obtulerunt: *Eo modo a Joviano suscepto Imperio*, ait Ruffinus, *statim ei affluit divina clementia, contraque omnem spem, cum clausi undique ab hostibus tenerentur, nec evadendi facultas ulla suppeteret, subito emissos a Barbaris oratores esse vident, pacemque deposcere, exercituique inedia consumpto cibos, ceteraque necessaria in mercimoniis polliceri, omnique humanitate nostrorum temeritatem emendare.* Pacis quidem conditiones iniquiores Romanis fuerunt, ut scilicet quinque transtigritanas provincias, una cum Nisibi, & Singara nobilibus, fortissimisque oppidis, Romani Persis dimitterent, quorum incolas Jovianus Amidam transtulit, ut nos docet Alexandrinum Chronicon: *Jovianus muniit vicum extra muros Amidæ civitatis, mœniaque vici cum mœnibus Amidæ conjunxit, & vicum Nisibenum appellavit, illicque omnes ex Mydonia evocatos collocavit. Sylvanum quoque Præfectum ex Mesopotamia accersitum omnesque christianos reduxit, & christianis provincias omnes, & Præfecturas assignavit.* Ethnicis hæc pacis fœdera displicuerunt, atque Ioviani scrupolosum in conditionibus servandis animum reprehenderunt, quas vitato periculo, salvoque reducto exercitu irritas voluissent: *Ea pacis conditio*, ait Eutropius, *non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem, cum integrum fuit, mutare voluisset, sicut a Roma[nis] omnibus, his bellis, quæ commemoravi factum est*, quam [Jo]viani in servanda fide constantiam etiam Marcellinus accusa[t]. Nos vero optimi Principis animum in servanda fide magis [admi]ramur, cum nil sanctius juramento hominibus esse deb[eat]. Detrimenta equidem Romano Imperio inde secuta Iovian[o nequa]quam adscribenda sunt, sed Iuliani temeritati, ut pluribus prosequitur Nazianzenus.

Jovianus cum Persis pacem init, Antiochiam revertitur.

Marcell. lib. 25. Ruffin. lib. 2. 1.

Ibid. pag. 105.

36. Antiochiam posthæc Iovianus rediit, u[bi] pro Fide exulibus libertatem, & christianis omnibus privilegia a Iuliano ablata restituit: *Cum experimento didicisset ir[a]a Dei ob decessoris sui impietatem invectas esse calamitates Romano Imperio,*

Jovianus Christianis libertatem, & privilegia restituit.

Sozom. lib. 1. 6. 3.

JESU CHR. AN. 363.

rio, nihil cunctatus scripsit Rectoribus provinciarum, ut in Ecclesias convenirent, & divinum Numen studiose colerent, solamque Christianorum fidem Romanis esse venerandam. Ecclesiis præterea, & Clericis, viduis item, ac virginibus immunitates restituit, & quicquid antea ad utilitatem, atque honorem Religionis nostræ a Constantino, ejusque liberis donatum, sancitumve, & postea Juliani temporibus ademptum fuerat. Dedit etiam generalem constitutionem ad Secundum, qui tunc erat Præfectus Prætorii, qua jubebat, eum capitali supplicio affici, qui sacram virginem sibi uxorem despondere, aut impudice dumtaxat aspicere ausus esset, nedum rapere conatus fuisset. Hanc autem legem idcirco tulit, quod flagitiosi quidam homines, principatu Juliani, cum hujusmodi virginibus nuptias contraxerant, & seu vi, seu persuasione eas corruperant, ait Sozomenus. His similia tradit Theodoretus, ac Jovianum legem tulisse refert, qua episcopos ab exilio reverti jubebat, & ecclesias iis reddi, qui Nicænam fidem inviolatam servaverant; frumentarium etiam canonem, quem ecclesiis Julianus abstulerat, reddi præcepit. Quoniam vero fames tributariam functionem exigi non sinebat, tertiam partem Annonæ Constantinianæ Jovianus tunc præberi jussit; integrum canonem præbiturum se pollicitus, ubi fames cessasset.

Theodor. lib. 4. 2. 4.

37. In eo maxime Joviani pietas eluxit, quod cum multarum sectarum sacerdotes ad suas partes eum pertrahere tentassent: *Ille ab initio Consubstantialis fidem amplexus est*, ait Socrates, *eamque se præferre cunctis palam denunciavit. Scripsit etiam*, addit Theodoretus, *litteras ad Athanasium egregium illum fidei Nicænæ defensorem, petens, ut accuratam de divinis rebus institutionem ad se præscriberet*: in altera vero epistola Athanasium eximiis exornat laudibus, fideique constantiam, ac in perferendis pro orthodoxa Fide laboribus perseverantiam, se quammaxime mirari, ait, ac ut ad sua redire hortatur: *Remigra igitur ad sanctas ecclesias, & pasce populum, atque alacri animo una fundite preces ad Deum pro nostra clementia. Novimus quippe tua supplicatione, cum nos, tum eos, qui nobiscum christiane sentiunt, magnum a summo D[eo] auxilium consecuturos*. Epistolarum Joviani ad Athanasium Epiphanius, & Nazianzenus meminerunt, quorum loca referre longum esset.

Jovianus catholicam fidem pro[fitetur].

[...] 3.

[...] 779. tom. [...] part. 2. Epiph. hær. 68 Nazian. orat. 21. pag. 356.

38. Athanasius vero his acceptis, insigniores ex Ægyp-
to

Athanasii epist. ad Jovia[num].

to Episcopos congregavit, & communi nomine Joviano rescripsit, ut fidem Nicææ olim expositam, tanquam Apostolicæ doctrinæ consentientem servaret: *Cujus quidem epistolæ exemplum lectorum utilitati prospiciens hic apponam*, ait Theodoretus, cujus hæc est inscriptio: Religiosissimo, & Clementissimo Victori Augusto Joviano, Athanasius, & reliqui Episcopi, qui venerunt ex persona omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidis, ac Lybiarum. *Digna est religioso Principe curiositas discendi, & desiderium rerum cælestium. Quando igitur pietas tua fidem ecclesiæ catholicæ ex nobis discere voluit, actis eam ob rem Deo gratiis, præ reliquis omnibus eam fidem, quæ Nicææ olim a Patribus promulgata est, religioni tuæ suggerendam esse decrevimus*, pro qua multa hactenus se passum fuisse testatur, cui fidei, omnes ubique terrarum Ecclesias, quas ibidem nominat, subscribere addit, cui & Nicænum symbolum subdidit, ut ibidem videre est. Hanc Athanasii epistolam ad Jovianum Antiochiæ scriptam fuisse suspicatus est Valesius. At Alexandriæ editam fuisse, synodicus libellus indicat: *Imperator Jovianus missa Alexandriam ad Athanasium legatione, immutabilem veræ orthodoxiæ definitionem quæsivit. Is igitur delectos Ægypti, Thebaidis, & Libiæ Episcopos congregans, definitionem synodicam plenam gratia, & veritate Joviano Christi amanti misit.*

Num de recta fide.

Theodor. lib. 4. 2.

Ath. pag. 780. Labb. tom. 2. pag. 98.

39. Iisque acceptis epistolis, Imperatorem Athanasius adiit Antiochiæ degentem, ut narrat Epiphanius: *Honorificentissimis, fideique plenissimis litteris ad Athanasium scriptis, Jovianus ad se illum evocans, post humanissimos amplexus ad sedem suam dimisit*. Eodemque tempore cum Ariani, oblato libello multis gravibusque delictis Athanasium accusassent, ac ni audirentur, importune rogassent: *Quinam estis, & unde?* Jovianus ait; illi vero, Christiani sumus ex Alexandrina civitate. Imperator vero: *Quid vultis?* Rogamus potentiam tuam, des nobis Episcopum. Ad hæc Jovianus. Jussi Athanasium in throno collocari; cumque Ariani addidissent Athanasium multorum criminum reum exulem agere, miles quidam, eos ex Arianorum secta esse Imperatorem admonuit, quibus auditis Imperator *equum calcaribus concitavit, & abiit in campum*: repulsam itaque passi iterum eamdem tentarunt aleam, ac graviores adversus Athanasium accusationes se habere dixerunt. At Jovianus: *Ne mihi de Athanasio dicatis; scio enim quamobrem*

Secundus libellus.

Tertius libellus.

brem accusatus, & quare proscriptus sit. Cum vero quiescere debuissent, tertio eadem tentarunt, obtestantes præcipue, ne iterum Alexandriæ Athanasium mitteret; sed Jovianus, quæ Athanasium spectabant, jam constituta firmaque esse reposuit, atque non sine ira ad milites conversus: *Feri*, inquit *Feri*; cumque addidissent Ariani, Athanasium quidem verbis recte loqui, animo autem dolose sentire: *Satis hoc est*, ait Imperator, *homines enim cum simus, sermonem audimus: quæ vero in corde latent, novit Deus*, ac tandem: *Discedite, & quiescite, ac qui fidei verbum nescit, discat ab Athanasio*, sicque non solum Arianos, sed & alios, qui adversus Athanasium obmussitare ausi sunt, conspectu suo repulit, ac silere coegit, ut pluribus ipse Athanasius narrat.

Lucius a Joviano rejicitur.

40. Lucius etiam Jovianum in atrio Palatii adiens, *obsecro*, ait, *ut me audias*. Imperator vero subsistens, Lucium interrogavit, num navi, an pedibus advenisset? Lucius dixit: *Rogo te, Navi*. Imperator autem: *Deus mundi, & cometes, sol, & luna iis ipsis succenseat, qui tecum navigarunt, quod non te in mare abjecerunt, & navis illa numquam in posterum secundis fruatur ventis, nec cum jactata fluctibus erit, cum navigantibus ad portum appellat*. Cumque iterum Eunuchorum opera se Joviani gratiam promereri Ariani tentassent, ne rursus Eunuchorum factione, uti Constantii tempore contigerat, Ecclesia turbaretur, Eunuchos torqueri Jovianus jussit dicens, *Sic patiatur quisquis voluerit christianos deferre*. Et sic eos dimisit atque una sententia Arianos, & Palatii Eunuchos Arianorum fautores, spe sua disjecit. Hæc autem mense Octobris Antiochiæ gesta sunt, quo tempore illuc Athanasius degebat; nam teste Theophane in chronico *mense Hyperbereteo*, id est Octobri, Jovianus *Antiochiam advenit, & paulisper ibidem moratus, flagrante hyeme discessit*, inquit Marcellinus, Tarsum inde profecturus, deinde Ancyram vertente ad finem anno, sequentis initio, ut ibidem videbimus. Cumque omnium sectarum Principes Imperatorem adeuntes singuli auctoritatem se ab illo, & licentiam adepturos sperarent, Macedoniani libellum ei obtulerunt, postulantes, ut Arianis expulsis in eorum locum substituerentur, sibique illarum traderentur ecclesiæ. Libellum porro obtulerunt, Basilius Ancyræ, Silvanus Tarsi, Sophronius Pompejopoleos, Pasinicus Zenorum, Leontius Comanorum, Callicrates Claudiopolis, Theophilus Castaba-

balorum Episcopi. At Jovianus illorum accepto libello, sine responso dimisit, hæc tantum prolocutus: *Ego contentionem aversor, eos vero, qui concordiæ student, diligo, atque observo.* JESU CHR. AN. 363.

41. Catholici autem episcopi, qui Jovianum Antiochiæ convenerant, ut eum in Nicæna tuenda fide constantiorem redderent, synodum congregarunt, qua Nicænam fidem confirmarunt, libellumque fidei suæ Imperatori obtulerunt, etsi eorum nonnulli dubiæ fidei, aut etiam hæresi patrocinati hactenus fuissent. Exemplo sit Acacius Cæsareæ Episcopus, qui cum hactenus Sirmiensi synodo subscripsisset, mutata postmodum Imperatoris fide, & ipse fidem mutavit: *Tunc etiam pervicax Acacianorum ingenium omnibus patefactum est, qui quidem manifeste declararunt quantopere ad nutum, & sententiam eorum, qui rerum potiebantur, flectere se semper soliti essent. Etenim apud Antiochiam Syriæ congregati colloquium habuerunt cum Meletio, qui paulo antea consubstantialis fidem amplexus, sese ab illis segregaverat. Id autem propterea fecerunt, quod illum ab Imperatore, qui tum in ea urbe morabatur, summo in pretio haberi cernerent. Communi ergo consilio consubstantialis doctrinam amplexi, Nicænam fidem confirmarunt, & libellum a se compositum obtulerunt Imperatori*; quapropter subdunt: *Huic nostræ suggestioni adjunximus exemplum fidei olim ab episcopis apud Nicæam congregatis expositæ, quam nos etiam amplectimur, quæ autem hujusmodi. Credimus in unum Deum omnipotentem &c.* Huic synodo Meletius præfuit, qui & primus subscripsit, deinde ceteri numero viginti septem, quorum aliqui per presbyteros, quos ad synodum legatos destinaverant, subscripserunt, ut ibidem videre est.

Antiochena synodus Nicænam fidem confirmat.

Socrat. lib. 3. 25. Sozom. li. 6. 4.

42. Imperator vero eo libello accepto, Episcoporum concordia laudata, dixit, *se nemini, qualiscumque fidei esset, molestiam exhibiturum, eos tamen præ ceteris amaturum, atque in pretio habiturum, qui reparandæ in Ecclesia pacis auctores ac duces se præberent*, ob quam causam Episcoporum plurimi ut Imperatoris gratiam promererentur, pacem, & concordiam se diligere mentiebantur, quos *non Deum, sed purpuram colere* dixit Themistius philosophus Ethnicus in ora[tione] [Jo]viani consulatu, ut testis est Socrates, qui eodem [loco] [a]it, se libellum episcoporum Antiochenæ synodi *ex Sabi[ni li]bro, qui collectio gestorum synodalium inscribitur, exscripsisse.*

 Hoc

JESU CHR. AN. 363.

Athanasius Antiochenæ Ecclesiæ dissidia componere satagit. *Basil. epist.* 214. *Epiph. hær.* 77.20.

43. Hoc etiam anno cum Antiochiæ Athanasius esset, componendis ejusdem ecclesiæ dissidiis ob Meletii, & Paulini ordinationem, sollicitus fuit: Meletii communionem, & amicitiam primo expetiisse videtur, at sive amicorum Paulini consilio, sive alia da causa a Meletii communione exclusus, cum Paulino sociatus est, qui fidei formulam eidem obtulit catholicæ fidei omnino consentientem, eamdemque S. Epiphanio non multis abhinc annis obtulit, de qua hæc Epiphanius: *Quam professionem assensione sua confirmarat antea, cum se apud B. Athanasium purgaret*. De Athanasii communione cum Paulino agens S. Basilius, qui Meletio favebat, adnotat: *Verosimile est eos* (Paulini scilicet asseclas) *aut veritatem ignorare, aut etiam causam occultare cur adductus fuerit Beatissimus Episcopus Athanasius, ut Paulino scriberet, sed cum ibi habeat præstantia tua, qui res imperante Joviano, inter Episcopos gestas sedulo enarrare possint, rogo ut ab iisdem edocearis*. Hæc Basilius, qui alibi non obscure indicat, Athanasium in Paulini communionem tunc transiisse, cum a Meletio repulsam passus fuerat, post annos etenim plurimos, cum Basilius Episcopus esset, ac de reintegranda communione Athanasium inter & Meletium ageretur, se nihil in ea causa posse testatur, his verbis: *Quod ad Reverendissimum Episcopum Athanasium attinet, probe scientem eximiam tuam prudentiam monebo, fieri non posse, ut meis litteris aliquid promoveatur, aut quidquam eorum, quæ oportet perficiatur, nisi & a vobis, qui tunc ipsius communionem procrastinastis*, idest hoc anno, *hanc ipsam aliquo pacto accipiat. Ajunt enim ipsum omnino propendere, ut nobiscum conjungatur, & quidquid poterit collaturum, sed dolere quod & tunc dimissus sit sine communione, & etiamnum promissa maneant irrita*; sed de Antiocheno schismate, quod per plures annos propagatum est, plura inferius dicturi sumus.

Basil. epist. 214.

Basil. epist. 89.

Je-

JESU CHRISTI AN. 364. LIBERII PAPÆ 13.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMPERATOR. I.
COSS. JOVIANO AUG., ET VARRONIANO.
OLYMP. 285. AN. 4. URB. AN. 1117.

1. Infaustum ingredimur annum, quo Jovianus Augustus, cum Kalendis Januarii Ancyræ Consulatum iniisset cum filio suo Varroniano nobilissimo puero, inde digressus Dastana obiit: *Antiochia digressus, circa finem anni proximi, cum Tarsum Ciliciæ venisset, corpus Juliani sepulturæ mandavit, peractaque exequiarum solemnitate, Consul designatur*, Kalendis Januarii, *inde Constantinopolim contendens, venit ad locum quemdam, cui nomen est Dastana in finibus Galatiæ, & Bythiniæ situm, ibi Themistius Philosophus cum aliis Senatorii Ordinis viris obviam ei progressus, orationem Consularem coram illo recitavit, quam iterum, postea Constantinopoli coram populo pronunciavit. Ac profecto res Romanæ tam civiles, quam Ecclesiasticæ ad summam felicitatem perventuræ erant, utpote optimum Principem nactæ, nisi repentina mors talem virum Reipublicæ subtraxisset; nam in loco superius memorato hyemis tempore obstructionis morbo correptus excessit e vita Consulatu suo, & Varroniani Filii die decima tertia Kalendas Martii, cum imperasset menses septem, vixisset vero annos tres ac triginta*, ait Socrates; Marcellinus vero: *Cum venisset Dastanam, qui locus Bythiniam distinguit, & Galatas, exanimatus inventus est nocte. Fertur enim recenti calce cubiculi illiti, ferre odorem noxium nequivisse, vel extuberato capite periisse, succensione prunarum immensa, aut certe ex colluvie ciborum avida cruditate distentus. Decessit Imperii mense septimo 14. Kalendas Martias, ætatis 33.* Dies viginti tamen addendi sunt ejus Imperio, prætermissi ab iis, qui menses integros numerarunt, alii vero menses octo eum imperasse tr[illegible] dunt, quem etiam veneno sublatum fuisse nonnulli scribunt prunarum tamen calore interclusis meatibus interiisse, constat Hinc Hieronymus ad Heliodorum: *Jovianus*, inquit, *gustatis tantum Imperialibus bonis, fœtore prunarum suffocatus est, ostendens omnibus, quid sit humana potentia.*

Joviani Consulatus, & obitus. *Marcell. lib.* 25.10. *Socrat. lib.* 3. 26.

2. Inopinati interitus causas exquirens Baron[illegible], duas præcessisse tradit, primam quod Maximum, ac Prisc[illegible] Philosophos, ac Magos summa benignitate excepisset, a[illegible]eram, quod

Quis felix Princeps habendus sit. *Baron. an.* 364.3.

Jesu Chr. an. 354.

August. de Civit. Dei lib. 5. 24. 25.

quod Juliani sepulchrum exornasset. Cum tamen occulta sint Dei judicia, ac inscrutabilia, cum Augustino hæc adnotare contenti erimus: *Non ideo felices Imperatores dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reli[illegible]runt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives [illegible]versus se insurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt; hæc enim, & alia vitæ hujus ærumnosæ, vel munera vel solatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad Regnum Dei, quo pervenient isti, & hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si juste imperant; si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, Majestati ejus famulam faciant, si Deum timent, diligunt, colunt, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes &c.* & post multa: Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id, quod expectamus, advenerit. Hæc Augustinus; quare Jovianum felicem, & felicissimum dicimus, qui brevi Imperii sui spatio, pietatis non obscura, nec pauca indicia reliquit. Cur autem ex piis Imperatoribus, alii longo imperio, & vita donati sint, ut Constantinus, alii e contra immatura morte præventi Imperio, & vità cito privati sint, ut Jovianus, hanc iterum rationem reddit Augustinus, ex ipsa Religione petitam: *Bonus Deus*, inquit, *ne homines, qui in eum crederent, propter æternam vitam colendum, has sublimitates, & regna terrena existimarent, posse neminem consequi, nisi Dæmonibus supplicet, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam conde- civitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque concessit. Diu imperavit, universum Orbem Romanum unus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis, & gerendis bellis victoriosissimus fuit, [illegible] Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est, grandævus [illegible]gritudine, & senectute defunctus est. Filios imperantes [illegible]uit. Sed rursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, [illegible]t felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æter-*

æternam quisque debeat esse Christianus, Jovianum multo citius, quam Julianum abstulit, Gratianum ferro tyrannico permisit interimi, longe quidem mitius, quam magnum Pompejum colentem, velut Romanos, Deos. Nam ille vindicari a Catone non potuit, quem civilis belli quodam modo hæredem reliquerat, iste autem, quamvis piæ animæ solatia talia non requirant, a Theodosio vindicatus est, quem Regni participem fecerat, cum parvulum haberet fratrem, avidior fidæ societatis, quam nimiæ potestatis. Hæc Augustinus vere sapienterque; atque de Joviani obitu hactenus.

Valentinianus Imperator eligitur, ejus conditio, & mores.

3. Eo sublato, dubius aliquandiu hæsit exercitus, quem sibi Imperatorem præficeret, cum Joviani filius Varronianus, & in Consulatu socius ob puerilem ætatem tanto oneri ferendo impar esset, Januarius vero alter Joviani affinis, ob morum turpitudinem Imperio indignus esset. Itaque post Joviani obitum Nicæam usque progressi milites, ibidem Valentinianum, Ancyræ tunc commorantem Imperatorem dixerunt, die quinta Kalendis Martii, ad quem cum legati ab exercitu missi advenissent: *Nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, bisextum vitans Februarii mensis tunc illucescens*, ait Marcellinus. Die itaque decima a morte Joviani, idest 26. Februarii, Imperator ab exercitu salutatus est, de cujus electione eadem fere narrant Marcellinus, Socrates, Sozomenus, eumque vultu decorum, ingenio solertem, animo gravem, sermone cultissimum fuisse Victor adnotat, severum nihilominus vehementemque, ac criminum non solum vindicem, sed & disciplinæ militaris censorem, quippe qui *memorabat assidue severitatem rectæ potestatis esse sociam individuam*; ejus tamen severitas in crudelitatem aliquando vergebat, unde Hieronymus: *Valentinianus egregius alias Imperator, & Aureliano moribus similis, nisi quod severitatem ejus nimiam, & parcitatem quidam crudelitatem, & avaritiam interpretabantur.* Sævitiæ Valentiniani multa exempla Marcellinus exhibet insigni tamen castitate eum excelluisse tradit: *Omni pudicitiæ cultu*, inquit, *domi castus, & foris nullo contagio conscienti violatus &c.* Imperium autem vix adeptus, fortitudinis non obscura indicia dedit; nam cum exercitus, ut socium sibi eligeret, intempestive rogaret, atque clamoribus peteret, memorabile illud responsum dedit: *Vestrum fuit, Commilitones, cum nullus esset Imperator, Imperii habenas mihi committere,*

Marcellin. lib. 26.1.
Socrat. li.4.1.
Sozom. li. 6.6.
Theodor. lib. 4.6.

nunc

Jesu Chr. an. 364.

nunc vero cum Imperium susceperim, mei deinceps officii est, non vestri Reipublicæ curam gerere.

Valens Imperio sociatur, Imperium dividitur.
Ammian. lib. 26. 4. Socrat. l. 4. 1. Sozom. Theodor. ut sup.

4. Post hæc Valentinianus Nicomediam ingressus, Kal. Martii Valentem fratrem Tribunatus dignitate exornavit, ac Constantinopolim digressus, quinto Kal. Aprilis eumdem Augustum renunciavit, quem trigesimo Imperii sui die sociasse, tradit Socrates. Cum Imperii socium Valentinianus quæreret, ad eum Dagalaiphus equestris militiæ Rector dixerat: *Si tuos amas Imperator optime, habes fratrem, si Rempublicam, quære quem vestias.* Fraternus tamen amor in eo prævaluit, ac fratrem ceteris prætulit, qui sane Imperio indignus non fuisset, si fratris exemplo in catholicæ Fidei professione perseverasset. At tractu temporis ad Arianorum partes transiens, Ecclesiam dire vexatus est, ut infra suo loco dicturi sumus. Eo autem in societatem Imperii adscito, Imperium divisum est, ac Valenti Orientem usque ad Ægytum, Bithyniam, & Thraciam tradidit, cetera vero sibi Valentinianus reservavit, scilicet Illyricum, Italiam, Gallias, Britanniam, Hispaniam, & Africam. Quare Sirmium usque progressi, Valentinianus Mediolanum perrexit, Valens vero Constantinopolim rediit, de quibus plura Marcellinus refert; at hæc attigisse sufficit.

Amm. Marcel. lib. 26. 4. 5.

Valentiniani ictas comm[illegible]atur.

5. Ut ad res Ecclesiæ propius accedamus: *Cum relicta Constantinopoli, Romam contendens per Thraciam iter faceret* Valentinianus, Episcopi Helesponti, ac Bithyniæ, & reliqui, qui Nicænam fidem sequebantur, Hypatianum Heracleæ Episcopum ad Imperatorem miserunt deprecantes, ut ad catholicam fidem confirmandam in synodum sibi convenire liceret, quibus Valentinianus respondit: *Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est hujusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero, quibus id curæ est, seorsum ubicumque voluerint, conveniant.* Quare *Episcopi Lampsacum convenerunt*, ait Sozomenus. Hanc tamen synodum anno tantum sequenti duobus Augustis Coss. ut tradit Socrates, celebratam fuisse adnotavit Baronius, qui & addit dubitari posse, an Episcopi, qui in ea convenerunt, Nicænæ fidei sectatores essent. Nobis hoc unum adnotasse sat erit, Episcopos a Valentiniano Imperatore conveniendi licentiam obtinuisse, ac synodum hoc vel proximo anno celebrasse.

Lampsacena synodus celebratur.

6. De orthodoxia autem episcoporum, qui Lampsaco conve-

venerunt, dubitandi inde evidens ratio oritur, quod in ea aut Macedonianæ sectæ Episcopos, aut Semiarianos convenisse veteres passim scriptores, uno Sozomeno excepto, tradant. Ex his S. Basilius Lampsacenam synodum cum ceteris ab Arianis, aut Semiarianis habitis recenset, in quibus fidei professiones sæpe mutatæ sunt: *Nos quidem parvi, & humiles sumus, semper tamen iidem Dei gratia, nec unquam cum rebus immutati sumus. Fides apud nos non alia Seleuciæ, alia Constantinopoli, alia Zelis, Lampsaci alia, & Romæ alia*, quam scilicet Arianorum legati Liberio Romæ obtulerunt, ut mox videbimus; & iterum de Lampsacena Synodo, & fidei formula ibidem a Semiarianis vulgata: *Quot formulas ediderunt? aliam Ancyræ, aliam Seleuciæ, aliam Constantinopoli, eamque celeberrimam, Lampsaci aliam, post hæc Nicææ in Thracia aliam, nunc rursus aliam Cizici &c.* Hæc Basilius, qui etsi Lampsaci non adfuerit, vocatus tamen ab Eustathio, aliisque Episcopis illuc proficiscentibus, in loco Eusinoe dicto, ibidem cum Episcopis de fide multa tractavit, cum adhuc Cæsariensis ecclesiæ lector esset, quare Apologiam pro se ipso scribens, adversus Eustathium Sebasthenum Episcopum: *Eusinoe itidem, quando una cum pluribus Episcopis Lampsacum profecturi me accersistis, nonne de fide erant sermones, nonne omni tempore notarii tui mihi aderant adversus hæresim dictanti &c.*

Basil. ep. 251. *epist. 244.* *epist. 223.*

7. His de Lampsacenæ synodi epocha, & de Episcoporum fide prænotatis, ad synodi gesta transimus. Itaque cum per bimestre spatium inter se consultassent Episcopi, tandem decreverunt, ut ea, quæ Constantinopoli, studio Eudoxii, atque Acacii gesta fuerant, irrita essent, ac ea prævaleret sententia, *quæ Filium Patri similem prædicat secundum substantiam*, ita tamen ut vocabulum Similis retineretur ad significandam personarum differentiam: *utque in omnibus Ecclesiis ea teneretur fides, quæ Seleuciæ quidem confirmata, Antiochiæ vero in dedicatione majoris Ecclesiæ exposita fuerat. Præterea decreverunt, ut episcopi, qui depositi fuerant ab iis, qui dissimilem Patri Filium asserebant, sedes suas postliminio reciperent, quippe qui Ecclesiis suis injuste spoliati fuissent.*

Lampsa[cena] synodus Filium [simi]lem P[atri] fe[tur] ... *Socr.*

Marcell.

8. His gestis, Eudoxianos ad se vocatos, ut [illegible] berent, hortati sunt, sed frustra. Quare ne Eud[illegible] [illegible]m so- ciis Valentis Imp. animum præoccuparet, Lampsaci g[illegible] [illegible]em exposuerunt, cum e Thracia rediens, Hæracleæ sub[illegible]tisset. At

Eudoxiani Lampsacenæ synodi decreto subscribere recusant.

JESU CHR. AN. 364. At Eudoxius Imperatoris animum præoccupaverat, in suamque sententiam traxerat. Itaque Imperator legatos Lampsaceni Concilii hortatus est, ne ab Eudoxio dissiderent, quod cum legati abnuissent, Imperator ira succensus, illos quidem abire in exilium, ecclesias vero Eudoxianis tradi jussit; Antiochiam inde progressus, Meletium Episcopum exilio damnavit, Paulino tamen pepercit, vitæ illius sanctimoniam reveritus. Eos autem, qui Euzoii communionem respuebant, Ecclesiis expulit, & aut pecuniis multavit, aut tormentis aliisque modis vexavit. Hæc de Lampsacenæ synodi gestis Sozomenus, eademque Socrates, qui & subdit, Lampsacenos Patres Divinitate sua Spiritum Sanctum abdicasse. Hinc factum, ut Macedonii dogma, quod antea obscurum erat, *post synodum Lampsacenam manifestius factum est. Atque hoc concilium in causa fuisse arbitror, cur Macedoniani tam frequentes sint in Hellesponto, quippe Lampsacus sita est in angusto Hellesponti sinu.* Lampsacenæ synodo Basilium adfuisse tradit Basnagius. At episcopis Lampsacum proficiscentibus de Fide sermonem habuisse Antinoe, ipse Basilius tradit, synodo vero interfuisse, nec Basilius, aut quisquam alius narrat, vel indicat. Quot inde turbæ in Ecclesia excitatæ sint, cum Valens, Euzoii Constantinopolitani episcopi opera, Arianorum suscepto patrocinio adversus Catholicos iterum persecutionem excitavit, sequentibus annis videbimus.

Socrat. li. 4. 4.

Basnag. 364. n. 8.

Basilii ... enere ... itiis

9. Pietate, & eruditione Basilium tunc temporis claruisse, inde constat, quod cum adhuc Cæsariensis ecclesiæ lector esset, Eustathius Sebastenus, aliique Episcopi ad synodum Lampsacenam properantes, consulendum de fidei quæstionibus censuerunt. Is porro pietatem a majoribus hæreditate acceptam semper retinuit, ac a Basilio, & Emelia, opibus, nobilitate, & piete clarissimis Cæsareæ in Cappadocia, circa annum 329. ge...tus, inter fratres natu maximus fuit, cui Neucratius erat pro...mus, Gregorius inde Nissenus episcopus, Petrus vero, qui Sebastenorum rexit ecclesiam, fratrum postremus fuit. Neucratius annum agens vigesimum secundum, solitudinis amore ..., una cum Crisaphio famulo in solitudinem secedens, ...m Iridem, agrestem vitam venando, & piscando a... ...utem domabat, & viris solitariis eam regionem i... ...as victum subministrabat, post quinquennium hisce exer...tionibus transactum, tristi casu repente sublatus est.

Qua-

Quadam etenim die cum Crisaphio ad piscationem profectus, domum uterque mortuus delatus est, cum annum ageret Neucratius vigesimum septimum, quo nuncio ad Emmeliam matrem allato, mulier alias fortissima, exanimis pene concidit.

Neucratii obitus. *Murat. anecd. Græca pag. 113.*

10. Funestum casum hactenus incognitum ex Nazianzeni versibus scimus, eum scilicet piscando, vi fluminis abreptum periisse; unde Nazianzenus:

Piscatorium rete dum profundo e scopulo solvere
Neucratius vellet, in aquarum vorticibus mersus.
Et rete non expediit, & ipse est captus, quomodo
Pro piscatione piscatorem rete traxit, dic sermo
Neucratius puræ vitæ norma uti conjicio,
Tum beneficium, tum mortem ab aquis traxit.

Et iterum:

Neucratius obiit vortice invidi fluvii implicitus
Et vinculis demersi retis captus,
Ut tu discas caducas esse delicias hujus vitæ;
Ex qua sublatus est pullus hic velox.
Neucratius torti lini vinculis involutus,
Dum piscium prædæ inhiat, e vinclis hujus vitæ abiit.

Macrinæ pietas, & [illegible] *Nissenæ* [illegible]

11. De Gregorio Nisseno episcopo, & Petro Sebasteno, Basilii fratribus cum alibi differendi occasio redierit id hoc loco addimus, in Petro Sebasteno Emmeliam pariendi finem fecisse: *Quo enim tempore ipse in lucem edebatur, pater e vita discessit*, ait Nissenus. Sorores sex habuit Basilius, quarum aliquæ honestis viris nupserunt; præ-ceteris Macrina illustrior fuit, Tecla etiam dicta, quæ pueritiam vix egressa, in sacræ Scripturæ lectione tanta assiduitate institit, ut grandior facta tota die aut ex psalmis, aut ex aliis Scripturæ libris aliquid caneret cumque eximiæ etiam venustatis esset, nobili adolescenti desponsata fuit; eo tamen e vivis sublato, antequam nuptiæ celebrarentur, in virginitate permansit, ac ab aliis viris sæpe rogata ut nuberet, recusavit dicens, virum, cui desponsata fuerat, non mortuum esse, sed Deo vivere; atque ab ipsa adolescentia piis operibus, Scripturæque lectioni, & meditationi intenta, Basilio ipso, ac Petro Sebasteno, [illegible] & matri Emmeliæ spiritualis vitæ magistra fuit. Emme[illegible]

Jesu Chr. an. 364. Basilioque superstes anno 380. circiter vivere desiit; morienti adfuit frater ejus Gregorius Nissenus, qui etiam hæres ejusdem fuit. At Macrinæ hæreditas, Nazianzeno teste, crux ferrea fuit, quam collo gestabat, & anulus itidem ferreus, cui Crucis signum impressum, ac Crucis vivificæ particula insita erat: *Illa, de qua mentionem fecimus*, ait Gregorius, *Vestiana, quæ curam ornandi suum corpus acceperat*, cum ejus cervici manum submisisset, solutis a tergo vinculis ostendit ferreum Crucis signum, & anulum ex eadem materia, quæ quidem collo appensa semper ferebat. *Et ego: Communis, inquam, sit hæc possessio, ac tu quidem habeas Crucis insigne, mihi autem hæreditas anuli satis erat, siquidem in hoc etiam Crux erat impressa. At eum mulier intuens, rursum ad me: In deligendo, inquit, non aberrasti, siquidem crenatus est anulus sub ipsa pala, ibique de Ligno vitæ particulam conditam habet, quod superadjacens pala simili nota significat*. Hactenus de his Gregorius, ex quibus quæ fuerit Sanctorum in sanctam Crucem reverentia, & religio mirifice elucet. De Macrinæ gestis plura in ejus Vita videri possunt, quæ ad alia properantes præterimus, cujus memoria Martyrologio Romano recolitur.

Martyrol. Rom. die 19. Julii.

Emmeliæ obitus.

12. De Emmelia Basilii matre addimus circa annum 370. eam obiisse; moriens vero, ut narrat Nissenus, filios suos Deo commendans benedixit, ac præcipue Macrinam primogenitam & Petrum Sebasteunum filiorum ultimum ac decimum, sicque in Macrina primitias uteri sui, in Petro decimam obtulit: *In hanc igitur primogenitam meam, & hunc decimum veniat sanctimonia. Ita & benedictioni, & vitæ finem statuit, cum prius mandasset liberis, ut se in sepulchrum paternum inferrent*; cujus memoria, una cum Basilio seniore marito suo, hoc elogio recolitur: *Cæsareæ in Cappadocia Sanctorum Basilii, & Emmeliæ conjugis ejus, parentum Basilii M., qui tempore Galerii Maximiani*, seu potius *Maximini extorres facti, Ponticas solitudines excoluere*. Matrem
30. mortuam adeo flevit Basilius, ut in morbum incideret.

Basilii studia.

13. Ut ad Basilium redeamus, anno 329. Cæsareæ genitus, ibidem Fidei, & pietatis prima elementa habuit, puerulus [illegible] de in Pontum missus, ab ornatissima fœmina & avia Macrina educatus, & excultus majora incrementa fecit, un-

unde ad Neocesarienses scribens, se Fidei elementa apud eos habuisse, narrat: *Nostræ Fidei, quæ possit illustrior esse probatio, quam quod educati sumus sub avia B. muliere ex vobis orta, Macrinam dico celeberrimam illam, a qua edocti sumus?* Et iterum ad Neocesarienses: *Equidem quia huic loco assuetus sum a puero, hic enim apud aviam meam* (Macrinam) *educatus sum &c.* Ubi vero ediscendis disciplinis aptus fuit, in patriam reversus, humaniores litteras a patre didicit; Constantinopoli postea, Athenis deinde majoribus disciplinis vacavit: *Prima ætate sub magno patre*, inquit Nazianzenus, *quem communem virtutis magistrum eo tempore Pontus proponebat, velut fasciis involvitur, sub hoc igitur & vita simul, & sermone pariter augescentibus, atque in altum assurgentibus egregius adolescens eruditur.... Cæsaream deinde contendit, ut scholarum urbis illius particeps esset*; quam alii Palæstinæ dicunt, alii vero Cæsaream Cappadociæ: *Hinc Bysantium urbem totius Orientis principatum tenentem, excellentissimis enim Oratoribus, Philosophisque florebat, quorum brevi optima quæque ingenii celeritate, ac magnitudine collegit. Inde Athenas litterarum sedem, ac domicilium, a Deo atque inexplebili simul, ac præclaræ discendi cupiditate mittitur*, ibique usque ad annum 355. permansit, ubi cum esset, cum Gregorio Nazianzeno amicitiam iniit, qui de gestis ibidem nonnulla scitu digna enarrat, sibi scilicet doctrinam inquirenti, Basilium inpotuisse, sibique id accidisse, quod de Saule legitur, qui cum patris asinas quæreret, regnum invenit.

Epist. 210.

Greg. Nazian. orat. 20. in laudem Basilii

Tillem. tom. 9. vit. Basil. in Basil. vita tom. 3. pag. 41.

13. De rebus autem suis cum Basilio hæc Nazianzenus: *Habebant nos Athenæ*, inquit, *velut fluxum quemdam fluminis ex eodem patriæ fonte in diversas regiones doctrinæ cupiditate disjectos, rursumque velut ex composito, Deo videlicet ita impellente, coeuntes. Ac me quidem aliquanto ante habebant, illum autem haud multo post, & quidem cum mirifica, & luculenta spe expectatum. Etenim in multorum linguis versabatur, antequam advenisset, nec quisquam erat, qui non præclare secum agi putaret, si id, quod summo studio expeteb[...] prior occuparet.* Narrat deinde, quo plausu ludic[...] tu advenientes illuc exciperentur adolescentes, [...] pitu & clamoribus per urbis fora & balnea duce[...]e. Basilio post plurima hæc iterum Nazianzenus adnot[...]

Basilius Athenas petit.

Jesu Chr. an. 364. *filium, non ipse solum veneratione prosequebar (quod illius tum in moribus gravitatem, tum in sermonibus maturitatem, & prudentiam conspicerem); sed aliis etiam, quibus non perinde cognitus erat, ut idem facerent, persuadebam. Nam apud multos statim in veneratione erat, ut qui fama, & auditione jam eum præcessissent.*

Gregorii & Basilii conversatio Athenis.

14. Post hæc subdit Gregorius Basilium Athenarum domicilium cito fastidiisse, cum ea non invenisset, quæ absens sibi finxerat. At Gregorius ejus desiderio incensus, quibus potuit argumentis, *tum rationibus eum mulcens, ad animi tranquillitatem* revocavit, ac aliquandiu retinuit. Utriusque autem hanc vivendi rationem ibidem servasse narrat, se scilicet cum castissimis ac omni virtutum genere ornatissimis viris amicitiam consuetudinemque habuisse, exploratum habentes, facilius esse vitia contrahi, quam virtutes, sicuti facilius est morbo alieno infici, quam sanitatem largiri. Hinc factum, ut non solum apud præceptores, & socios, sed apud universam etiam Græciam ambo clari, atque illustres .. sent, quorum fama etiam extra Græciam vulgata est, ut ibidem pluribus persequitur Nazianzenus.

Basilius Cæsaream redit, ubi litteras docet. Ruff. lib. 11. cap. 9.

15. Post hæc Athenis relictis Cæsaream Basilius rediit, ubi litteras docuit: *Ambo Athenis eruditi*, idest Gregorius & Basilius, *de auditorio digressi ad profitendam Rhetoricam rogabantur, quod opus magnifice quidem implebat Basilius*, ait Ruffinus. Diu tamen, vel plausus hominum, honoresque sponte etiam delati Basilium non retinuerunt, nam divinarum litterarum desiderio, Macrina etiam sorore ad id impellente, totus se Deo dicavit, ac cum in Catechumenorum ordine hactenus perseverasset, Christi lavacro regeneratus est.

Basil. vita cap ..3. pag.

..ta ..te-

16. Cumque in dies pietate & doctrina magis, magisque fulgeret, a Dianeo Cæsariensi episcopo primum Lector, ac longo post tempore ab Eusebio Dianei successore Presbyter ... ordinatus. Non subito ad eum gradum evectus, ut plerisque contigerat, *sed ordine, & spiritualis progressionis lege*. ...erea *necessarias quasdam peregrinationes, minimeque a pro... ...ilosophiæ scopo alienas inivit*, ait Nazianzenus, ...icet, & Ægypti monasteria visitans, ut perfectæ ...xempla addisceret, de se ipso quippe narrat Basilius,

Basil. epist. 1, & 223.

immens... labore Syriam, ac Ægyptum se perlustrasse, ut sanctis-

ctissimos viros in Ægypto, in Palæstina, Cælesiria, & Mesopotamia videret, quorum animi fortitudinem in perferendis vigiliis, & laboribus, & in orando constantiam, in frigore, fame, siti, nuditate toleranda non solum est admiratus, sed ad imitandum etiam mirifice excitatus, ita ut toto vitæ curriculo perfecti monachi imaginem Basilius pertulerit.

JESU CHR. AN. 364.

17. In patriam itaque vix reversus, in solitudinem secessit ad ripas fluvii Iridis, cujus in adversa parte erat monasterium a Macrina ædificatum, ibi Basilius non solum pauperrimam vitam, sed & durissimam egit, carnem domans, non aliter ac fugitivum servum: *Erat illi*, inquit Nazianzenus, *tunica una, & pallium unum, & stratus humi lectulus, & illuvies, & vigiliæ, illa ejus decora, & ornamenta, & suavissima cœna, & obsonium, panis, & sal, novum inquam illud condimentum, & potio sobria, & uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt*. Sed de Basilii abstinentia, & vivendi consuetudine plura apud utrosque Gregorios, Nazianzenum, & Nissenum videri possunt, ex quibus Maurinus editor pluribus probat Basilium, æque ac Gregorium Nazianzenum vere monachos egisse. Thomassinus tamen, eos quidem ad certum tempus monasticam egisse vitam fatetur, monachos tamen nunquam fuisse contendit. Hoc unum scimus Basilium monasticæ vitæ auctorem in Ponto fuisse, ut ex ejusdem ad Neocæsarienses epistola constat. Quam autem vivendi regulam ipse, & monachi, qui cum eo erant, servarent, pluribus in locis exponit.

Basilius solitudinem petit, monasticam vitam profitetur.

Nissen. vita Macrinæ.

Nissen. In Basil. vit. to. 3.

Thomass. discip. Eccl. lib. 1. 46. Basil. vit. to. 3. pag. 53. Epist. 207. Epist. 2. 14. 22. 23.

18. De Basilii studiis, & operibus adnotamus, eum non solum epistolas plurimas ante sacerdotium scripsisse, quarum vel summam exscribere longum esset, sed & opuscula, inter cetera circa annum 361. moralia scripsit, quo in opere, quæ fugienda sunt, aut sectanda docet; novum Testamentum in compendiarias quasdam regulas collegit, ne in varias opiniones, quæ tum inter plurimos vigebant, Fideles facile straherentur, ut in proœmio testatur. Interea accidit, ut [illegible] neus Cæsariensis episcopus tempori inserviens, Ariminensi [illegible] mulæ subscriberet, eaque de causa se ab ejusdem comm[illegible]ne Basilius sejunxit, suisque ut idem facerent per[illegible]. cum tamen incaute Ariminensi formulæ subscripsisse [illegible] catholicam Fidem in mente retinens, ante obitum [illegible] [illegible]silio re-

Basilius moralia scri[illegible] a Dianei com[illegible] re[illegible].

in lib.

Epist. 51.

Jesu Chr. An. 364. reconciliari voluit, eoque dum ægrotaret ad se accersito dixit: *Domino teste, se scripto Constantinopoli allato in simplicitate cordis assensisse, sed se nihil ad Fidei Nicænæ a Sanctis Patribus expositæ eversionem sibi proposuisse, neque aliud in corde habere, quam quod ab initio traditum acceperat, immo etiam precari se, ut ne separetur a sorte trecentorum decem, & octo episcoporum, qui piam illam doctrinam orbi annunciarunt.* His auditis Basilius, deposito scrupulo, in Dianei amicitiam, & communionem rediit, quem etiam post obitum multis laudibus celebravit.

Epist. 51.

Basilius contra Eunomium scribit. Epist. 20.

19. Dianeo episcopo Cæsariensi successit Eusebius Juliani ætate, quo tempore, ideft circa annum 363. libros contra Eunomium Basilius vulgavit, eosque Leontio Sophistæ inscripsit, ut in epistola ad eum data testatur, quod opus monachorum suorum hortatu se suscepisse indicat. In iis Eunomii Apologiam confutat, ac Verbi, & Spiritus sancti Divinitatem vindicat. An autem tres aut quinque, prout circumferuntur, libros contra Eunomium Basilius vulgaverit, non tam facile, diffidentibus eruditis, definiri potest, de quibus plura apud Maurinos videri possunt, qui & Eunomii Apologiam a Basilio impugnatam ediderunt.

Bellarm. Dupin. Tillem. tom. 1. pag. 618

Basilius presbyter ordinatur. Greg. Nazian. orat. 20.

20. Tandem cum Basilius in Lectorum ordine diu stetisset, *ac sacros libros populo lectitasset*, ait Gregorius, *demum in presbyterorum, ac deinde in episcoporum cathedra Dominum laudet, non hanc potestatem furatus, nec ea per vim potitus, nec honorem persequutus, sed ab honore quæsitus, nec humano favore, sed divinitus, ac Dei gratia Sacerdotium consecutus.* Diaconum a Meletio Antiocheno ordinatum fuisse narrat Socrates, quem ordinem a Dianeo habuisse, pseudo-Amphilochius in Basilii vita narrat, ac vero similius est; nam *in his* [illegible]*bus*, teste Nazianzeno, *ordinis, & disciplinæ aliis exemplar* [illegible]*silius se præbuit*, a Dianeo itaque, vel ab Eusebio Cæsarien[illegible] episcopo Diaconus ordinatus, paulo post invitus fere inter pres[illegible]s adscriptus est, ut non obscure Gregorius innuit: *Tu* [illegible], inquit ad Basilium scribens, *captus es, quemadmodum* [illegible] *circumscripti, quandoquidem ad presbyterium pertracti sum*[illegible] *id quidem a nobis non expectabatur*, labenti autem [illegible] [pres]byteratus dignitatem obtinuisse Basilium, non [illegible] conjecturis evincit vitæ, & operum editor. Ut vero

Socrat. li. 4. c. 3.

Greg. Nazian. epist. 15.

Basilii vita to. 3. p. 67.

vero sacerdotium suscepit, locum, non vitæ institutum mutavit, ait Nissenus, quod ad obitum usque retinuit. Presbyter autem ordinatus, non solum verbi ministerio, ac pauperum, viduarumque solatio vacabat, sed & innumera alia ecclesiæ negotia administrabat, quæ vix otium ei relinquebant, ut in epistola 20. testatur, qua de causa tanto carior Eusebio esse debuit, quanto eum in ferendo Episcopatus onere sublevabat.

JESU CHR. AN. 364. Nissen. orat. in laudem Basil.

21. At contra res accidit, nam Eusebius Cæsariensis episcopus invidiæ stimulis exagitatus, quod tanti Basilium Cæsarienses facerent, sibique præferrent, ab Ecclesiæ ministerio eum amovit, quod Cæsarienses, & præcipue monachos, qui sub Basilii disciplina vivebant, adeo exacerbavit, ut periculum fuerit, ne Cæsariensis ecclesia schismate scinderetur. Basilius tamen tempori cedens in Pontum iterum ad monasterium suum rediit: *Simultatem quamdam is, qui ante ipsum ecclesiæ præfuit, cum Basilio exercebat, quibus autem de causis, aut quo modo silentio dissimulare satius est, ceterum exercebat, ac propterea adversus eum, idest Eusebium episcopum, ecclesiæ pars selectior, & sapientior concitatur: si modo sapientiores ii habendi sunt, quam plerique, qui se ipsos a mundo sejunxerunt, ac vitam suam Deo consecrarunt. Nazareos nostrates dico, atque in hujusmodi rebus maximum studium, atque operam ponentes. Qui cum grave, atque indignum esse duxissent, pati, ut is, qui principatum inter eos obtinebat, contumelia & probro afficeretur & rejiceretur, periculosissimum facinus aggrediuntur. A magno, & a seditione, ac dissidio alieno ecclesiæ corpore deficere, sesesque abrumpere constituunt, non exiguam quoque plebis partem amputantes, tam eorum, qui inferioris ordinis erant, quam qui dignitates gerebant*. At Basilius ne schisma fieret, *nobis hac in re monitoribus usus in Pontum profugit*, ait Nazianzenus, *ac pietatis gymnasia, quæ illic erant, moderatur, atque cum Helia, & Joanne summis philosophis solitudinem amplectitur*. Diu tamen a Cæsariensi ecclesia non abfuit Basilius, cujus reditus præstantior admirabiliorque fuit, quam secessio, ut ait Nazianzenus pacis sequester inter Basilium, & Eusebium, ut ejusdem epistolæ testantur. Qua vero de causa sollicitus fuerit Nazianzenus, ut Basilium ecclesiæ suæ restitueret, ipse his verbis indicat:

Basilius iterum solitudinem petit.

Nazian. orat. 20. p. 304.

Nazian. epist. 19. 20.

22. *Cum in his studiis versaremur, ingruit subito ... gran-*

Basilius Cæsaream redit.

JESU CHR. AN. 364. *grandinis plena, & exitiose stridens, quæ ecclesias omnes obtrivit, in quas cecidit, & quascumque invasit. Imperator auri amantissimus, & Christi inimicissimus*, idest Valens, *& duobus his gravissimis morbis laborans, inexplicabili nimirum avaritia, & blasphemia, post persecutorem persecutor, post Apostatam non quidem Apostata, sed nihilo tamen eo melior.* Cum itaque bellum instaret, idest Valentis Imperatoris, Arianorumque persecutio, confestim Ponto relicto Cæsaream, Gregorio hortante, rediit, sponte ultroque se in bello socium offerens, ut pluribus narrat Nazianzenus, qui eodem loco, communes pro pietate susceptos labores, initaque pericula recenset, sed de Basilii gestis usque ad episcopatum hactenus.

De parentibus Gregorii Nazianzeni.

23. Basilio Gregorium Nazianzenum addimus, qui cum eo, non solum patriam communem habuit, idest Cappadociam, sed cum eo a prima ætate arctissimo amicitiæ vinculo conjunctus, ad exitum usque perseveravit, easdem fere vitæ vicissitudines expertus, uno fere tempore sacerdotio, & episcopatu ornatus, ut vix ovum ovo similior sit, quam Basilio Nazianzenus, ut ex eorum historia constabit. Nazianzenus itaque ex Nazianzeno, & Nonna piissima fœmina Arianzi prope Nazianzum in secunda Cappadocia ortus est, Gregorii pater *idolis relictis ad pietatis cultum migravit, excussaque Hypsistariorum superstitione, atque impostura, sincerus Divinæ gratiæ discipulus eluxit, ovis quidem primum, deinde Ecclesiæ Nazianzenæ pastor*, ait auctor vitæ Nazianzeni. Quæ autem esset Hypsistariorum secta, idem Nazianzenus in oratione funebri patris sui his verbis narrat: *Ex duabus rebus maxime contrariis, hoc est ex gentili errore, & legali vanitate conflata erat. Quarum utriusque partes quasdam fugiens, ex quibusdam partibus conflata, & constituta est. Etenim illius quidem idola, & sacrificia rejicientes, ignem & lucernas colunt, hujus autem Sabbatum, & jejunam, quam a nonnullis cibis abstinentiam venerantes, circumcisionem aspernantur, atque humiles, & abjecti homines Hypsistariorum sibi nomen imponunt, et soli Omnipotenti venerationem adhibent. Hoc ille modo cum impietatem biformis esset*, ad Christi ovile transiit, cum ja[illegible] m[illegible]us, & vita, ut ait Nazianzenus, ad nos propendere[illegible] [illegible]onversionem Nonnæ precibus, exemplo, & horta[illegible], quæ cum catholicis esset orta parentibus, Greg[illegible]pta, *per mulierem fidelem*, ut ait Apostolus, *sancti-*

Greg. Nazian. orat. 20. In laudem Basilii: Vita Greg. Nazian. pag. 3

stifi catus est vir infidelis. Nonna vero Nazianzeni mater Gregorio nupta, *ceteris quidem in rebus, ut matrimonii leges ferebant, viro suo parere optimum esse judicans, fidei, & pietatis magistram quoque se præbere haudquaquam erubuit*: quantum autem orationibus, jejuniis, aliisque pietatis operibus matrimonio juncta vacaret, ibidem pluribus narrat Nazianzenus, qui & tradit, quod cum episcopi Nicæam anno 325. pergerent, ut Arii furori obsisterent, dum Nazianzum transirent, patrem suum Christo nomen dedisse, ac a Leontio Cæsariensi episcopo baptizatum fuisse: quo tempore futuræ sanctitatis, & sacerdotii non obscura indicia adfuerunt, nam salutari lavacro vix egressus, insolita luce a cunctis adstantibus circumdatus apparuit; Sacerdotium vero *non ea facilitate, ac confusione, quæ nunc viget*, suscepit, ait Nazianzenus, sed servato temporis spatio, tum ad sui purgationem obtinendam, cum ad acquirendam scientiam, regendis populis necessariam. Quo anno Gregorius senior Nazianzenæ ecclesiæ sacerdotium, & episcopatum obtinuerit, in obscuro est: cum tamen anno 325. baptismate ablutus fuerit, & anni aliquot a suscepto baptismate ad sacerdotium transierint, anno 329. aut 330. ea dignitate exornatum fuisse vero propius est: anno autem 374. obiit *cum centum ferme annos vixisset*, *ut* narrat Nazianzenus, *ex iisque in Sacerdotio quinque, & quadraginta exegisset*.

orat.19.

Nazian. orat. 19.p.166.

Tillem. tom.9 p.316. & not. 4.p.694.

Nazian. orat. 19.p.282.

24. Interea cum Nonna Gregorii uxor *masculæ prolis cupiditate flagraret, supplex Deum hujusmodi beneficiorum auctorem precata est*, ac nasciturum filium Deo spopondit, quemadmodum Anna Samuelem; voti compos facta, statim ac in lucem editus est Gregorius, pia mater *Deo consecravit*. De anno, quo tanto filio ditata est Nonna, quove Gregorium luci dederit, magna quæstio, & eruditorum inter se dissident opiniones, cum eorum aliqui, non solum ante patris sacerdotium, sed & ante baptismum Gregorium genitum fuisse tı dant. Baronius anno 324. *natalem ejus contigisse*, ait, *quo ten pore Gregorius pater ethnicus adhuc erat*, Papebrochius, c Pagius, aliique subscribunt, anno tercentesimo primo lu vidisse contendunt, alii tandem anno 328., aut [illegible] Pater sacerdos, aut episcopus esset, quod & Na[illegible] ipsius testimonio confirmare satagunt, qui Gregorium fi.

Quo a Gregori lucem Na de

JESU CHR. AN. 364. bi in ecclesiæ Nazianzenæ administratione auxilio esset, his verbis adloquitur:

Nazian. carm. de vita sua to. 2. p. 7.

Nate, ne spernas patrem.
Honesta posco, sin minus pater petit.
Nondum tot anni sunt tui, quot jam in sacris
Mihi sunt peracti victimis, da quod peto.

His verbis Gregorius senior testatur, se plures annos in victimis offerendis, seu in sacerdotio transegisse, quam filius vitæ haberet, unde sequitur a patre sacerdotio fungente, aut etiam episcopo natum fuisse. Hæc tamen hyperbolice de annis suis Gregorium seniorem dixisse adnotat Baronius, ne contra ecclesiæ morem, ubique ea ætate receptum, eum in episcopatu filios procreasse dicamus. Verum etsi negari non possit, eam in ecclesia ab Apostolica ætate consuetudinem semper viguisse, ut episcopi aut virginitatem, aut continentiam servarent, ut supra pluribus demonstratum est, eamque disciplinam hoc ineunte quarto seculo, in Occidentali, & Orientali ecclesia viguisse, ex Hieronymo, Epiphanio, aliisque probavimus, fieri tamen potuit, ut aliquando violaretur; quod in Gregorio seniori accidisse vix dubitamus, nam etsi cum Baronio per hyperbolem eum loquutum fuisse fingamus, atque eo tempore, quo inter baptismum, & sacerdotium intercessit, Gregorium genuisse constaret, eadem iterum de Cæsario Nazianzeni fratre juniore recurrit quæstio, quam ideo intactam relinquimus, ne in re incerta & obscura diu immoremur.

Bar. 371. 102.

25. His de Gregorii ortu prænotatis, nunc cetera prosequimur; qui cum egregia indole, ingeniique dexteritate excelleret, ut adhuc puer, qualis, quantusve futurus esset, non obscura dederit indicia, cum vero adolevisset, Cæsaream in Palæstina navigavit, inde Alexandriam transiit, ut a præstantissimis magistris, omnium doctrinarum genere imbueretur, Athenas deinde profectus, quæ ibidem gesserit, quæve ejus vitæ consuetudo ibidem fuerit, ex his, quæ supra in Basilio diximus, [illegible] constat, cum quo domum, mensam communem habuit. Postquam [illegible] filius Athenis discesserat, ipse enixe rogatus, ut docen[illegible] [illegible]inciam susciperet, & cathedram ascenderet, ali[illegible] [illegible]stitit, non multo tamen inde discedens, Constanti[illegible] [illegible]ransiit, ac in Cappadociam reversus, salutari lavacro

Nazian. ca. pag. 4.

Nazianz. vita p. 9.

cro ablutus, parentum, ac concivium importunitati cedens, Rethoricam docuit, domesticis etiam publicisque negotiis intentus. Rebus tandem omnibus abdicatis, omnique rerum secularium cura deposita, Christi vestigiis perpetuo inhærere statuit, ac *ei, qui me in sortem accepit, & servavit, omnia dono dedi, opes, splendorem, valetudinem, sermones ipsos, ex quibus hunc dumtaxat fructum cœpi, quod eas contempsi, ac quædam habui, quibus Christum anteponerem.*

JESU CHR. AN. 364.
Carm. de vita sua to. 2. p. 4. 5 Nazian. orat. 10. p. 148. orat. 1. p. 20.

26. Presbyter deinde a patre invitus fere, & repugnans ordinatus, cum tanto honore, ac oneri ferendo, imparem se esse præ humilitate crederet, in Pontum secessit, ut ibidem solitudine, & optatissimo Basilii consortio frueretur, ait auctor vitæ Nazianzeni, eademque ipse Gregorius:

Gregorius Nazianz. Presbyter ordinatur.
Nazian. vitæ p. 8.

tom. 2. p. 5.

Augusta quædam res erat sacer mihi Thronus.
Sic sentientem ut honores aufugeret;
Sic sentientem turbo me sævus rapit,
Nam genitor, etsi mens ei notissima
Mea esset, unde motus haud equidem scio,
Amor paternus forsan hunc induxerat,
Amor, at potestas cui comes vim maximam
Habet, ut catenis spiritus me adstringeret,
Daretque honores, quos habebat maximos,
Per vim, secundis collocat me in sedibus;

idest inter presbyteros adscribit, qui secundas sedes post Episcopum obtinebant, deinde:

Ut mox sodales, mox parentes, & meos,
Mox & propinquos deserens, patrium & larem
In Pontum abirem, pellerem ut curas graves,
Luctusque amici malleo amplexu fruens
Degebat illic maximo, qui cum Deo
Moses ut olim nube sub densa latens,
Erat hic Basilius, qui modo inter Angelos vivit &c.

27. Optata tamen solitudine, & Basilii con[illegible]tudine frui diu non potuit Gregorius, cum etenim gra[illegible] Ariana hæresi cogerentur Episcopi Sirmiensi formulæ sub[illegible] [illegible] itque ex Episcopis nonnulli, aut metu perculsi, aut verborum

Gregorius Nazianzenus redit.

Jesu Chr. an. 364.

Nazian. vita p. 10.

illecebris deliniti, vel morum simplicitate decepti, subscripsissent; inter eos Gregorius quoque senior, in Arianorum insidias inciderat, ac subscripserat, ob quam rem ab ejusdem communione monachi Nazianzenæ Diœcesis sese separarunt, unaque cum iis pars populi, monachorum auctoritate mota. Quamobrem Gregorius junior orationibus ac vigiliis Deum exorabat, ut dissidium exortum cicatrice obduceret, silentiumque sibi indixit, ut animi mœstitiam hac ratione declararet. Patrem deinde ad veniam culpæ petendam, veritatemque pure, & sincere sectandam hortatus, eos qui secesserant ad consensum & concordiam adduxit, quos etiam ad pacem servandam orationibus in eam rem habitis excitavit, quæ proinde *de Pace* inscriptæ sunt; quibus de vitando schismate, de pace sectanda, deque tunc in eam causam gestis multa scitu digna commemorat, quæ tamen longum esset Annalibus inscribere: cujusmodi sunt inter cetera Apologeticus, in quo causas exponit, cur in Pontum recessisset, statim ac presbyter ordinatus fuerat, in qua oratione, quæ sacerdotis officia sint, quæve dotes in episcopis, & presbyteris requirantur, docet. Sed de Gregorii Nazianzeni gestis usque ad episcopatum hæc adnotasse sufficiat.

Nazian. orat. 12. 13. 14.

Nazian. ora. 1

Valentiniani Imp. Lex, qua nocturna sacrificia vetantur.

28. Etsi Valentiniani Imperatoris pietas, ac zelus in catholica fide tuenda commendetur, zelum nihilominus ita temperabat, ut nemini molestiam, aut vim inferret, contentus Ethnicos, aut Hæreticos ad catholicam Fidem exemplo, & honoribus allicere: *Valentinianus*, inquit Socrates, *suæ quidem sectæ, atque opinionis homines fovebat, Arianos tamen nulla afficiebat molestia, Valens vero Arianos promovere cupiens, eos, qui diversa ab illis sentiebant, acerbissime vexavit*. Hinc Marcellinus de Valentiniano Imp. *Postremo hoc moderamine Principatus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut* [illegible] *coleretur, imperavit, aut illud &c.* Extatque adhuc ejusdem Imperatoris lex, initio Imperii sui data, qua unicuique [illegible] sua religione perseverare permittit, cumque impossibile pu[illegible]t Idololatriam, quæ sub Juliano altas iterum radices fixerat, [illegible]nino convellere, nocturna tantum sacrificia, & conventicu[illegible]e lata prohibuit, admonente tamen Prætextato in Græc[illegible]n fieri permisit, nam, ut ait Zozimus: *Legum promulg[illegible]one[illegible] instituere decreverat, exorsus ab ipso Iure,* quod

L. Theodos. maifet., & mathem.

Leg. 7. Cod. Theod. ut sup.

Zozim. li. 4. 3.

quod ajunt, nocturna sacra fieri prohibuit, qua lege coercere volebat ea, quæ scelerate designarentur. Sed cum Prætextatus, qui pro Consule Græciam administrabat, vir omni virtute præstans, hanc legem diceret, vitam injucundam, & acerbam Græcis parituram, si futurum esset, ut mysteria sanctissima, quæ genus humanum continerent, prohiberentur peragi, ea rite vi legis suæ cessante permisit. Altera Lege Christianis munus docendi, ab Juliano ablatum, restituit: *Si quis erudiendis adolescentibus vita pariter, & facundia idoneus erit, vel novum instituat auditorium, vel repetat intermissum. Dat. III. Idus Jun. Joviano, & Varroniano Coss.*, idest hoc anno.

Jesu Chr. an. 364.

Leg. 6. Cod. Theod. de Medicis, et profess.

JESU CHRISTI AN. 365. LIBERII PAPÆ 14.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 2.
COSS. VALENTINIANO, ET VALENTE AUG.
OLYMP. 286. AN. 1. URBIS. AN. 1118.

1. Primarum sedium episcopos hujus ætatis recensens Socrates, narrat Romanæ ecclesiæ fuisse Liberium, Alexandriæ vero homousianis Athanasium, Arianis Lucium. Apud Antiochiam Arianæ factionis episcopus erat Euzojus. Qui vero consubstantialis fidem illic tuebantur, duas in partes divisi erant, quarum alteri Paulinus, alteri præerat Meletius. Jerosolymorum Ecclesiam Cyrillus denuo obtinebat; Constantinopoli Eudoxius Ecclesias possidebat, Arianorum dogma palam prædicans: Homousiani vero in exigua quadam ædicula intra urbem collectas agebant. In Galliis Hilarius Pictaviensis præ ceteris fulgebat ob pietatem, & ob catholicæ Fidei tuendæ zelum. Mediolani vero in Italia Auxentius inter Arianos potissimus.

Qui essent hoc tempore primarum Sedium Episc. Socrat. lib. 4. cap. 1.

2. Ut autem, sub finem anni elapsi, aut labentis initio, Valentinianus Imperator Mediolanum advenit, simulata pietate, ac catholicæ Fidei professione Auxentius in suas [illegible]tes eum trahere conatus est, cui Hilarius Pictaviensis restiti[illegible] qui cum vaferrimo catholicæ Fidei hoste in certamen desce[illegible]dit, ut idem Hilarius refert in Libello contra Arianos, [illegible] præcipue contra Auxentium scripto, seu epistola omnibus E[illegible]scopis, & plebibus Arianam hæresim detestantib[illegible] qua primum pacis quidem nomen, & unitatis vinculum [illegible] sum esse testatur: at pacem, & unitatem in catholica [illegible] Ecclê-

Hilarii Liber contra Auxentium tom. 2. pag. 594.

Jesu Chr. An. 365.

clesia quærendam esse ait; deinde conqueritur, quod plures sub falsæ pietatis opinione, & sub Evangelicæ prædicationis specie abnegarent Christum, ac catholicam & divinam Fidem suffragiis Principum commendarent, quibus verbis Auxentium præcipue sugillat, qui a Valentiniano Imperatore suis fraudibus obtinuerat edictum, ne quisquam Mediolanensem Ecclesiam turbare auderet, idest, ut omnes Auxentio subjicerentur, ac Mediolanensis clerus, & populus, qui Liberii, Eusebii, & Hilarii hortatu, ab Auxentii communione se disjunxerat, cum eo iterum sociaretur. Ne itaque aut falsa pietate decepti, aut Imperialis rescripti auctoritare, ad ineundam cum Auxentio Ariano communionem inducerentur, Mediolanensem plebem, ceterosque Fideles admonet, inter Antichristos deputandos esse Valentem, Ursacium, Auxentium, Geminium, Gajum, ad quos Arii *hæreditas omnis cessit, atque defluxit*. Quæ autem ibidem cum eo egerit, his verbis exponit: *Quamquam igitur impiissimis eorum blasphemiis plenæ omnes ecclesiarum chartæ, plerique jam libri sint, quid proxime tamen acciderit, non tacendum est: Cum edicto gravi sanctus Rex,* (idest Valentinianus) *perturbari ecclesiam Mediolanensem, quæ Deum verum Christum, & unius cum Patre divinitatis, & substantiæ confitetur sub unitatis specie, & voluntate jussisset, etiam importuna interpellatione suggessi, Auxentium blasphemum esse, & omnino hostem Christi habendum: idque adjeci, eum aliter credere, quam rex ipse, aut alii omnes haberent. Quibus rex permotus, audiri nos a Quæstore, & Magistro præcepit, considentibus una nobiscum Episcopis fere decem; primumque, ut in Foro solet, de persona calumniatus est, damnatum quondam me a Saturnino, audiri ut episcopum non oportere. Non est nunc temporis, quid ad hæc responsum sit, enarrare, sed qui tum audiebant, de fide potius, ut regi pla[illegible]erunt, agitandum esse decernunt. Cumque jam in arto esset [illegible]ndi periculo credere se Auxentius, Christum Deum ve[illegible]m, & unius cum Deo Patre Divinitatis, & substantiæ est [illegible]fessus. Placuit igitur hoc scribi, & ne memoriis audientium, q[illegible] dicta essent, elaberentur, continuo libellum regi per Quæs[illegible]rem [illegible]o, quo quid convenisset, contineretur, & ne quid mentiri [illegible]uar, ejusdem exempla subjeci. Placet omnibus, Auxen[illegible] ipsa profiteri frequenter, qui ut ipsum scriberet, est [illegible]. Qui diu consilia sua versans, callidissime fidem re-*

regis eludit: *dat scripturam stylo Antichristi compositam. Nam primum ea, quæ Nicææ Thraciæ omnium impietas resolvisset, sancta esse testatur, vim scilicet illatam episcopis, fidem esse veræ confessionis affirmans. Negat quoque, se scire Arium cum in Alexandria in Ariana ecclesia, cui Gregorius præerat, presbyter esse cæpisset.*

Auxentii Libellus Imperatori oblatus

3. Cum itaque veterator dubiam Fidei professionem edidisset, & ut ait Hilarius, *scripturam stylo Antichristi compositam obtulisset*, ut sese ex angustiis expediret, Imperatorem adiit libello suo, quo catholicum se esse mentiebatur, & Hilarium, & Eusebium Vercellensem, ut Ecclesiæ perturbatores, ac alias episcopatu abdicatos, exilioque mulctatos calumniabatur, ac fidem unitatemque sexcentorum Episcoporum auctoritate ante decem annos firmatam, idest Ariminensi, & Sirmiensi synodo confirmatam, paucorum hominum temeritate non esse labefactandam ajebat; cujus proinde libellum Imperatori Valentiniano oblatum, utpote blasphemiis, mendaciis, calumniisque refertum, pluribus confutavit Hilarius.

Hilarius Mediolano exire jubetur.

4. Quod optabat nihilominus Auxentius obtinuit, ut scilicet Hilarius, tanquam Ecclesiarum perturbator, Mediolano ejiceretur, nam subdit: *Spargitur per populos Auxentium verum Deum Christum, & unius cum Patre divinitatis, ac substantiæ scripsisse, neque ab expositæ per me Fidei dissidere sententia, post quæ ad communionem ejus Rex pro fidei sinceritate advenit. Sed cum hoc mysterium impietatis diu occultatum jam non taceretur, diceremque fingi omnia, fidem denegari, Deum atque homines illudi, jubeor de Mediolano proficisci, cum consistendi mihi in ea invito rege nulla esset libertas. Hæc igitur Fratres, quibus Dei judicium in metu est, ita gesta esse significo. Auxentius, quod negare timuit, noluit confiteri, nam expositionis ipsius exempla subjeci.* Hactenus Hilarius de gestis cum Auxentio, dum hoc anno Mediolani e[illegible]set, ex quibus patet, Facundum Hermianensem turpiter [illegible]rasse, dum hæc tanquam sub Constantio gesta narrat: ne[illegible] magis veritati consentanea est Baronii, & Blondelli sententi[illegible] ut in hanc rem adnotat Hilarii editor, dum hæc [illegible]ano [illegible] contigisse scribunt, cum eo tempore Hilarius, [illegible]onymo[illegible], Sulpicio Severo, & Gregorio Turonensi testibus, [illegible] excessisset, nam obiit anno 367. ut mox videbimus.

[illegible] Fi. [illegible]lleg. D[illegible] [illegible]i tom. 3. pag. 118.

Præf. in lib. contra Auxentium tom. 2. p. 588.

Hanc

Jesu Chr. an. 365.

Hilarii obitus & scripta.

5. Hanc ad episcopos Ecclesiæ catholicæ epistolam, sive adversus Auxentium libellum, ideo vulgavit Hilarius, ut episcopos, eosque præcipue, qui Imperatoris aulam sequebantur, admoneret, ne Auxentii fraudibus decepti comunionem cum eo inirent. Iisque peractis cum in Gallias rediisset, biennio nondum elapso, ad cœlestem gloriam, quam tot susceptis pro Ecclesia catholica laboribus exiliisque toleratis promeruerat, convolavit. De anno, quo Hilarius obierit, etsi omnium una non sit opinio, cum alii usque ad annum 369. eum vixisse tradant, communior tamen, & verosimilior ea est, qua traditur ipsum anno 367. ad præmia æterna convolasse, quod Hieronymi, Sulpicii, aliorumque auctoritate confirmatur, qui eum anno quarto Valentiniani, & Valentis obiisse tradunt, sexto postquam ab exilio redierat, ait Sulpicius, aut eodem anno, quo Gratianus Augustus a Patre dictus est, quæ omnia in annum 367. apprime conveniunt, ut in ejus vita videre est, ubi etiam de die Hilarii ultimo pluribus agitur, quam Novembris primam fuisse constat, qua die in nonnullis Martyrologiis ejus festum celebratur. Martyrologio tamen Romano die XIII. Januarii Hilarii memoria recolitur.

Quo anno Hilarius obierit. *Baron. an. 369. 22. Hilar. vita tom. 1. edit. Maur. p. 123. Pag. ad an. 369. n. 4. Basnag. an. 367. 10. Hilar. vita, ut supra. Belland. die 15. Januarii.*

De Hilarii scriptis. *Hier. de vir. illust. in Hilario cap. 100.*

6. De Hilarii autem operibus, Hieronymum audire præstat, dum ait: *Synodo Byterrensi in Phrygiam relegatus, duodecim adversus Arianos confecit libros, & alium librum de synodis, quem ad Galliarum episcopos scripsit: & in psalmos commentarios, primum videlicet, & secundum, & a quinquagesimo primo usque ad sexagesimum secundum, & a centesimo decimo octavo usque ad extremum, in quo opere imitatus Originem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus & ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat, & alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit, & alius liber adversus Valentem, & Ursacium historiam Ariminensis, & [illegible]leuciensis synodi continens, & ad Præfectum Sallustium, si[illegible] contra Dioscorum, & liber Hymnorum, & M[illegible]steriorum [illegible]: & commentarii in Matthæum, & tractatus in Job, [illegible]os de Græco Origenis ad sensum transtulit, & alius elegans l[illegible]llus co[illegible] Auxentium, & nonnullæ ad diversos epistolæ. [illegible]unt qu[illegible], scripsisse eum & in Cantica Canticorum, sed a nobis hoc [illegible]s ignoratur. Mortuus est Pictavis, Valentiniano, [illegible]nte regnantibus.* Hucusque Hieronymus de libro au-

autem in Job, hæc Caſſiodorus adnotat: *Quidam etiam eſt anonymus, ex cujus ſtylo beatum eſſe ſuſpicamur Hilarium, qui commentaria libri ipſius*, Job ſcilicet, *ſcripſit in ordinem*. Caſſiod. inſt. divin. cap. 6. De Hilarii ſtylo veriſſimum eſt Hieronymi judicium: *Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur, & cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & a lectione ſimplicium fratrum procul eſt*, epiſt. 13. ad Marcellam vero Hæbraici eum eloquii ignarum fuiſſe, ac Græci vix notitiam habuiſſe narrat. epiſt. 141. In ejus tamen operibus evolvendis, ſe quammaxime ſtudioſum fuiſſe, idem Hieronymus ad Florentium Hier. epiſt. 6. teſtatur: *Interpretationem quoque pſalmorum Davidicorum, & prolixum valde librum de ſynodis S. Hilarii, quem apud Treviros manu mea ipſe deſcripſeram, æque ut mihi transferas, peto*; epiſt. 7. & ad Letam de Hilarii libris: *Athanaſii epiſtolas, & Hilarii libros inoffenſo decurrat pede, illorum delectetur ingeniis*. Aliqua tamen ſancto viro exciderunt, quæ benigna indigent interpretatione, de quibus plura in præfatione a Maurinis S. Hilarii Operibus præfixa videri poſſunt; nobis ſat erit adnotare de eodem ſcripſiſſe Hieronymum: *Ipſum temporibus ſuis diſertiſſimum fuiſſe, qui & confeſſionis ſuæ merito, & vitæ induſtria, & eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen eſt, prædicatur*; Hier. epiſt. 141 quem etiam morum ſanctitas & ſuavitas illuſtriorem reddidit, unde *Hilarius vir natura lenis, & placidus, ſimulque eruditus, & ad perſuadendum commodiſſimus*, Ruffin. hiſt. lib. 3[1]. ut non immerito, *magnificum quoddam Mundi lumen* habeatur, ait Ruffinus.

7. Lampſacena ſynodus, anno elapſo habita, Legatos ſuos ad Valentem miſerat, ut quæ Lampſaci geſta erant, ſignificarent, confirmandaque curarent. Lampſaceni legati Romam ad Liberium veniunt. Verum Eudoxius, ut ibidem diximus, Valentis animum fraudibus ſuis ita præoccupaverat, Sozom. li. 6 7. ut non ſolum in ſuam, & Arianorum ſententiam pertraxerit, ſed etiam ſynodi Legatos in exilium abire, eccleſiaſqu Eudoxianis, ſeu Arianis tradi juſſerit, gravioraque adhuc tentaſſet, niſi *Procopii ſuperveniſſet bellum*, ut Sozomenus, ſi[illegible] Socrates adnotant. [illegible] 3. 4. Cum itaque Macedoniani & Semiariani tam dira paterentur, tres ad Liberium Pontificem, ac [illegible] a Valentinianum Imperatorem Legatos miſerunt, ideſt Eu[illegible] Sebaſtenum, Silvanum Tarſienſem, & Theophylum [illegible]um epiſcopos, una cum epiſtolis ſuis, *quibus eos b[illegible]*, *ut* Socrat. li. 4. [illegible] *legatos ſuos omni ope adjuvarent, & cum illis [illegible]ndum eſſet* Sozom. li. 6. [illegible]

JESU CHR. AN. 365. *esset perpenderent, & statum Ecclesiæ prout ipsis visum esset corrigerent, quippe qui probum, ac stabilem fidem ab Apostolis traditam retinerent, ac præ ceteris omnibus Religionis curam gerere deberent*, ait Sozomenus. Socrates vero addit legatis suis mandasse, *ne in fide a Liberio dissentiant, sed cum ecclesia Romana communionem ineant, & fidem Consubstantialis consensu suo confirment*. Romam itaque cum pervenissent legati, Imperatorem quidem adire eis non licuit, quippe qui bello contra Sarmatas in Galliis esset, a Liberio autem Pontifice primum repulsi, ac a sua communione absteuti, utpote ab iis missi, qui Nicænam fidem abrogassent. Illis vero se jamdiu resipuisse, & veritatem agnovisse addentibus, Fidei professionem Liberius ab iis exegit: *Illi ergo libellum ei obtulerunt, in quo etiam verba fidei Nicænæ erant adscripta. Epistolas quidem ab urbe Smirna in Asia, tum ex Pisidia, Isauria, Pamphylia, ac Licia, ubi concilia celebraverant episcopi ad Liberium, & ad occidentales episcopos datas, brevitatis studio prætermisi*, inquit Socrates, *Libellus vero, quem legati una cum Eustathio missi Liberio tradiderunt ita se habet*:

Libellus Liberio oblatus a Legatis Seleucianæ Synodi.

Socrat. Sozom. ut supra Coutcn. pag. ..4.

8. *Domino Fratri, & comministro Liberio, Eustathius, Theophylus, & Silvanus in Domino salutem*. Atque in eo se illibatam fidem a Nicænis Patribus traditam tenere, ac prædicare testantur; ad Romanum Pontificem, ceterosque Italiæ, & Occidentis episcopos cum litteris legatos misisse narrant, & eamdem se cum Nicænis Patribus fidem profiteri, & usque ad extremum spiritum servaturos esse promittunt: condemnantes Arium, & impiam doctrinam ejus cum discipulis illius, nec non omnem hæresim Patropassiani, Marcionis, Photini, Marcelli, & Pauli Samosateni, omnes denique hæreses adversantes sanctæ Fidei, quæ a sanctis patribus Nicææ exposita est; atque in primis anathema dicentes Ario, atque iis omnibus, quæ in Ariminensi synodo adversus prædictam fidem gesta fuerant, ac nominatim iis, quibus Nicææ in Thracia statuta, ac Constantinopolim allata, dolo ac perjurio circumventi subscripserant; tandem fidei professionem Liberio obtulerunt, [illegible] se ab Ariana perfidia alienos omnino fuisse testati sun[illegible].

Liberii epist. ad Orientales

[illegible] [illegible]mare Liberius cum de eorumdem orthodoxa Fide dubit[illegible] posset, *in communionem suscepit, datisque hujusmodi* [illegible] *[illegible]ni sit*, ait Socrates. Epistolæ autem hæc erat inscrip-

scriptio : *Dilectis Fratribus*, *&c. comministris*, *Evetio*, *Cyrillo &c.* aliisque sexaginta circiter, quorum nomina ibidem leguntur, *Liberius episcopus Italiæ*, *& Occidentis episcopi*, *in Domino sempiternam salutem*. Ac optatissimum sibi pacis, & concordiæ gaudium eorum litteras attulisse narrat, & ut catholicam & apostolicam Fidem, a Nicæna synodo confirmatam, quamque ipsorum legati non verbis tantum, sed oblata etiam fidei professione se tenere testati sunt, mordicus sequerentur, suo & Occidentalium episcoporum nomine Liberius excitat. Quare Orientalium legati, seu Lampsacenæ synodi, his acceptis epistolis, subreptaque Liberii communione, in Siciliam properarunt, ubi iterum ab episcopis illuc congregatis ad communionem admissi sunt, quod & ab aliis Synodis etiam obtinuerunt, ut a Tyauensi, Tarsensi &c., de quibus infra sermo fiet.

Sozom. Socrat ut sup. Coutan. pag. 458.

10. Nec quisquam nimiæ facilitatis Liberium arguat, inquit Baronius, *qui ejusmodi nebulones alias sæpe damnatos absolverit*, *eosdemque catholicæ communioni restituerit*; nam ut idem adnotat, Romam venerunt non ut privati, sed publica legatione muniti, ac litteris, libellisque sinceræ Fidei cum sua ipsorum, tum etiam plurimorum Orientalium episcoporum subscriptione firmatis, quibus Arianam, ceterasque hæreses se aversari profitebantur. Quis igitur publicæ Fidei solemniterque testatæ aliquid derogandum putasset, ac non (ut par erat) redeuntibus ad Fidem catholicam, Orientalibus occurrendum potius cum panibus (ut est apud Isaiam), quam renitendum, existimasset? Quod si culpa fuit subreptores subdolos non cavisse, ea nequaquam uni est adscribenda Liberio, sed & ipsi Romano Concilio ea de causa tum coacto, immo & in alias quoque synodus, ac denique in totius Occidentis episcopos refundenda videtur, qui eorumdem Legatorum scriptos Fidei libellos accipientes, in suam ipsorum communionem receperunt.

Liberii fama defenditur. *Baron. an. 365 37.*

11. Procopii interea defectione orientale Imperium hoc anno turbatum est, & in ultimum fere discrimen adductum. Nobilissimo Procopius quidem genere ortus erat, [illegible] iano Imperatori affinis, ac inter ejus Duces præcipuus, q[illegible] etiam defuncti cadaver ad sepulchrum perduxerat, eumqu[illegible] [illegible]a ferebat Julianum morti proximum purpura indui[illegible] cui & Imperium reliquerat; at cum Jovianus ab exerci[illegible] [illegible]rator,

Procopii rebellio, atque ab eo gesta.

 salu-

JESU CHR. AN. 365. *Zozim. li. 4.*

salutatus esset, fuga sibi Procopius consuluerat, seu ut alii narrant, Jovianum rogaverat, ut militari dignitate abdicata, Cæsareæ in Cappadocia, ubi multa prædia possidebat, cum uxore, & liberis privatum degere sibi liceret: cito tamen solitariæ, & privatæ vitæ pertæsus, dum Valens Constantinopoli abesset, clanculo & ignotus illuc migravit, ac nonnullis ad defectionem sollicitatis, & inter eos Eugenio quodam Eunucho ex aula nuper dejecto, Imperium invadere tentavit, cujus initia etsi spernenda viderentur, eo tamen paulatim res deducta est, ut Constantinopoli, Chalcedone, & Nicæa, universaque Bithinia occupata, de abdicando Imperio Valens cogitaret; resumptis tamen viribus, & ad meliora consilia rediens, certamine inito, post varios belli casus, tandem anno sequenti victum, interfecit, ut pluribus narrant Marcellinus, & Zozimus. Rebellionis diem in Fastis Idacii notatam habemus: *Valentiniano, & Valente Coss.* ait, *Latro nocturnus, hostisque publicus intra urbem Constantinopolis apparuit die IV. Kal. Octobris*. Hæc autem ad Valentinianum Parisiis tunc degentem, prope *Kal. Novemb.* nunciata fuisse, narrat Marcellinus.

[illegible] 4. lib. 26. 5. 6.

Horrendus terremotus in Oriente, & Occidente. *Marcell. li. 26. 10. Idacius in Fastis.*

12. Dum Procopii armis concutitur Orientale Imperium, horrendo terræmotu graviori plaga Romanus Orbis percutitur. Duodecimo Kal. Augusti eam cladem Orbi advenisse narrat Idacius, de qua hæc habet Marcellinus: *Hoc novatore adhuc superstite* (idest Procopio Tyranno) *cujus actus multiplices docuimus, & interitum ad diem duodecimum Kal. Augusti, Consule Valentiniano primum cum fratre, horrendi tremores per omnem Orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt*. Narrat deinde, dispulsis retro fluctibus mare, & retecta voragine profundorum, species natantium multiformes limo hærentes ostendisse; naves etiam arida humo aliquando infixas stetisse, usque [illegible] relapsa paulo post aquarum mole, millia multa necavit hominum & submersit. Ingentes vero aliæ *naves extrusæ rapidis flatibus, culminibus insidere tectorum, ut Alexandriæ contigit, & a[illegible] secundum lapidem fere procul a littore contortæ sunt aliquæ, u[illegible] Laconicam prope. Methonem oppidum nos transeundo consp[illegible]us diuturna carie fatiscentem*. Hactenus Ammianus. Eam [illegible] vero cladem Hieronymus anno secundo Valentiniani, & Valentis in Chronico accidisse narrat his verbis

bis : *Terræmotu per totum Orbem facto, mare littus aggreditur, & Siciliæ, multarumque Insularum urbes, & innumerabiles populos oppressit*. Et iterum in vita Hilarionis de eodem terræmotu agens, Epidauros Hilarionis precibus illæsos abiisse adnotat : JESU CHR. AN. 365.

13. *Ea tempestate terræmotu totius Orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, & quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes scilicet fluctus, & undarum moles, & montes gurgitum littoribus inferre, verentes, quod jam evenisse cernebant, ne oppidum funditus everteretur, egressi sunt ad senem Hilarionem videlicet, & quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem [illegible]gnans, paulatim in semetipsum relapsum sit &c.* Deinde post aliqua : *Mirabatur omnis civitas, & magnitudo signi Saloni[illegible] quoque percrebuerat. Quod intelligens senex, in brevi [illegible] clam nocte fugit, & inventa post biduum oneraria navi, [illegible]rexit Cyprum*. Hæc Hieronymus de Hilarione, magis ex[illegible]cente fluctus humanarum laudum, quam irruentes exund[illegible] pelagi gurgites. S. Hilarionis miraculum. Hieron. Hilarionis vita.

14. Eodem tempore Maximus Ephesius, inter philosophos hujus ævi celeberrimus, quique Juliano in deliciis semp[er] fuerat, scelerum suorum tandem pœnas dedit. Oderant [illegible] utrique Imperatores Valens, & Valentinianus, non solum quod ipse magicarum artium studium, & Idololatriæ zelum in Juliani adhuc adolescentuli mentem instillaverat ; Valen[ti]nianus vero olim graviter offensus ab eo fuerat, nam ut [illegible] Zosimus : *Valentinianus Maximo Philosopho succensebat, [illegible]minationis cujusdam memor, quam ille Juliani temporibus [illegible]versus ipsum Valentinianum struxerat, quasi propter religionem christianam ille sacros in ritus impie deliquisset*. Cum itaq[ue] Philosophus religionis prætextu insidias christia[nis] plurimas, Juliano imperante, struxisset, ita ut ne Valenti[nia]no quidem pepercisset ; rebus postea mutatis, Valentis, [et V]alentiniani jussu in custodiam missus, exquisitis suppliciis [illegible]rum gra- I Philosophi supplicium. Zosim. lib. 4.

JESU CHR. AN. 365.

gravitate affectus est, ut pluribus narrat Eunapius in vitis philosophorum cap. 5.

Maximus a Clearcho liberatus paulo post occiditur

15. Extremo tamen supplicio Clearchi opera ereptum tunc fuisse Maximum idem Eunapius addit, qui cum Asiæ præesset, Maximum, quæstionibus admotum, & in equuleo distentum vinculis exolvit, reficiendumque curavit, non multos tamen post annos ob magicas artes in judicium iterum vocatus, capitis abscissione, scelerum tandem pœnas dedit.

JESU CHRISTI AN. 366. DAMASI PAPÆ 1.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 3.
COSS. GRATIANO NOBILISSIMO PUERO, ET DAGALAIPHO.
OLYMP. 286. AN. 2. URBIS AN. 1119.

Synodus Sicula Orientales ad communionem reci-

1. Cum Orientales, seu Lampsacenæ synodi Legati a Liberio Pontifice ad communionem Rom. ecclesiæ recepti fuiss[illegible], ab eoque epistolas accepisent, ut anno elapso diximus: *In Siciliam proficiscuntur*, ait Socrates, *cumque illic synodum* [illegible]*scoporum Siciliæ fieri curassent, & Consubstantialis fidem co*[illegible]*psis confessi essent fidemque Concilii Nicæni comprobassent*; [illegible]*is illorum quoque litteris in eamdem sententiam scriptis*, [illegible], *a quibus missi fuerant, reverterunt. Orientales vero* [illegible]*ii epistola accepta, per singulas civitates Legatos mise*[illegible]*unt ad eos, qui consubstantialis fidem propugnabant, hortan*[illegible], *ut Tarsum Ciliciæ pariter convenirent, ut Nicænam Fi*[illegible] *confirmarent*. Atque id fortasse perfectum fuisset, nisi Eu[illegible]ius Arianæ religionis episcopus, qui tum apud Imperato[illegible] plurimum poterat, obstitisset, addit Socrates. Sozome[illegible] vero: *Congregato ibidem concilio, idest in Sicilia cum epis*[illegible] *illius Insulæ eadem decrevissent, his rebus confectis in*[illegible]*riam reversi sunt*. Multa deinde de mutuis Arianorum in[illegible] & Semiarianorum dissensionibus, deque synodis ea de[illegible] [illegible]sa celebratis addit, ac tandem Orientales ex Italia in Orientem [illegible]ersos, Tyanæ synodum primo celebrasse scribit. Est autem [illegible] civit[illegible] Cappadociæ ad radices Tauri montis posita, de qua synod[illegible] [illegible]nc est agendum.

Tyanensis synodus. Sozom. ut sup.

2. [illegible]e cum Tyanæ synodus episcoporum congregata esset. c[illegible]rerat Eusebius Cæsareæ Cappadociæ episcopus, Atha[illegible]cyræ, Pelagius Laodiceæ, Zeno Tyri, Paulus Eme-

Emesæ, Otrejus Melitinæ, Gregorius Nazianzi, & alii complures, qui regnante Joviano Antiochiæ collecti Consubstantialis doctrinam retinendam esse censuerant, Liberii, & Occidentalium litteræ ibidem recitatæ sunt. Qua ex re ingenti gaudio affecti, scripserunt ad omnes Ecclesias, ut Occidentalium episcoporum decreta, ac epistolas Liberii Papæ & episcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ reciperent, tantorumque & numero & dignitate episcoporum sententiæ subscriberent, hortati sunt; postremo ut ante exitum veris ad statutam diem Tarsum Ciliciæ anno sequenti convenirent.

Jesu Chr. an. 365.

3. Tyanensis synodus Eusthasium Sebastæ episcopum, qu Liberius Papa communionis suæ fecerat participem, suæ Sedi tuerat, de quibus hæc Basilius Occidentalibus scribebat: *Inter qui nobis multum exhibent molestiæ, est Eustathius ex Seb in minore Armenia, qui olim edoctus ab Ario, arianumq dogma semper sectatus, ab episcopatu ejectus, propterea q antea Melitenæ depositus esset, hanc sibi restitutionis viam venit, ut ad vos se conferret. Quænam autem ei proposita fuerint a beatissimo episcopo Liberio, & quibusnam assensus sit ignoramus, nisi quod epistolam attulit, quæ eum restituebat eaque ostensa Concilio Tyanensi in suum locum restitutus* ... At cum iterum Nicænam fidem abnegasset, ac reddita il Liberio Papa communione abuteretur, *necesse est*, ajebat Basilius, *istinc quoque venire emendationem, ac per litteras ecclesiis significari, quibusnam conditionibus susceptus sit, & quomodo nunc immutatus irritum faciat beneficium sibi concessum a Patribus, qui tunc erant*; quem fraudulenter in Liberii communionem irrepsisse addit, ac ex iis, quæ post Tyanensem synodum gesserat, confirmat, atque inter cetera adnotat: *Illud autem non cogitat, suam Fidei Nicænæ confessionem Romæ scriptam servari, seque propria manu obtulisse synodo Tyanensi allatum Roma libellum, qui apud nos servatur, eandem fidem continens*, quibus apertæ fictionis, vel prævaricationis reus convincebatur; hinc iterum de Eustathii simulatio subdit: *Eustathius autem, qui in charta consubstantiale Rom. Tyanum usque attulit, nunc illis admixtus est*, qui Nicænæ Fidei bellum gerebant. Eadem de Eustathio narrat Epiphanius: *Visus est*, inquit, *ad Liberium Romæ episcopum, ... cum multis episcopis legatum agere, & editioni synodi in ... ac*

Basil. ep. ... Maxim. Philosophi ... Epiph. hær. 75

Jesu Chr. An. 366.

ac rectæ fidei confessioni subscribere, verum postea recordatus, & ex somnis expergefactus, rursus priora pravæ opinionis Arianorum consectari non destitit. Sed de Eustathio in suam sedem restituto in synodo Tyanensi, ob Romanæ sedis auctoritatem, & obsequium hactenus.

Liberii Papæ

4. In Liberio desinit vetus Romanorum Pontificum catalogus, cujus tantum initia recitat his verbis: *Liberius fuit temporibus Constantii ex die XI. Kal Junias*, seu, ut alii legendum putant, *Julias, in diem a Coss. Constantio V. & Constantio Cæsare*, idest *anno* 352. 22. *Maji, aut* 21. *Junii*, quo ... die, & anno obierit, ex libello Faustini, & Marcelli... Valentinianum dato scimus, quo habetur, eum octavo ...*ctobris, Gratiano, & Dagalaipho Coss.* obiisse, idest ...4. Septembris labentis anni, qua die ejusdem memoria ...artyrologio Bedæ, aliisque recolitur.

5. Ignaviæ maculas apostolico zelo delevisse Liberium, ...rius dicta satis evincunt. Ut enim anni elapsi gesta præ...teamus, is Lampsacenæ synodi Legatos, ceterosque Orientales, nonnisi post Nicænæ Fidei professionem in suam recepit communionem, testis est Siricius immediatus post Damasum Liberii successor, dum narrat Liberium Ariminense concilium reprobasse, aliaque decreta vulgasse, quibus recta Fides tuebatur: *Post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias a venerandæ memoriæ Prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant*, ab Arianis scilicet venientes baptizare; quibus aliisque gestis factum est, ut ejusdem memoria percelebris apud posteros esset, atque a viris sanctitate & doctrina celeberrimis laudaretur. Audiatur præceteris Ambrosius Mediolanensis episcopus, qui in libro de virginitate, sermonem a Liberio in die Natalis Salvatoris in Basilica Apostolorum Petri, & Pauli habitum, dum Marcellinæ Ambrosii sororis virginitatis velum dedit, libro suo non solum inseruit, sed & ...o elogio exornavit: *Tempus est soror sancta*, ait Ambro...*s, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii ...æcepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior; nam ... is cum in Salvatoris Natali ad Apostolum Petrum virgi...tis professionem, vestis quoque mutatione signaret, quo ... melius die, quam quo virgo posteritatem acquisivit? atq... ...lantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent i... de tua societate: Bonas, inquit, filia nuptias desi-*

Siricii epist. ad ...eriu... ...c. Con... ...g. 621.

Ambros. de ...

desiderasti &c. Post plurima tunc a Liberio in virginitatis laudem dicta, subdit: *Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios majora verbis, apud te minora exemplis sunt.* Hactenus de Liberii laudibus Ambrosius, ut plane appareat, maculam olim, ob communionem cum Arianis initam, posterioribus gestis omnino delevisse non solum, sed & multas inde laudes promeruisse; nec a Siricio tantum, aut Ambrosio, aliisque Latinæ linguæ doctoribus laudatus est, sed etiam a Græcis Patribus, iisque pietate & doctrina celeberrimis. Hinc Epiphanius Beatum eum dicit: Beatissimum vero Basilius ad Occidentales scribens nominat, quare ejusdem nomen in Martyrologiis plurimis die octava, aut nona Kal. Octob. insertum est, sed qui plura de Liberii fide, & gestis scire cupit, notas in Anastasium a viris doctis editas adeat, aut Merendam.

Jesu Chr. an. 366.

Epiph. hær. 75
Basil ep. 263.
Merendæ Diatriba de gestis Liberii inter Damasi opera

6. Liberio e vivis erepto, dum de successore ageretur, infaustum schisma, quod Romanam ecclesiam diu vexavit, conflatum est, nam divisis Romani cleri suffragiis, pars maxima Damasum Romanæ ecclesiæ tunc Diaconum elegit, ac in Romanum Pontificem consecravit; pars altera numero inferior, sed potior temeritate, Ursinum sive Ursicinum elegit. Damasi tamen electionem legitimam fuisse, ac proinde Ursicini schismaticam, etsi cetera deessent testimonia, quibus idem probaretur, totius Orbis consensus, qui cum Damaso communionem iniit, satis aperte demonstrat, ac coævi Scriptores testantur, si Faustinum, & Marcellinum Ursicini schismati aperte faventes excipias, qui Ursicinum primo electum & consecratum fuisse mentiuntur in libello Imperatoribus ea de causa oblato, quorum verba infra exscribemus. Damasi autem electionem legitimam fuisse in primis testatur Hieronymus, qui de electione Damasi hæc in Chronico adnotat: *Damasus trigesimus quintus Romanæ ecclesiæ ordinatur Episcopus; post multum temporis spatium*, seu potius post non multum temporis spatium, scilicet dierum aliquot, *Ursicinus*, seu U[illegible] *a quibusdam episcopus constitutus, Sicinum cum suis invadit*, in Sicinii Basilicam, *a quo Damasianæ partis populo confluente, crudelissimæ interfectiones utriusque sexus perpetratæ sunt*. Eadem cum Hieronymo Ruffinus narrat: *Damasus* [illegible] *Liberium per successionem sacerdotium in Urbe Romana suse*[illegible] *at. Quem prælatum sibi non ferens Ursicinus quidam ej*[illegible] *ecclesiæ. Diaconus, in tantum furoris erupit, ut persuas*[illegible] *m satis.*

Damasi Electio, & Ursicini schisma.

Ruffin. lib. 11. 10.

Jesu Chr. An. 366.

imperito, & agresti episcopo, collecta turbulentorum, & seditiosorum hominum manu, in Basilica, quæ Sicinii appellatur, episcopum se fieri extorqueret, legibus & ordine, & traditione perversis. Quo ex facto tanta seditio, immo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca. Ruffino consentiunt Græci Scriptores Socrates, Sozomenus, aliique recentiores, qui aut solum Damasum Liberio successisse narrant, aut de schismate agentes, legitimum Pontificem Damasum fuisse testantur.

Socrat. lib. 4. c. 37. Sozom. li. 6. 23

Damasi electio legitima probatur.

7. *Mortuo Liberio*, ait Sozomenus, *Damasus Romanæ Sedis administrationem suscepit, qua in ordinatione Ursinus quidam Diaconus quorumdam suffragiis nominatus, cum repulsam passus esset, ferre non potuit, sed clam ab obscuris quibusdam episcopis ordinatus, Ecclesiam discerpere, & separatim collectas agere conabatur. Diviso igitur populo, alii quidem istum, alii vero Damasum præferebant episcopum, hinc ut verosimile est ingens contentio, ac seditio multitudinis exarsit, adeout malum ad vulnera, & cædes usque prorumperet, donec Præfectus Urbis, multis tum ex plebe tum ex clero supplicio affectis, Ursini conatus repressit.* De seditione, & cædibus inde exortis videbimus infra. Episcopus autem obscuri nominis, qui Ursinum ordinare præsumpsit, Paulus Tiburtinus fuit, ut citati Marcellinus & Faustinus scribunt, quo solo argumento constat, illegitimam fuisse Ursini electionem, & ordinationem, cum ex ætate Ostiensis episcopi muneris esset, manus imponere super electum Romanum Pontificem: ante Ursinum itaque Damasus ordinatus, aut saltem electus. *Hinc Episcopo semel facto, & collegarum, & plebis testimonio, & judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse*, facile quisque intelliget, ut in simili casu ad Cornelium Pontificem scribebat Cyprianus. Nullam fidem sibi vindicat Marcellinus ejusdem schismatis parti-, utpote in propria causa testis, dum Ursinum Damaso prævalit, ejusque ordinationem, & tempore, & jure potiorem, fuisse mentitur. De utriusque ordinatione, deque seditionibus, & cædibus e.. de causa patratis, multa ibidem narrat, plurimaque exagerat, aut fingit.

Marcellini mendacia de Ursini, & Damasi ordinatione.

8. (ivo Kal. Octobris, Gratiano, & Dagalaipho Coss. Liberius anis rebus eximitur. Tunc Presbyteri, & Diacones Ursi. , Amantius, & Lupus cum plebe sancta, quæ Liberio

berio fidem ſervaverat in exilio conſtituto, cæperunt in Baſilica Julii procedere, & ſibi Urſinum Diaconum Pontificem in locum Liberii ordinari depoſcunt. Perjuri vero in Lucinis Damaſum ſibi epiſcopum in loco Felicis expoſtulant. Urſinum Paulus Tiburtinus epiſcopus benedicit. Quod ubi Damaſus, qui ſemper Epiſcopatum ambierat, comperit, omnes quadrigarios, & imperitam multitudinem pretio concitat, & armatus fuſtibus ad Baſilicam Julii perrumpit, & magna clade Fidelium per triduum debacchatus eſt. His addit poſt dies ſeptem, cum perjuris, & arenariis, quos ingenti corruperat pretio, Lateranenſem Baſilicam tenuiſſe Damaſum, ibique ordinatum fuiſſe; ac ab Viventio urbis & Juliano Præfecto annonæ, ut Urſinus cum fautoribus ſuis Amantio, & reliquis urbe ejiceretur, obtinuiſſe; graves poſt hæc tumultus inter Damaſi & Urſicini ſectatores exortos, ac inde ſtrages ſecutas commemorat, itaut in Liberiana Baſilica centum ſexaginta utriuſque ſexus fideles vulnerati fuerint, quorum plurimi etiam interfecti ſunt.

JESU CHR. AN. 366. Biblioth. PP. tom. 5.

9. His ſimilia narrat Ammianus Marcellinus ethnicus ſcriptor, dum de Lampadii Præfectura urbana agens de Viventio ejus ſucceſſore addit: *Advenit ſucceſſor ejus ex Exquiſitore Palatii Viventius, integer, & prudens Pannonius, cujus adminiſtratio quieta fuit, & placida copia rerum omnium fluens. Et hunc quoque diſcordantis populi ſeditiones terruere cruentæ. Damaſus, & Urſicinus ſupra modum ad rapiendum epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſi ſtudiis aſperrime conflictabantur, ad uſque mortis, vulnerumque diſcrimina, adjumentis utriuſque progreſſus &c.* Ac una die in Sicinii ſeu Liberiana Baſilica, centum triginta ſeptem peremptorum cadavera reperta fuiſſe adnotat. His vero hæc etiam addit: *Neque ego*, ſubdit, *abnuo oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos, ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti, futuri ſint ita ſecu[illegible] ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis [illegible] dentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeout eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine Urbis deſpecta, quam [illegible]iis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorumdam Pro[illegible]lium viverent, quos tenuitas edendi, potandique parciſſime, [illegible]as etiam [illegible]ndumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, [illegible]uo Nu-*

Schiſmatis cauſa ſeditiones, & cædes Romæ patratæ. Amm. Marcel lib. 27.

Jesu Chr. an. 366.

mini, verisque ejus cultoribus, se puros commendarent, & verecundos.

Romani Pontificis majestas Gentilibus invisa.

10. Negari quidem non potest, ait Baronius, Deorum cultoribus movisse invidiam Christianæ Religionis summum Pontificatum, adeo insigniter externis quoque splendoribus illustratum, ægroque tulisse animo eo munere fungentem Romanum Episcopum ejusmodi claritudine magis conspicuum apparere, quam Gentiliciæ superstitionis Regem sacrificum, sive alios Pontifices, atque sacrificos, jam Deorum cultu frigescente despectos. Certe quidem adeo Romæ his temporibus effulgebat Romanorum Christianæ religionis antistitum decor, ac splendor, ut non Ammiani tantum, vel ceterorum illi similium commoverit animum, sed & clarissimorum virorum, immo amplissimorum Magistratuum invidiam concitaverit. Unde Prætextatus nobilissimus Romanorum, quem Proconsulatum gessisse in Oriente scimus, ac Viventio sequenti anno in urbana Præfectura suffectum, aliisque Magistratibus functum: *Hic ipse Prætextatus*, (inquit S. Hieronymus) *qui & Consul designatus postea mortuus est, homo sacrilegus, & Idolorum cultor solebat ludens Beato Damaso dicere: Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus*, ut plane appareat, summo atque regali Christi Ecclesiæ sacerdotio, regiam quoque magnificentiam fuisse conjunctam: atque hæc ab Ethnico scriptore tanquam e divino oraculo prodita, in Romanam ecclesiam exprobrare non cessant ejusdem Ecclesiæ hostes, minime considerantes, antiquam hanc esse calumniam ab Ethnicis in christianos omnes illatam, cum (ut ait Tertullianus) *prodigas eorum cœnas sugillarent, quæ cum a charitate fuerint Agapæ denominatæ, quantiscumque*, inquit, *sumptibus constent, lucrum est, pietatis nomine facere sumptus.*

Ter. Apolog.

Siquidem ex eis etiam inopes pascebantur, cum alioqui iidem [illegible] ientius jejunare solerent, ac Romæ potissimum, ubi tridiebus cujuslibet hebdomadæ totius anni, excepto Paschali tempore, christianos omnes jejunare consuevisse S. Augustinus ad C[illegible]sulanum scribens testatur. Quod si aliquando viri sancti lar[illegible]s pararunt mensas, id necessitatis, aut charitatis instinct[illegible]iebant, ut viros principes, & magnates benevolos sibi [illegible]derent, quorum patrocinio in rebus Ecclesiæ uterentur; [illegible] de Ambrosio Mediolanensi episcopo, quem nemo in-

Aug.

Jesu Chr. an. 366.

inter parasitos accensebit, narrat Severus, Præfectis Prætorio aliquando convivia exhibuisse, eaque certe talibus hospitibus digna.

Sulp. Sever. Dialog. 1. pag. 94. edit. Veron. 1741.

De Episcoporum, aliorumque Ministrorum ecclesiæ frugalitate in victu, & vestitu.

Hieronym. in Micheam c. 2.

11. Ceterum etsi lauta convivia aliquando exhibentes non condemnamus, dum id necessitas, aut charitas suadet, ita nequaquam probandi sunt, quantalibet dignitate in Ecclesia fulgeant, qui carni indulgentes de patrimonio Christi in victu, & vestitu luxuriantur, quos Hieronymus stylo suo his verbis exagitat: *Sed & Ecclesiæ quoque Principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas, atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sunt e spatiosis domibus, lautisque conviviis, & multo labore epulis conquisitis, & ejiciendi propter malas cogitationes, & opera sua. Et si vis scire, quo ejiciendi sint, Evangelium lege: In tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Hæc aliaque ibidem Hieronymus. Sumptuosas mensas, vestes splendidas, ornatas domos, copiosam familiam in Episcopis, aliisque ecclesiæ ministris pluribus arguit Nazianzenus, quibus se nequaquam assuevisse, ingenue testatur: *Nesciebam*, ait, *nos equis insignibus, & lascivis ferri, sellisque, & curribus magnifice attolli, ac cum fastu, ac pompa deduci, velutque blanda manu demulceri oportere, atque omnes nobis, perinde ac beluis, de via decedere, & in utramque viæ partem scindi, ac distrahi, aut etiam tantam præeuntium turbam esse, ut procul conspicuus incessus noster sit. Si hæc gravia vobis, & acerba fuerunt, præterierunt; hanc injuriam mihi condonate; Antistitem alium, qui multitudini placeat, create, mihi autem solitudinem, & rusticitatem date, ac Deum, cui soli etiam per tenuem victum, cultumque placebimus.* Hactenus in luxuriantes Episcopos, aut cujusvis gradus Clericos Nazianzenus, & ne antiquiora tantum prodamus, tanquam a nostris moribus aliena, quæ Episcoporum esse debeat modestia, & frugalitas in domo, in mensa, in suppellectili, Tridentinum Concilium ponit: *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut episcopi modesta supellectili & mensa, ac frugali vita contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.*

Nazian. orat. 32. pag. 462.

Conc. Trid. ... sess. ... c. 1.

Ut

Jesu Chr. an. 366.

De Damasi genere, ordinatione, & tempore sedis.

Anast. tom. 1. Perez de Bejar in Damaso, & Laurentio Hisp. vindicatis.

Apud Anast. ut sup.

12. Ut ad Damasum revertamur, is Hispanus fuit patre Antonio genitus, die autem prima Octobris, quæ Dominica erat, *Lateranensem Basilicam tenuit, & ibi ordinatus est,* ait auctor libri Pontificalis, per annos decem & octo, menses aliquot Pontificatum tenuit, ab Ursiciniana factione continuo vexatus. Inter cetera *accusatus in crimine de adulterio, facta synodo purificatur a quadraginta quatuor episcopis, damnaverunt Concordium, & Callistum Diaconos accusatores, & jactaverunt de ecclesia*. Hæc autem, aliaque his similia in sanctissimum virum a schismaticis calumniose objecta fuisse, non solum synodali sententia declaratum est, sed & Imperiali rescripto, quo hæc habentur: *Hinc illi insectatores sanctissimæ sedis, non solum Dei nomine, quod satis erat, sed etiam judiciorum examine exploratum mentis sanctissimæ virum, ut etiam divo patri Valentiniano est comprobatum, turpissimis calumniis episcopum Damasum inquietare non veriti, postquam desperaverunt posse percelli populum, pro quo ille divinitatis obses est, inquietant*. Quem etiam judicio Dei electum fuisse Ambrosius testatur, ac virginem, Ecclesiæque virginis Doctorem appellat Hieronymus, sed de Damasi gestis, ejusque pro Dei Ecclesia susceptis laboribus infra.

Hier. ad Pammachium ep. 30.

Procopius occiditur.

Amm. Marcel lib. 26. 9.

Soc … Soz …

13. Cum Procopius adversus Valentem Imp. rebellasset, ut anno elapso diximus, hoc anno temeritatis suæ pœnas dedit, ut pluribus Marcellinus narrat *& occisus est XII. Kal. Julias*, ait Auctor Chronici Alexandrini. Idacius vero *VI. die Kal. Julias*, quem etiam inclinatis vi arboribus, deinde solutis misere discerptum, tradunt Socrates, & Sozomenus: *Pari indignationis impetu Florentius, & Barchalba, qui eum* (idest Procopium) *duxerant confestim, non pensata ratione sunt interfecti*, ait idem Marcellinus. Cum Procopio periit & Marcellus ejus cognatus, qui apud Nicæam agens, Procopii nece audita, tyrannidem arripuerat, & Chalcedone occupa- Imperii larvam induerat; nam Æquitius missa militum ma- n, in carcerem misit, & post dies aliquot productus, late- ..us acerrime fulcatis, interfectus est.

Valen[s] junior a nat[us] …

14. Hoc eodem anno Gratiano, & Dagalaipho Coss. *natus est Va[lent]inianus junior filius Augusti Valentis die XV. Kal. Febr.* [I]dacius in fastis, biennio post cum Victore Consul dictus … [Galat]ic Valentinianus, in cujus laudem Themistins orationem … in qua passim Valentem Patrem nominat, proin-

proinde filius fuit Dominicæ Valentis uxoris, non vero Justinæ Valentiniani senioris uxoris, ut scribit Baronius, quem errorem ex Socrate, & Sozomeno hausit, qui Valentinianum juniorem hoc anno natum, Valentiniani senioris filium dixerunt, Valentis vero filium Galatem vocant, eo quod in Galatia natus sit, ut a Valesio, & Pagio admonemur.

Socrat.li.4.26 Sozom.li.6.10 Valef. not. ib. Pag. not. 6. ad an. 366.

JESU CHRISTI AN. 367. DAMASI PAPÆ 2.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 4. GRATIANI IMP. 1.
COSS. LUPICINO, ET JOVINO.
OLYMP. 286. AN. 3. URB. AN. 1120.

1. Procopio Tyranno, & Marcello extinctis, in exteros Valens arma convertit, ideft adversus Gothos, qui Procopio auxilio fuerant, ait Marcellinus, ac collecto exercitu, transgressus Istrum ad Danubium usque progressus est, eoque trajecto, quos vinceret non invenit, nam Gothi ad interiora loca, densioresque silvas confugerant: *Ne igitur æstate omni sine ullo remaneret effectu, Arintheo magistro peditum misso cum prædatoriis militibus, rediit cum suis innoxius, nec illato gravi vulnere, nec accepto*, hæcque fuere Gothici belli initia, quod duobus sequentibus annis confectum est, ut infra videbimus.

Valens Imp. adversus Gothos bellum suscipit. *Marcell.li.27*

2. Eo interea durante bello, ne incertis belli casibus illotus se exponeret Valens, ab Eudoxio Constantinopolitano episcopo Ariano baptizari voluit: *Cum Gothi trajecto Danubio Thraciam popularentur, collecto exercitu bellum iis inferre Valens decrevit*, inquit Theodoretus: *Optimum ergo factu visum est illi, ut non divina gratia nudus, sed sacrosancti Baptismatis armatura munitus ad certamen procederet*. Atque hoc quidem rectum, ac prudens consilium fuisset, nisi Arianæ hæresi laqueis irretitus baptismum ab Eudoxio suscepisset, qui eo tempore ecclesiæ Constantinopolitanæ clavum tenebat, non regens navem, sed submergens, qui etiam, *dum Valentem Baptismi sacramento initiaret, jurejurando miserum ad hoc obstrinxit, ut in impietate dogmatis perseveraret; & contraria sentientes*, seu Catholicos, *omnibus locis expelleret*; nec promissis defuit, nam *brevi interjecto tempore, quæ sub jurisjurandi fide promiserat, adimplevit*. Quare Hieronymus in Chronico ad hunc annum: *Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptizatus, nostros persequitur*.

Valens ab Eudoxio CP. episcopo baptizatur. *Theod. li. 4. cap. 12*

Ut

JESU CHR. AN. 357.

Nicomedienſis ſynodus Arianorum.

Socrat. lib. 4. 6

3. Ut opinioni ſuæ auctoritatem conciliaret, Arianorum conventicula congregavit, quorum primum Nicomedienſe fuit. *Imperator rebus feliciter geſtis*, ait Socrates, ideſt Procopio extincto, & Gothis repreſſis, *chriſtianos exagitare cœpit, dum cunctos ad Arii ſententiam cupit traducere. Sed præcipue Lampſacena ſynodus eum ad iracundiam provocabat, non ob id ſolum, quod Arianos epiſcopos depoſuiſſet, verum etiam, quod fidem Arimini expoſitam anathemate damnaſſet. Cum igitur Nicomediam Bithyniæ veniſſet, Eleuſium Cyzici epiſcopum ad ſe vocat, qui opinioni Macedonianæ præ cæteris erat addictus, ut ſupra retulimus. Itaque Imperator collecto Arianorum epiſcoporum Concilio, Eleuſium Cyzici epiſcopum illorum fidei aſſentiri jubet. At ille primo quidem id facturum ſe negavit. Tandem vero cum exilium, & bonorum publicatio ipſi intentaretur, perterrefactus Arianorum opinioni conſenſit*. Ut autem Cyzicum rediit Eleuſius, ut narrat Socrates, *coram omni multitudine, vim ſibi illatam* fuiſſe conqueſtus, ac invitum ſe aſſerens non ſua ſponte ſubſcripſiſſe, ut alium ſibi epiſcopum quærerent, admonuit. At Cyziceni præ amore, quo illum proſequebantur, eum Eccleſia ſua excedere non permiſerunt, nec a propria, ideſt Macedoniana hæreſi diſceſſerunt. Eudoxii tamen Conſtantinopolitani epiſcopi opera Eunomius illuc miſſus, Cyzici epiſcopus ordinatus eſt, ut Socrates, & Sozomenus narrant. Theodoretus tamen, & Philoſtorgius, Conſtantii tempore Eunomium Cyzici epiſcopum ordinatum fuiſſe adnotant, quem Valens in exilium ejecit, eo quod Procopio tyranno faviſſet.

Socrat. li. 4. 7. Sozom. li. 6. 8. Theodor li. 2. 27. 29. Philoſt. Valeſ. ... at.

4. Tyanenſis ſynodus anno elapſo habita, alteram verno tempore anni ſequentis Tarſi celebrandam indixerat. Quatuor aque ac quadraginta epiſcopi illuc ex Aſia congregati, etſi Conſubſtantialis vocabulum, utpote Semiariani rejecerint, ac [illegible]dei formulæ Antiochiæ, & Seleuciæ olim editæ ſubſcripſe[illegible]nt; Imperator tamen Eudoxii impulſu, concilium, quod Tar[illegible] futurum erat, ſcriptis ea de re litteris, minisque adjectis, diſſolvit. Nam prævalente Anomeorum ſeu Arianorum factione, quorum princeps erat Eudoxius, non ſolum catholici, & Nicænæ fidei aſſeclæ, ſuis ejiciebantur ſedibus, variiſque modis vexab[illegible]r, ſed cum ipſis quotquot genua flectere coram Balaal, [illegible]am Eudoxio blaſphemare recuſabant, ſive Semiariani ii eſſent, ſive Macedoniani, aut Novatiani, aut cujuſcum-

Socrat.li.4.6.

cumque secta, quæ ab Arianis dissentiret. Unde in Seleucianam Semiarianorum synodum Valentis ira exarsit, eosque iterum Tarsi congregari minacibus scriptis prohibuit: *Imperator eos, qui Consubstantialis fidem profitebantur, persequi non destitit, verum & illos expulit Constantinopoli, & cum illis etiam Novatianos, utpote idem cum illis sentientes, quorum ecclesias etiam claudi jussit*. Agelium vero CP. Novatianorum episcopum exulare coegit, virum quidem, qui jam inde ab Constantini temporibus ecclesiis illorum præfuerat. Valentis tamen iram adversus Novatianos repressit vir quidam religiosus simul, ac disertus, Marcianus nomine, qui prius quidem in palatio militaverat, tunc vero Ecclesiæ Novatianorum presbyter erat, ac grammaticæ artis præcepta Anastasiæ, & Carosæ Valentis filiabus dabat. Hujus igitur viri auctoritate, ac reverentia, Novatianorum ecclesiæ cum aliquandiu clausæ fuissent, denuo reseratæ sunt. Nec tamen ab infestationibus Arianorum penitus immunes fuerunt Novatiani; oderant enim illos Ariani, propterea quod Homousianos, utpote idem cum ipsis sentientes, amore & benevolentia prosequerentur, ait Socrates.

Valentis persecutio in Catholicos, Athanasius latitat.

Sozom.li.6.12.

5. In Catholicos tamen Arianorum furor præcipue, & in Athanasium exarsit. Quare provinciarum Rectoribus jussit Valens, ut Episcopos, qui Constantii tempore depositi, postea regnante Juliano sacerdotium recuperaverant, ecclesiis expellerent, gravi irrogata pœna, nisi cito imperata fecissent. Eaque de causa, qui in Ægypto magistratum gerebant, Athanasium ecclesiis illius loci spoliare, & ex civitate ejicere studuerunt. Verum multitudo christianorum in unum collecta, rogavit Præfectum, ne Episcopum inconsulte expelleret; sed accuratius expenderet formam Imperialium litterarum, quippe quæ adversus eos solos valerent, qui post exilium Constantii temporibus irrogatum, regnante Juliano, reversi fuerant: Athanasium porro, ajebant, relegatum quidem fuisse a Constantio, ab eoque etiam episcopatum suum recuperasse; Julianum vero ceteros quidem, uno excepto Athanasio, ab exilio revocasse. Hæc cum dixissent, vim Athanasio inferri prohibuerunt, ne seditionis occasio Alexandrinæ plebi daretur. Cumque non multo post Athanasius persecutionem d[illegible] timens, Alexandria clam digressus sese abscondisset, Valentis iram veritus Valens, aut Alexandrinorum seditionem, *ut reretur, & eccle-*

JESU CHR. AN. 367. *Socrat. li. 4. 13*

siam suam reciperet ei scripsit, ait Socrates, eaque ratione factum est, ut Alexandrinorum Ecclesia, usque ad obitum Athanasii, quieta, & pacata permaneret, idest usque ad annum 372.

Valentis persecutio in Clerum Alex. & Ægypti Episc. *Sozom. ut sup.*

6. Eadem tamen indulgentia in Ægypti episcopos usus non est Valens, nam ut ait Ruffinus, *Episcopos egit in exilium, & presbyteros, & diaconos, & monachos Tatiano Alexandriæ Præsidente*, seu Augustali, ut ab excerptis Scaligeri dicitur, *usque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit. In reliquos vero persecutio incubuit non dissimilis illi, quæ a Gentilibus olim fuerat excitata*, ait Sozomenus; eamdemque persecutionem Alexandriæ, & in Ægypto viguisse tradit auctor anonymus vitæ S. Athanasii apud Photium: *Tatiano tunc temporis Ægypti Præfecto, Christiani horrendis variisque suppliciis vexati sunt, multique eorum martyrii coronam adepti sunt*. Hunc Tatianum Ægypti Præfectum, seu Augustalem *VI. Kalen. Februar.* Alexandriam introisse *Lupicino, & Jovino Coss.* tradit auctor anonymus a Scaligero editus, ad quem extat lex prima Cod. Theodotiani: *Si Curialis relicta civitate*, data VI. idus Maji hoc anno.

Eusebii Samosateni exilium. *Theodor. lib. 4. cap.*

7. Quam dira autem passi sint catholici Episcopi tunc exulare coacti, ex iis, quæ de Eusebio Samosateno narrat Theodoretus, conjici facile potest. Is itaque cum non solum Nicænæ fidei vindex acerrimus esset, sed & apostolicis laboribus clarus, quippe Constantii tempore Ecclesias plurimas pastoribus viduatas, militari habitu peragrans, presbyteros, ac diaconos, aliosque ecclesiæ ministros ordinando, sublevaverat: *Quantam porro*, subdit idem auctor, *magnitudinem animi, ac prudentiam ostenderit, tunc cum Imperatoris litteras accepit, quibus proficisci in Thraciam jubebatur, necessarium esse existimo, ut discant ii, qui ignorant*. Ad vesperam quippe venerat minister Imperialis, quem Eusebius monuit, ut sileret, causamque adventus sui celaret, ne plebs quod futurum erat prævidens, zelo incensa in flumen eum præcipitaret. Quare vespertino officio persoluto, noctis tempore clam urbe egressus ad ripam fluminis pervenit, ac navigium ingressus remigibus præcepit, ut Zeugma versus contenderent. At orta luce cum Samosateni eum urbe excessisse didicissent, tanta frequentia eum secuti sunt, ut fluminis alveus navigantium turba impleretur. Zeugma autem cum pervenissent ejulantes, mæ-

mœrentesque, ei persuadere conabantur, ut remaneret, nec gregem suum lupis exponeret. Eusebius vero Apostolicum præceptum, quo potestatibus obedire præcipitur recitans, in sua perseveravit sententia, iterque suum prosecutus est cum universos hortatus esset, ut pro Apostolica doctrina fortiter pugnarent. Jesu Chr. an. 367.

8. Quo tempore in Thraciam a militibus ducebatur, ac Cappadociam pertransiret Eusebius, gravi morbo detentus Nazianzenus, eum videre non potuit, quare ad eum in exilio agentem hanc dedit epistolam: *Quo tempore pietas tua per patriam nostram transibat, adeo gravi morbo laborabam, ut ne e cubiculo quidem prospicere possem. Me porro non tam morbus, quamvis alioqui periculosissimus, excruciabat, quam quod fausto, & sacrosancto tuo congressu privabar. Tanta quippe vultus istius honorabilis videndi cupiditate teneor, quanta eum teneri par est, qui spiritualium vulnerum curatione indiget, eamque a præstantia tua consecuturum sperat &c.* ejusque se orationibus commendat. Cum autem Euphrasius quidam ad Eusebium in Thracia exulantem perrexisset, eo redeunte ad Gregorium Eusebius litteras dedit, quibus acceptis iterum Nazianzenus alteras ad Eusebium scripsit, quibus Christi Confessorem ob labores pro Ecclesia toleratos impense laudat; ac alia epistola columnam, & firmamentum Ecclesiæ eum appellat. Gregorii Nazian. epist. ad Eusebium Samosatenum epist. 28. epist. 30.

9. Post Eusebii relegationem cum Ariani ejus loco Eunomium Episcopum ordinassent, in tanta eum Samosateni execratione habuerunt, ut eorum nemo ecclesiasticos conventus celebraret, cum quo neque in balneis communem aquam habere sustinebant, ut pluribus narrat Theodoretus; quare Arianus episcopus inde recessit, stultum ducens in ea civitate degere, quæ ipsum aversaretur, & publico prosequeretur odio. At Ariani in Eunomii locum Lucium quemdam episcopum ordinarunt, quem etiam Samosateni eousque aversati sunt, ut quadam die adolescentes pila ludentes, cum pilam inter pedes illius pertransisset pollutam remansisse exclamarunt, ac incenso igne per flammam quodammodo eam expiarunt, puerili scelere facinore comprobantes se Arianam hæresim aversari. Cæterum Lucius mansuetudinem Eunomii haudquaquam imitatus est, quin auctor fuit, ut complures ecclesiasticalis Ordinis viri, ii præcipue qui divina dogmata acrius tuebantur, in ulti- Samosateni Eunomium, & Lucium Arianos aversantur. Theod. lib. 4.

JESU CHR. AN. 367.

ultimas Imperii Romani oras relegarentur. Inter eos Evolcius Diaconus in Oasim relegatus est. Antiochus vero Eusebii Samosateni episcopi propinquus, ac multis egregiis facinoribus clarus, in ultimas Armeniæ plagas.

Pelagii Laodiceni Episc. elogium, & exilium. *Theodor. lib. 4.13.*

10. Inter extorres a Valente factos, celeberrimus fuit Pelagius Laodiceæ episcopus, de quo Theodoretus: *Laodicensem Ecclesiam egregio Pastore orbavit Pelagio. Is dum esset adolescens, matrimonii jugum subierat, sed primo nuptiarum die, in ipso thalamo persuasit sponsæ suæ, ut castitatem virili congressui anteponeret, eamque instituit, ut pro maritali consortio fraternum amorem amplecteretur.* Cumque virtutum omnium splendore fulgeret, communi omnium suffragio sacerdotium consecutus est, quem Ariani in Arabiam relegarunt.

Horrenda grando CP. decidit. *Socrat. lib. 4.11.*

11. Insuetatæ molis grando Constantinopoli hoc anno decidit, ut in Chronico ad hunc annum narrat Hieronymus: *Tanta Constantinopoli est orta tempestas, ut miræ magnitudinis decidens grando, nonnullos hominum interfecerit.* Eamque Deo vindice immissam fuisse, adnotavit Socrates: *Lupicino, & Jovino Coss. sexto nonas Julii grando immensæ magnitudinis instar lapidum cecidit Constantinopoli. Hanc autem grandinem ira Dei immissam esse dicebant, eo quod Imperator complures Sacerdotes, qui Eudoxio communicare nollent, in exilium miserat. Mense Desio*, hoc est Junio, saxeam grandinem cecidisse narrat Auctor Chronici Alexandrini, Idacius vero his quidem Consulibus, sed *die quarto nonas Julii.*

Ursicinus Urbe ejicitur.

12. Ad res Occidentales convertatur oratio. Cum Ursicini factio adversus Damasum, Ecclesiamque catholicam rebellis, Romæ turbas excitaret, Prætextatus Urbis Præfectus seditionis, ac cædium auctorem urbe expulit, ut narrat Ammianus: *Hæc inter Prætextatus urbis Præfecturam sublimius curans, tumultu lenito, quem christianorum jurgia concitaverant, pulsoque Ursicino, alta quies pari jam proposito Civium Romanorum adolescebat, gloria clari rectoris, complura, & utilia disponentis.* Hæc Ammianus de Prætextato urbis Præfecto, quem etiam ob redditam Romano populo pacem, præclarasque animi dotes, multis exornat laudibus.

Ursicinus in Urbem redit. *Biblioth. PP. tom.5.p.671.*

13. F[...] Ursicini exilium, Schismaticorum præcipui libellum Valentiniano Imperatori querelarum, ac calumniarum plenum o[...]ntes, ab eo, ut in urbem redire posset, impetrarunt, ajebant enim inter cætera: *Plebs adunata in Basilica*

Li-

Liberii clamabat, *christiane Imperator nihil te latet*: *Omnes Episcopi Romam veniant*, *agatur causa*, *quantum jam bellum Damasus fecit*, *a Sede Petri homicidas foras*. His acceptis Valentinianus schismaticis, ut in urbem redirent, permisit. Quare Ursicinus cum Amantio, & Lupo Diaconibus *decimo septimo Kal. Octob. Lupicino*, *& Jovino Coss. ad Urbem redit*. Rescripto autem suo Prætextatum admonuit Valentinianus, ut si in posterum schismatici aliquid spiritu gesserint inquieto, *quo tranquillitas reformata turbetur*, *severissima in eos sententia proferatur*. *Nullam enim possunt veniam promereri*, *qui non desinunt peccare post veniam*.

Jesu Chr. an. 367.

Cod. Theodos. tit. de hæret. & schismat.

14. Ut in Urbem Ursicinus rediit, iterum res turbatæ sunt, qua de causa ne graviores in dies tumultus excitarentur, rescripto altero Basilicam, quam schismatici occupaverant, Damaso reddi jussit Valentinianus, Ursicinum vero, ejusque socios Urbe ejici præcepit, facta iis potestate, ut ubicumque vellent, extra Urbem vagarentur, cujus hæc sunt verba: *Imperator Prætextato*. *Dissensionis Auctore sublato*, *omnis causa discordiæ sopienda est*, *ne aliqua remanente materia nihil prosit e medio sustulisse fomitem jurgiorum*, *Prætextate parens carissime*. *Quamobrem præcelsa sublimitas tua*, *defensionis Ecclesiæ urbis Romæ*, *sive Damasi sacræ Legis antistitis petitione perspecta*, *qua una tantum ecclesia ex catholicæ Religionis obsequio a diffidentibus adhuc dicitur retentari*, *quoniam pro publica securitate metuendum est*, *ne aliquis hinc iterum tumultus oriatur* (*quandoquidem non parva sit separationis effigies*, *ut tale aliquid putetur occlusum*) *Damaso eam jubebit aperiri*, *ut singuli universique cognoscant*, *quo unitas studio colenda sit*, *qua omnibus pace vivendum*; *cum ecclesiis restitutis plenissimam postulet congregationem ubique promissa concordia*. Hæc de reddenda Basilica Valentinianus, de pellendis vero ab Urbe schismaticis subdit: *Ea nobis innata est moderatio*, *ut publicam disciplinam sine cujusquam calamitate munire cupiamus*. Hinc Ursicino, & sociis, *[illegible] tantum*, *cujus tranquillitati studemus*, *excepta*, *ubicumque [illegible]luerint absque religionis injuria* (*ut peregrinari potius*, *quam exulare videantur*) *proprio liceat jure versari* C *Data pridie Idus Januar. A. II. Coss.* idest anno proximo [illegible]o duo Augusti secundo Consules fuerunt; Schismaticorum vero reliqui, qui in Urbe remanserant, cum Basilicam non haberent, priva-

Ursicinus iterum Urbe ejicitur.

Biblioth. PP. tom. 5. ut sup.

tis

Jesu Chr. an. 367.

tis in domibus collectas agebant, de quorum gestis infra sermo redibit.

Valentiniani Lex de reis dimittendis in festo Paschatis.

15. Hoc etiam anno Valentinianus ob Resurrectionis memoriam, reorum plurimos in Paschatis festo a pœna absolvit, lege ad Viventium data, qui ante Prætextatum, hujus anni initio, Urbis Præfecturam gesserat: *Ob diem Paschæ*, inquit, *quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus: attamen sacrilegus in Majestatem reus, in mortuos veneficus, sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione istius muneris separentur. Data III. nonas Maii. Lupicino, & Jovino Coss.* Ob quam rem querebatur Ambrosius, quod Valentinianus Junior, Justina suadente, sanctis diebus, viros carceri mancipasset: *Sanctis diebus hebdomadæ ultimæ, quibus solebant debitorum vincula relaxari*. Eo pertinent & Cassiodori verba, dum ait: *Quamvis nomen ipsius Judicis dicatum videatur esse justitiæ, & totius anni orbitam æquitatis jubeamur ambulare vestigiis, his tamen diebus in domicilium pietatis jure deflectimus, ut ad Redemptorem omnium remissionis itinere pervenire possimus*.

Ambros. epist. 33. Cassiod. lib. 11 epist. 40.

Valentiniani nimia severitas.

16. Hanc tamen animi clementiam nimia severitate persæpe Valentinianus violavit. Cum etenim pravorum morum vindicem acerrimum se esse profiteretur, accidebat sæpe, ut delecti ab eo judices pro levioribus culpis, aut incertis suspicionibus graviorem pœnam infligerent: & ut prætereamus eos, quos Magiæ reos, vel leviter suspectos vindex gladius abstulit, ut narrat Marcellinus, alios hoc tempore Imperatoris jussu injuste damnatos tradit, quos Christiani Martyrum honore dignos censuerunt, ac inter eos Dioclem quemdam Ex-comitem largitionum Illyrici, quem ob delicta levia flammis jussit exuri, & Diodorum Agentem in rebus, triumque apparitorum potestatis Vicariæ per Italiam: *Quorum memo-[illegible]iam apud Mediolanum colentes nunc usque christiani, locum [illegible] [illegible]pulti sunt, ad Innocentes appellant*. His alios Marcel- [illegible] addit, quos Valentinianus extremo supplicio destinaverat, [illegible] scilicet oppidorum ordines, nisi eum Euphrasius quæstor [illegible]hibuisset.. ad Valentinianum hæc præfatus; *Parcius agito [illegible]issime F[illegible]gum; hos enim, quos interfici tanquam noxios jubes, ut [illegible]res, idest Divinitati acceptos colit Religio christiana*. [illegible] Ammianus, nec solum ignobiles aut ex plebe viri, sed nobiles etiam fœminæ gravioribus quæstionibus,

Marcell. lib. 27.

Ammian. lib. 28.

nibus, & suppliciis, adulterii vel stupri accusatæ, affectæ sunt. Inter quas *notiores fuere Clarita, & Flaviana*. His addendæ Ruffina, & Hesichia Matrona, Fausiana, Aneptia, quæ adulterii accusatæ, aut supplicio, aut supplicium prævenientes vitam finierunt.

JESU CHR. AN. 367.

17. Hos omnes casus superavit sævitia in mulierem Vercellensem adulterii falso accusatam. Pluribus persequitur Hieronymus in epistola lugubrem tragœdiam ad Innocentium quemdam his verbis: *Igitur Vercellæ Ligurum civitas haud procul a radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. Hanc cum ex more Consularis inviseret, oblatam sibi quamdam mulierculam una cum adultero (nam hoc crimen maritus impegerat) pœnali carceris horrore circumdedit*. Neque multo post, cum lividas carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infelicissimus Juvenum, volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum, solusque omnium miser merito jussus est percuti, innoxiæ non reliquens locum unde posset negare. At vero mulier, sexu suo fortior, in equuleo suspensa crudeliterque laniata, ad Deum toto corde ac cum lacrymis ajebat: *Tu testis es, Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis, & cordis, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem*. At judex juvenis confessione innixus, mulierem acrius torqueri jussit, similem carnifici pœnam minatus, nisi ab inferiori sexu confessionem extorsisset. Fortis autem mulier inter tormenta ita permansit, ut vel ipse langueret tortor, nec novo vulneri locum inveniret. Consularis nihilominus in sua sævitia perseverans: *Quid miramini*, inquit, *circumstantes, si torqueri mulier mavult, quam perire? Adulterium certe sine duobus comitti non potuit, & esse credibilius reor, noxiam ream negare de scelere, quam innocentem Juvenem confiteri*. Una itaque sententia utrumque capitali supplicio condemnavit. Et quidem miserrimi Juvenis caput ad primum ictum amputatur, truncumque in suo sanguine volutatur cadaver:

Mulier Vercellensis adulterii accusata sed innocens. *Hier. epist. 49*

18. Ad fœminam vero cum ventum est, si trementem cervicem exertum gladium carnifex totis viribus concitavit, ad primum corporis tactum stetit mucro letalis, & leviter perstringens cutem, vix guttas sanguinis elicuit. Cumque

Mulier innocens miraculo liberatur.

que

Jesu Chr. An. 367. que secundo & tertio ictum renovasset, quasi ferrum eam timeret attingere, circa cervicem torpet innoxium. Furens autem, & anhelans carnifex in jugulum ferrum aptat, ut qui secare non poterat, saltem premente manu collum feriret: gladius reflectitur, & velut dominum suum victus aspiciens, confessus est, se ferire non posse. Ad inopinatum evidensque miraculum, in mulieris defensionem armatur populus, ac carnificem fugat. At is, cui damnatorum cura pertinebat, e medio erumpens: *Cur meum*, inquit, *o cives petitis caput? me illi vicarium datis. Si misericordes, si clementes estis, si vultis servare damnatam, innocens certe perire non debeo*. Quare commota plebs repente mutatur, ac ut occideretur permittit. Novus itaque ensis, novus percussor accedit, & primo statim ictu percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertio vulnerata prosternitur. Ac quæ prius fuerat quarto percussa, nec læsa, post paululum visa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici, interea quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver involvunt, & ex more tumulum parant. At dum ad sepulturam defertur revivíscere visa est, quæ mortua credebatur, ac in mulieris cujusdam domum delata tefocillatur, & ne forte creber medici ad eam adventus suspicionis panderet viam, cum quibusdam virginibus ad secretiorem villulam secto crine transmittitur, ubi integram tandem, obducto in cicatricem vulnere, sanitatem recepit, ut fusiori stylo Hieronymus narrat addens: *Et o vere: Jus summum, summa malitia: post tanta miracula adhuc sæviunt leges! En quo me gestorum ordo pertraxit*, severissimi Principis per ministros crudeliores sævientem nimium in persequendis delictis zelum detestans, quo innocentes quoque interdum puniri contingeret.

a 19. Hæc omnia ut a Clericis Vercellensis Ecclesiæ novit Damasus Papa, apud Imperatorem egit, ut tot ictibus percussa mulier, tandem libera dimitteretur, nam in eadem epistola idem Hieronymus subdit: *Romanum Pontificem jam* Ep. 41. *pene factionis laqueis irretitum, & vicisse adversarios, & non nocuisse superatis*:

Virg. Georg. 4. *... hæc ipse quidem spatiis disclusus iniquis,*
Prætereo, & aliis post memoranda relinquo.

Præ-

Præsentis tantum rei fine contentus sum, Imperatorem de industria adit, precibus fatigat, merito lenit, sollicitudine promeretur, ut redditam vitæ, redderet libertati. Hæc de Vercellensi fœmina, quæ certamen subiens, Damasi tandem intercessione libertati, & vitæ reddita est. Innocentius porro, ad quem scribens Hieronymus, eam historiam texit, in peregrinatione, & eremo Syriæ socius eidem fuit, quem ad Ruffinum scribens defunctum luxit his verbis: *Innocentium partem animæ repentinus febrium ardor abstraxit*.

Gratianus Augustus a patre declaratur.

20. Cum Valentinianus hoc anno ad mortem usque febrium vi ægrotaret in Galliis, occultis consiliis de successore eligendo Duces exercitus jam cogitabant; at periculo & morbo liberatus, Gratianum filium octennem (natus quippe erat die *IV. Kal. Majas*, *Eusebio*, *& Hypatio Coss.* ut habent Idacii Fasti) Augustum declaravit, faustisque clamoribus ab exercitu exceptum purpura induit, ut pluribus narrat Marcellinus. Socrates vero: *Valentinianus filium suum Gratianum Imperatorem renunciavit die nona Kal. Septemb.*

Marcell. lib. lib. 27.6. Socrat. li. 4. 11.

JESU CHRISTI AN. 368. DAMASI PAPÆ 3.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 5. GRATIANI IMP. AN. 2.
COSS. VALENTINIANO, ET VALENTE AUG. II.
OLYMP. 286. AN. 4. URBIS AN. 1121.

Valentiniani rescripta contra Schismaticos.

1. Prætextato in Præfectura urbana successit hoc anno Olybrius, nobilitate, & divitiis eo haud impar, sed pietate, & religione longe præstantior, cum ille Ethnicus esset, hic vero christianus, ac ex Anicia familia genitus, quæ non solum inter Romanos nobilitate fulgebat, sed & christiana Religione, ut ex Prudentio, & Augustino scimus. Nec Olybrio inferior erat Petronius Probus, qui eodem tempore Præfecturam Prætorii gerebat. Ad Olybrium, & Probum plura extant Valentiniani Imperatoris rescripta hoc anno data, inter cætera cum Schismatici Urbe, & Basilica ejecti, ut anno proxime diximus, in suburbanis illicita conventicula celebrar[illegible], turbasque excitarent. ad Olybrium urbis Præfectur[illegible] Aginatium ejus Vicarium scribens, Schismatico[illegible] gesimum ab urbe lapidem ejiciendos præcepit Valentinia[illegible] *quidem sicut proximis litteris indicasti, enixissimo studio præstare voluisti, ut nulla in urbe Roma posset esse discordia, christia-*

Cod. Theodos.

JESU CHR. AN. 368.

norumque populus profunda in otio securitate gauderet. Sed quantum Aginatii clarissimi viri Vicariæ Præfecturæ scripta testata sunt, adhuc aliquanto placata misceri delectat extramuralibus conventibus frequens strepitus excitatur, Olybri parens clarissime Augustorum. Quamobrem egregia sublimitas tua, ipsius auctoritate præceptionis, & Patriæ præstet & legi, ut populo dissentienti nulla intra vigesimum lapidem, vel religio ad coeundum possit esse, vel copia, ut si cessare non vult, migret (ut jussum est) insana collectio. Ita demum etiam tumultuantibus cunctis longe, proculque summotis, certa pax plebi in ævum esse tribuatur. Hæc ad Olybrium; ad Aginatium vero vicarium Urbis rescripto altero eadem inculcat.

Schismaticorum querelæ adversus Damasum. *Biblioth. PP. tom. 5.*

2. Damasi Papæ instinctu Schismaticos, Imperatoris jussu, & Præfecti Prætorii opera repressos, non est dubitandum. Hinc Schismaticorum querelæ, de quibus sæpius citati Faustinus, & Marcellinus in Libello ad Theodosium, inter cetera narrant: *Cum ad S. Agnetem multi Fidelium convenissent, armatus cum satellitibus suis Damasus irruit, & plurimos vastationis suæ strage dejecit. Quod factum crudelissimum nimis Episcopis Italiæ displicebat; quos etiam cum ad Natale suum solemniter invitasset, & nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur, & pretio, ut sententiam in Ursicinum proferant, qui responderunt: Nos ad Natale convenimus, non ut inauditum damnemus. Exinde Presbyteri diversis modis afflicti per exilia, & peregrina loca dispersi sunt.* His addunt Ursicini sacerdotes per dies festos plebem congregare ultra non potuisse.

Aliæ Valentiniani le[...]. *Cod[...] lib[...] leg[...]*

3. Valentiniani pietatem hæc, & alia rescripta, hoc eodem anno data testantur, quorum altero de absolvendis reis, instante Paschatis festo, legem anno proximo editam confirmavit. Ad eam indulgentiam respiciunt Nazianzeni verba O[ra]t. 3. de Christi Resurrectione, dum ait: *Nullus adeo ægritudine pressus, & obnoxius est, quin per hujus Festi magnitudinem mali sui remissionem sentiat, atque levamen. Hoc die noxii s[...]ntur, debitor dimittitur, servus bono, & humano præco[...]ue edicto Ecclesiæ manumittitur.* Valentiniani clementia[...] [...]us est Theodosius Magnus, unde Chrysostomus:

Chrys[...] om. 20. ad Antioch.

Mem[...] [...]uper hoc festo appetente, epistolam per totum Orbem misisti jubentem eos omnes, qui carcere detinebantur, dimitti, eisque crimina indulgeri, quin etiam si hæc mansuetudini tuæ signi-

significandæ non sufficerent, in hæc verba scripsisti: Utinam mihi, & mortuos revocare, atque ad pristinam vitam reducere liceret. Altera lege privilegia a Constantio Clericis concessa, & a Juliano Apostata ablata, restituit Valentinianus hoc anno, de quibus plura adnotat Gothofredus.

JESU CHR. AN. 368. *Leg. 8. Cod. Theod. de Episcopis.*

4. Schismaticis repressis, ut mox diximus, & pace Romæ restituta, Damasus Papa, coacto Romæ Concilio, Nicænam Fidem confirmavit, ac Ursacium, & Valentem Arianæ impietatis patronos, iterato anathemati subdidit, datisque epistolis sententiam vulgavit, quæ ut Athanasius accepit, synodum Alexandriæ congregavit anno sequenti, qua hactenus pro Nicænæ Fidei defensione ab episcopis gesta exposuit; Damaso autem gratulatur, quod Nicænæ Fidei defensionem suscepisset, atque Valentem, & Ursacium damnasset, mirari tamen se, inquit, quod Auxentium non solum Ariana hæresi, sed sexcentis flagitiis pollutum una cum Valente, & Ursacio non excommunicaverit: qua Athanasii epistola accepta, Damasus, altera synodo Romæ post annum 370. congregata, Auxentium quoque Mediolanensem episcopum cum Valente, & Ursacio eodem anathemate feriit, sed de ea synodo infra suo loco.

Romana synodus Ursacium, & Valentem condemnat.

5. Quæ autem Damasus cum Romana synodo pro Nicænæ fidei defensione egerit, synodica Athanasii epistola ad Afros scripta exponit. Inter cetera: *Satis quidem sunt*, ait, *quæ a dilecto, & comministro nostro Damaso magnæ Romæ Episcopo, & a tot Episcopis una cum illo coactis, nec minus ea, quæ ab aliis synodis in Gallia, & in Italia celebratis scripta sunt de sana, & orthodoxa fide &c.* Synodicæ epistolæ nonaginta episcopos Ægypti, & Lybiarum subscripsisse, atque ad Damasum ea de re scripsisse idem Athanasius testatur. Hanc Romanam synodum, viri eruditi, cum altera ab eodem Damaso habita post annum 370. cujus extat synodica epistola ad Illyricos Episcopos, de qua Theodoretus, & Sozomenus mentionem faciunt, utplurimum confundunt. At duas diverso tempore [illegible]lebratas, Baronio monitore scimus. Quo anno hæc prima sy[illegible]nodus a Damaso celebrata fuerit, certo non constat. Si conjecturis tamen res definienda est, vix ante hunc a[illegible]um eam habitam fuisse credimus; nam Damasus Papa hac[illegible]s domestico bello, idest Ursicini factione fatigatus, cont[illegible]æternos Fidei hostes pugnare nequaquam valuit, nec mul[illegible]post hunc annum differri potest. Quamobrem rerum gestarum seriem sic dispo-

Alex. synodus, & epistola synodalis ab Athanasio scripta. *Athan. tom. 1. pag. 891.*

55.

Jesu Chr. an. 368. disponimus, hoc anno 368. Damasus cum Romana synodo Valentem, & Ursacium damnavit, Nicænamque Fidem ubique sequendam esse jussit. His vero ex Damasi epistola acceptis, Athanasius anno sequenti Alexandriæ synodum habuit, eademque firmavit, atque epistolis suis Damaso gratulatus est, quod pro Catholica, & Nicæna Fide decertaret, mirari tantum se testatus est, quod Auxentio Mediolanensi pepercerit, ut ex epistola ad Afros constat. Hinc anno 370. Damasus alteram Romæ synodum celebravit, cujus extat synodica ad Illyricos Episcopos, qua una cum ceteris, Auxentium quoque communione removit, de quibus certior factus Athanasius, anno sequenti 371. aut 372. ad Epictetum scribere potuit, Auxentium Romæ excommunicatum fuisse; ac tandem anno 373. Athanasius vivere desiit, ut suo loco dicturi sumus.

Athan. tom. 1. pag. 901.

Valentiniani de Britannis, & Alemannis victoriæ.

Marcel. li. 27.

6. Ambianis relictis, Treviros properabat Valentinianus Imperator hoc anno, cum repente eidem nunciatum est, Britannos arma in Romanos contulisse, atque *Nectaridum Comitem maritimi tractus occisum, & Tuliofaudem ducem hostium insidiis circumventum.* Quare illuc Theodosium misit, qui tumultuantes Barbaros imparatos, ac præda onustos aggressus vicit & fugavit, ut pluribus narrat Marcellinus, quo etiam tempore Alemanni, Duce Rando Galliarum tranquillitatem turbantes, Mogontiacum præsidiis vacuum occuparunt, *& quoniam casu christiani ritus invenit celebrari solemnitatem*, ait Marcellinus, *virilem, muliebremque sexum, una cum supellectile non vacua indefensum abducunt*, unde ex hoc Marcellini loco constat, Mogontiacum oppidum christianis refertum ea ætate fuisse, itaut etiam inter bellicos strepitus conventus suos agerent. Valentinianus autem, ut Alemannorum temeritatem comprimeret, Treviro relicta, cum Sebastiano Comite, & Illyricis, & Italicis Legionibus, Rhenum transgressus, fugientes hostes insecutus est, & in loco, qui Solicinio dicebatur (prope Virtemberga fuisse creditur) hostes aggressus vicit, unde Treviros reversus una cum Filio Gratiano Augusto triumphum egit, teste Ausonio in *Mosella* sub finem, dum ait

[illegible] ustæ veniens, quod mœnibus Urbis,
S[illegible] avit junctos nati, patrisque triumphos.

Va-

7. Valens Gothico bello intentus, nil memoria dignum hoc anno gessit, nam *ingredi terras hostiles pari alacritate*, (ac superiori anno) *conatus*, *fusius Danubii gurgitibus vagatis impeditus*, *mansit immobilis*, ait Marcellinus, *unde quia nihil agi potuit*, *dirimente magnitudine Fluentorum*, *Marcianopolim ad hyberna discessit*, ubi Themistius orationem in Valentis laudem hoc anno recitavit. Dumque ab inferendo Gothis bello Valens Danubii aquis detinetur, Nicænæ Fidei fautores vexare non destitit: exemplo sint ea, quæ adversus Scytharum ecclesiam Gothici belli tempore gessit, dum Vetranionem eorum episcopum, ob liberam Nicænæ Fidei confessionem exilio relegavit, quem tamen non multo post ecclesiæ suæ restituere, ne aliquid Scythica gens moliretur, coactus est, ut pluribus narrat Sozomenus: *Vetus apud Scythas consuetudo manet*, *ut totius Provinciæ Ecclesias*, *per multas urbes*, *&* *vicos distributas*, *unus tantum regat episcopus*, *qui scilicet in urbe Metropoli*, *idest Thomæ degebat*. Itaque cum illuc Valens pervenisset, Ecclesiam ingressus, episcopo suadere voluit, ut cum Arianis communicaret, Vetranio autem Nicænam fidem se profiteri testatus ab eo discessit, & ad aliam Ecclesiam se contulit, quem populus quoque sequutus est. Valens autem una cum suis derelictus, contumeliam iniquo animo ferens, Vetranionem comprehendi, & in exilium abduci jussit. Non multo post redeundi ei copiam fecit, ne ob exilium episcopi sui indignantes Scythæ adversum se arma converterent.

Valens Scytharum ecclesias turbat. *Marcell.li.27.* *Themist.or. 8.* *Sozom.li.6.21*

8. Eodemque tempore, quo Nicænam Fidem obfirmato animo Valens persequeretur, variis cladium generibus Orientale Imperium vexatum est. Inter cætera hoc anno terræmotus urbes diruit. *Valentiniano & Valente iterum Coss.* idest hoc anno, ait Socrates, *Terræmotus in Bithynia factus*, *Nicæam urbem subvertit die quinto idus Octobris*. Eademque Hieronymus in Chronico ad hunc annum. De Nicææ terræmot[u] agens Socrates subdit: *Annus hic erat duodecimus a ruina*[ur]*bis Nicomediæ*. *Nec multo post alio terræmotu magna p*[ars ur]*bis Germæ in Hellesponto corruit*. *Quæ licet fierent*, *nullus* [ta]*men metus nec Eudoxium Arianorum Episcopum*, *nec Valen*[tem] *Imperatorem subiit*. *Neque enim destiterunt a persecutione eorum*, *qui ab ipsis dissentiebant*. *Hi porro* [ter]*ræmotus signa quædam esse videbantur perturbationis Eccles*[iæ] ... *mul-*

Terræmotus in Oriente, Nicæa corruit. *Socrat.li.4.11*

ti

JESU CHR. AN. 368. *ti quidem Sacerdotes in exilium ejecti sunt*. Nicænam cladem die duodecimo octobris alligant Fasti Idaciani.

Cæsarius a Nicæna ruina illæsus abiit, paulo post obiit.

9. Ex Nicæna clade inter paucos illæsus evasit, tanquam Loth ex Sodoma, Cæsarius Nazianzeni frater Quæstoris officium in ea fungens, qui levioribus ex ruina acceptis vulneribus, ad Gregorium Nazianzenum scribens, se imposterum Deo tantum inservire velle testatus est, quod & perfecisset, nisi paulo post in morbum incidisset, ex quo obiit, ut pluribus in Oratione funebri fratris sui narrat Nazianzenus, quem etiam epistolis suis ut Deo tandem, vel calamitatibus eruditum, totum se dicaret, non semel hortatus fuerat. Quare post plurima, *fortasse graves tibi, ac molesti esse videmur, qui de his rebus sæpe ad te scribamus, ac sermones nostros non admonitionem, sed ostentationem esse existimas. Quare de his rebus verborum satis*. Hæc Nazianzenus ad Cæsarium fratrem, qui paulo post moriens, pauperes hæredes reliquit: *Hæredes ipse habebit*, inquit Nazianzenus in oratione funebri coram Nazianzeno patre, & Nonna matre recitata, *quos habere commodissimum est, & quos voluit, ut dives hinc migraret omnia secum ferens*; cumque plures in Cæsarii hæreditatem inhiarent, eamque diriperent, ad Sophronium Præsidem ea de re Gregorius scribens precatur, ne fraternam hæreditatem distrahi patiatur, in quam rem extat etiam Basilii epistola ad eumdem data.

Greg. Naz. orat. 10. in Cæsar. p. 152.

Greg. Naz. orat. 10. in laudem Cæsari.

Naz. ep. 18. Basil. ep. 32.

Cæsarii funus orat. 10. p. 153

10. Cæsarii funus describens Nazianzenus, narrat ad martyrum ædem cum pompa deductum fuisse, cujus etiam mater cereorum gestatione & psalmorum cantu, mœrorem luctumque lenivit; pro defuncto vero hanc Deo Nazianzenus orationem obtulit: *O omnium Domine, & effector, ac præcipue hujus figmenti: O Deus tuorum hominum, & pater, & gubernator: O vitæ, & mortis arbiter &c. nunc quidem Cæsarium discessus nostri primitias, quæso suscipe; quod si postre... natu primum tuis rationibus, quibus om... reguntur, ce... nus, nos quoque post opportuno tempore susci... &c.* Hæc Gre...ius, quæ hic descripsisse voluimus, ut saltem tam digno ...mplo, *qu... christiani solerent persolvere extrema defunctis, ...atis cunctis et exploratum*, ait Baronius. Cæsarii autem memor... . Febr. Martyrologio Rom. recolitur.

Bar. 368. ... Cæsarii opera subdita.

...ula quædam Cæsario inscribuntur, nempe de ani-

anima Dialogi, ac nonnullæ contra Græcos lucubrationes, de quibus hæc Suidas: *Cæſarius Gregorii Theologi frater, varia ſcripſit, & contra Græcos*. Photius vero: *Legi Cæſarii librum capita continentem eccleſiaſtica ducentum viginti per quæſtiones porro, & reſponſiones, ſuppoſitis quoque perſonis interloquentibus compoſita illi oratio eſt, & quidem Gregorii, ut ajunt, cujus hunc auctorem eſſe fratrem Theologi cognomentum indicat*. Photii itaque, & Suidæ auctoritate Baronius, aliique Cæſario Dialogos inſcripſerunt. Quia tamen Gregorius Nazianzenus in oratione panegyrica eum quidem geometram, aſtronomum, philoſophum, medicum fuiſſe teſtatur, theologum etiam dixiſſet, ſi ſublimiores de Theologia quæſtiones, quæ in Dialogis de anima tractantur, ipſe ſcripſiſſet. Quamobrem eos Cæſario Nazianzeni fratri falſo inſcriptos fuiſſe eruditorum plurimi cenſent, idque non ſpernendis confirmant argumentis, ut ibidem videri poteſt.

Bar. ut ſup. 2.12.
Phot.bibliotb Cod.210.
Bibliotb. PP. tom.11.p.545
Tillemt. hiſt. tom.9. p. 377. & 701.
Dupin.ſecul.2 tom.2. p.840.
Baſnag. an. 368.n.8.Odin. de ſcripſ.eccl. tom.1. p.540.

12. Donato Carthaginenſi Epiſcopo partis Donatiſtarum ſucceſſiſſe Parmenianum, Baronius ſibi aliiſque perſuaſit; inter utrumque tamen Cajum, & Lucium fuiſſe intermedios, ex Auguſtini ſermone *de pace, & charitate* inſcripto, quem ante collationem cum Donatiſtis anno 411. habitam recitavit, omnino patet, quo inter cætera Donatiſtas alloquens ajebat: *Et tamen adhuc poſt Apoſtolicas voces, poſt Eccleſiæ declarationem, & toto Mundo dilatationem dicitur mihi, non dimitto Donatum, non dimitto neſcio quem Cajum, Lucium, & Parmenianum*, quo Auguſtini loco diſcimus, quatuor priores epiſcopos Carthaginenſes Donatiſtarum, poſt Majorinum ſchiſmatis auctorem, fuiſſe Donatum, Cajum, Lucium, Parmenianum, huncque non Donato, ſed Lucio ſucceſſiſſe, quem Primianus excepit, ut ſuo loco infra videbimus. Ut ſectæ ſuæ ſubſidio eſſet Parmenianus libros mendaciis refertos adverſus catholicam Eccleſiam circa hæc tempora vulgavit, quibus ne fidelium aliqui vel ſimpliciores deciperentur, vel ſaltem ne Donatiſtæ in ſchiſmate obfirmarentur, confutandos ſuſcepit Optatus Milevitanus Epiſcopus. *Omnes Donatiſtæ*, inquit, *per ſingula loca maledicis vocibus perſtrepunt, ſed unum quid. vix invenimus, cum quo per litteras hoc modo loquamur armenianum ſcilicet fratrem noſtrum ſi tamen ſe a nobis el nomine nuncupari permittit. Et quia collegium Epiſ.opale nolunt nobiſcum habere commune, non ſint collegæ, ſi nolunt; tamen,*

Optatus contra Parmenianum Donatiſtam ſcribit. *Bar. 368.12.*
Auguſt. ſerm. 358.de diver.

ut

Jesu Chr. an. 368. *ut supra diximus, fratres sunt. Frater meus igitur Parmenianus ne ventose, ac nude, ut ceteri, loqueretur, quicquid sentire potuit, non solum dixit, sed etiam in scriptura digessit. Cujus dictis, cum respondere veritate cogente compellimur, erit inter nos absentes quoquomodo collatio. Eo modo & satisfiet desideriis aliquorum, nam a multis desideratum est, ut ad eruendam veritatem, ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur, & fieri potuit. Sed quoniam & accessum prohibent, & aditum intercludunt, & consessum vitant, & colloquium denegant, vel tecum mihi, frater Parmeniane, sit isto modo collatio. Et quia tractatus tuos, quos in manibus, & in ore multorum esse voluisti, non aspernatus sum neque contempsi, sed omnia a te dicta patienter audivi, audias & tu humilitatis nostræ responsa.* Hæc Optatus. Quid autem libris suis Parmenianus probare nisus fuerit, his verbis Optatus declarat: *Ego intelligo, & tu non negas, & quivis sapiens pervidet, te nulla alia ratione, tam prolixe tractasse, nisi ut ecclesiam catholicam tuis tractatibus indigne pulsares. Sed ut intelligi datur, aliud datur, aliud habet animus, aliud sonat sermo, denique omnia te video dixisse contra catholicam, immo multa pro catholica, cum catholicus non sis &c.* Hæc Optatus in Parmenianum, qui cum catholicam Ecclesiam in sola Africa, quin apud solos Donatistas perseverasse diceret, Donatistarum partem, catholicam non esse, seu universalem, vel invitus confessus fuerat, quam in Petri cathedra, & Romana ecclesia fundatam fuisse, cum qua totus Orbis sociabatur, paulo post Optatus demonstrat. Quo tempore Parmeniani libros confutaverit, narrat Hieronymus: *Optatus Afer Episcopus Milevitanus ex parte catholica scripsit sub Valentiniano & Valente Principibus adversus Donatianæ partis calumniam libros sex, in quibus asserit crimen Donatianorum in nos falso retorque-*[illegible]. Atque uno, aut altero abhinc anno hæc scripsisse, ipse Optatus indicat, dum ait *sexaginta & quod excurrit*, idest & ultra, ab ortu persecutionis Diocletiani, cumque Diocletiani persecutio anno 303. exorta fuerit, si sexaginta, & ultra annos [illegible]las, ad labentem annum 368. circiter pervenies. Sex [illegible] libros Optato Hieronymus attribuit, ipse etiam O[illegible]eris sui partitione, sex libris opus suum compl[illegible]tur, [illegible]que de sexto, & ultimo hæc habet: *Sexto de inconsideratis præsumptionibus, & erroribus vestris tractabitur.*

Hier. de vir. Ill. in Optato

Cum-

Cumque septem libris nunc constet, aliena manu septimum additum fuisse censent eruditi, aut ab eodem Optato postmodum, tamquam ad sex priores libros adnotationes, hunc alterum additum fuisse dicendum est. Hic porro Optatus scriptis tantum innotuit, quando, ubi natus fuerit, quove anno obierit, aut quid memoria dignum gesserit, non constat; ejus tamen memoria apud Afros celeberrima fuit, quem Augustinus lib. 1. contra Parmenianum, venerabilis memoriæ virum appellat. Sanctus etiam Fulgentius sancti titulo eum exornat libro secundo ad Monimum circa finem, cujus nomen Rom. Martyrologio die 4. Junii Baronius inscribendum censuit.

JESU CHR. AN. 363.

Basnag. 368. 9 Dupin. sec. 4. tom. 1. 444.

13. Parmenianum delirantem Ticonius Donatista confutavit, ob quam causam Parmenianus sua communione eum privavit, ut narrat Augustinus: *Ticonius omnium sanctarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, sicut de illa tanto ante per corda, & ora Sanctorum prævisum atque prædictum est. Quo præcepto, suscepit adversus ipsos suos demonstrare & asserere, nullius hominis quamvis sceleratum, & immane peccatum præscribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, ut fides Dei de Ecclesia futura, & diffundenda usque ad terminos Orbis terræ, quæ in promissis Patrum retenta, & nunc exhibita est, evacuaretur.* Cum itaque hæc copiose vehementerque Ticonius probasset, idque magnis ac manifestis sanctarum Scripturarum testimoniis confirmasset, Parmenianus nihilominus in schismate perseverare maluit, quam unitate servata, cum ceteris per Orbem sparsis Ecclesiis communione sociari. Et Parmenianus quidem primo per epistolam Ticonium corrigendum putavit, *postea vero ex Concilio eorum perhibet damnatum*, ait Augustinus, qui de eodem Ticonio in libro de Doctrina christiana hæc adnotat: *Ticonius quidam, qui contra Donatistas invictissime scripsit cum fuerit Donatista, & illic invenitur absurdissimi cordis ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum, quem Regularum vocavit, quia in eo quasdam septem regulas executus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta.* Hæc ipse, singulas Ticonii regulas [illegible]em loco recensens; ad Vincentium vero Donatistam de eodem Ticonio iterum: *Quis est iste Ticonius? ille est Ticonius quem Parme-*

Ticonius Donatista Parmeniani scripta confutat. *August. contra Parmen. lib. 1. cap. 1.*

August. ad Vincentium epist. 48.

JESU CHR. AN. 368. *menianus rescribendo compescit, & eum deterret, ne alia scribat, non tamen refellit ea ipsa, quæ scribit.*

De scriptis Ticonii Donatistæ. *Gennad. de Vir. Ill. c. 18.*

14. Ticonii autem scripta recensens Gennadius: *Ticonius*, ait, *natione Afer in divinis Litteris eruditus, juxta historiam sufficienter, & in secularibus non ignarus fuit, in Ecclesiasticis quoque negotiis studiosus*, scripsit de bello intestino libros tres, & expositiones diversarum causarum, in quibus ob suorum defensionem, antiquarum meminit synodorum, e quibus omnibus agnoscitur Donatianæ partis fuisse; composuit & regulas, ad investigandam, & inveniendam intelligentiam Scripturarum octo, alias septem, quas in uno volumine conclusit. Exposuit & Apocalypsim S. Joannis ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spiritale. Mille quoque annorum regni in terra justorum post resurrectionem futuri suspicionem tulit; neque duas in carne mortuorum resurrectiones futuras, unam justorum, & aliam injustorum, sed unam, & semel omnium, in qua resurgerent etiam abortivi reformati, ne quid humani generis deformatum animatæ substantiæ intereat: *Floruit hic vir ætate, quâ jam memoratus Ruffinus, Theodosio, & Filio ejus regnante.* Hæc de Ticonio Gennadius; dum autem ait eum Theodosio, & Filio ejus regnante, cum Ruffino floruisse, ad provectam senectutem pervenisse indicat, quem alioquin Parmeniani ætate, & hoc tempore vixisse, scimus.

JESU CHRISTI AN. 369. DAMASI PAPÆ 4.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 6. GRATIANI IMP. 3.
COSS. VALENT. NOBILISS. PUERO, ET VICTORE.
OLYMP. 287. AN. 1. URB. AN. 1122.

D[illegible] nia[illegible] an[illegible] *So[illegible] Val[illegible] Pag. n. 6.*

1. Valentinianum nobilissimum puerum, cum Victore hujus anni Consulem, Valentiniani filium fuisse Baronio, aliisque persuasit Socrates, dum ait: *Iisdem Consulibus* (idest Gra[illegible]o, & Dagalaipho) *Valentiniano Augusto in occidentis partibus natus est filius patris cognominis.* Valentinianus tamen hujus anni Consul, Valentis filius fuit, qui etiam Galates dictus est [illegible]e Gallus, utpote in Galatia natus, ut ad annum 366. pl[illegible] confirmat Pagius.

Belli Gothici finis.

2. [illegible] nnio cum Gothis varia fortuna pugnaverat Valens, hoc

Jasu Cur. An. 369.

hoc anno cum Athanarico eorum Rege pacem iniit. De Belli exitu, & pace audiendus est Marcellinus: *Gruthunges bellicosam gentem aggressus est, postque leviora certamina Athanaricum ea tempestate Judicem potentissimum ausum resistere, cum manu, quam sibi crediderat abundare, extremorum metu coegit in fugam*. Ut ad persequendos Gothos milites suos audaciores redderet, pecuniæ summam se daturum spopondit iis, qui Gothi caput attulissent, quo factum est, ut milites silvas, & paludes ingressi, Gothorum multos interficerent, ut promissam pecuniam acciperent. Quam ob causam suorum strage perterriti, pacem supplices postularunt: *Et quoniam afferebat Athanaricus sub timenda execratione jurisjurandi esse obstrictum, mandatisque Patris prohibitum, ne solum calcaret aliquando Romanorum, & adigi non poterat, indecorumque erat, & vile ad eum Imperatorem transire, placuit navibus remigio directis in medium flumen, quæ vehebant cum armigeris Principem, Gentisque Judicem, inde cum suis fœderari, ut vetustum est, pacem*. Iisque peractis Constantinopolim Valens rediit. Initæ pacis meminit Sextus Rufus in Breviario historico, quod hoc anno Valenti obtulit: *Maneat*, inquit, *modo concessa divinitus, & ab amico cui credis, & crediturus es Numine indulta felicitas, & ad hæc ingentes de Gothis, etiam Babylonicæ tibi palmæ pacis accedant*. Hæc idem Auctor, eo quod Persicum Bellum non solum hoc anno instaret, sed & ageretur, de quo infra. Quod vero Athanaricus Gothorum Judex magis quam Rex a Marcellino dicatur, hanc rationem reddit Themistius in oratione Valenti recitata hoc anno: *Idcirco Regis appellationem repudiat* Athanaricus, *usurpat Judicis, tanquam illa quidem potentiæ, ista vero sapientiæ sit*. Hic ille Athanaricus est, de quo scribit Hieronymus: *Athanaricus Rex Gothorum in christianos persecutione commota, plurimos interfecit, & de propriis sedibus in Romanum solum expulit*.

Marcell. li. 27

Zosim. li. 4. 11

Themist. orat. 10.

Hieronym. Chr.

3. Cum Athanasius audivit Damasum sua, & Romanæ synodi sententia Nicænam fidem confirmasse, atque in Ursacium, & Valentem excommunicationis sententiam tulisse, ut anno proximo diximus, synodum Alexandriæ convocavit, qua Damasi sententiæ una cum episcopis Ægypti, & Libyæ subscripsit, aliaque in Nicænæ Fidei confirmationem addidit. Alex. synodi extat epistola ad Afros data, cui subscripserunt

... synodo ab Athanasio celebratur, ejus epistola ad Afros *Athan. tom. 1. p. 2. pag. 891.*

Jesu Chr. An. 369. ex Ægypto, & Lybia episcopi numero nonaginta, cujus scopus in eo est, ut Afris probet, Nicænam Fidem toto Orbe olim prædicatam fuisse, eamdemque tunc etiam ubique prædicari; de Romana autem synodo, aliisque in eamdem rem habitis hæc inter plurima adnotat: *Satis quidem sunt, quæ a dilecto, & comministro nostro Damaso magnæ Romæ episcopo, & a tot Episcopis una cum illo coactis, nec minus ea, quæ ab aliis synodis in Gallia, & in Italia celebratis scripta sunt de sana & orthodoxa Fide, quam Christus largitus est, Apostoli prædicarunt, & quam tradidere Patres, qui ex universo Orbe nostro Nicæam convenerunt. Huic igitur totus Orbis olim assensit, & hoc tempore compluribus celebratis synodis moniti, omnes per Dalmatiam, Dardaniam, Epiros, Græciam, Cretam, & alias Insulas, Cyprum, Siciliam, & Pamphiliam, Lyciam, Isauriam universam, Ægyptum, Lybias, & plerique ex Arabia hanc comprobarunt*. Deinde: *Sufficiunt itaque, satisque sunt, uti diximus, Nicæna Decreta, cum ad subversionem omnis impiæ hæreseos, tum ad tutelam, utilitatemque ecclesiasticæ Doctrinæ. Quia tamen audivimus nonnullos hujus oppugnandæ cupidos, quamdam synodum, quasi Arimini celebratam in medium adferre, atque omnem movere lapidem, ut ea potius, quam Nicæna obtineat, necesse duximus, vos litteris monere nostris, ut ne hujusmodi homines toleretis &c.* His de Nicænæ synodi dignitate, & præstantia plura subdit, atque Ariminensis synodi historiam texit, multaque addit a catholicis Episcopis gesta in Nicænæ Fidei confirmationem, & Consubstantialis vocem jure meritoque Nicænos Patres adhibuisse adnotat. Hanc epistolam cum congregatis Episcopis se scripsisse testatur Athanasius, ac Damasum se rogasse addit, ut cum Ursacio, & Valente, Auxentium quoque Mediolanensem Episcopum anathemate feriret, utpote non solum Arianæ perfidiæ patronum, sed multorum etiam criminum reum.

Athan. epist. ad Afros pag. 899.

Apollinaris initia.

4. Variam, incertamque Apollinaris quarto sæculo fuisse famam, nemo ignorat, de cujus hæresi antequam agatur, ejusdem initia sunt exponenda. Duo itaque fuere Apollinares, pater, & filius. Primus Alexandriæ ortus, Berythi primum, deinde Laodiceæ Grammaticam docuit, ubi Presbyter est ordinatus. Filius vero Lectoris officio fungens, Rhetoricam docuit. Ambo vero a Theodoto Laodicææ tunc Episcopo Ecclesia

clesia tunc primum hac de causa ejecti sunt. Cum Epiphanius Sophista hymnum in laudem Bacchi Laodicææ recitaret, uterque Apollinaris, qui eo Præceptore utebantur, præsentes adfuerunt. Cumque Epiphanius in ipso carminis exordio, sicut moris est iis, qui ejusmodi hymnos publice recitant, cunctos profanos homines, nec sacris illis initiatos foras abire jussisset, nec junior Apollinaris, nec senior, nec ullus omnino ex christianis, qui aderant, discessit ex auditorio. Quod cum rescivisset Theodotus Episcopus, graviter commotus est; ac reliquis quidem, qui ex plebe erant, leviter objurgatis, veniam concessit: *Utrumque autem Apollinarem publice convictum Ecclesia ejecit. Erant enim Clerici, pater quidem Presbyter, filius vero lector sacrarum Scripturarum. Aliquanto post tempore elapso cum in lacrymis, ac jejuniis pœnitentiam delicto suo congruentem egissent, Theodotus eos denuo suscepit.* Post Theodoti mortem cum Georgius Arianus Laodicenum invasisset episcopatum, juniorem Apollinarem a communione iterum exclusit, eo quod Athanasium anno 350. circiter ab exilio redeuntem ac Laodicææ commorantem, in communionem suam recepisset: *Quare dolore superatus*, ait Sozomenus, *Ecclesiam turbare, & dogmatum novitatem, videlicet hæresim inducere aggressus est, ea arte, qua plurimum valebat, dicendi scilicet facultate*; qua cum ambo excellerent eo tempore, quo Julianus Ethnicorum & Græcorum libros exponere & explicare christianis prohibuerat, senior Apollinaris scripta Moysis heroico carmine interpretatus est, historicos vero veteris Testamenti libros, partim dactylico carmine, partim ad formam Tragediæ personis inductis exposuerat; junior vero Apollinaris, seu filius, Evangelia, & Apostolorum scripta ad formam Dialogorum explanaverat, Platonem imitatus.

Sozom. li. 6. 25; Socrat. lib. 2. 46.

5. Junior deinde Apollinaris Laodicensi præfuit Ecclesiæ, cujus ordinationem etsi in dubium Photius revocet, certissima tamen est, cum id coævi auctores, nec pauci testentur; Athanasius etenim eum episcopum fuisse tradit in tomo, seu epistola ad Antiochenos his verbis: *Aderant & quidam Monachi ab Apollinario Episcopo in hoc ipsum missi*. Itaque anno 362. quo eam epistolam Athanasius dedit, Apollinaris Episcopus jam erat, eademque de Apollinaris Episcopatu confirmat Hieronymus: *Apollinaris Laodicenus Syriæ Episcopus patre Presbytero magis grammaticis in adolescentia operam dedit.*

Junior Apollinaris Laodicenæ Episcopus ordinatur, hæreticus evadit.

Athan. tom. 1. p. 2. pag. 776.

Hier. de Vir. Ill. in Apollin.

Au-

JESU CHR. AN. 369. Audiatur & Ruffinus: *Interea apud Laodicaeam Syriae ante id tempus Apollinaris Episcopus*. Theodoritus vero addit Vitalem Antiochiae Episcopum ab Apollinari ordinatum fuisse, quod fane non fecisset, nisi Episcopus fuisset. Quousque catholicam Fidem Apollinaris tenuit, cum viris pietate, & doctrina clarissimis arctissimo amicitiae vinculo conjunctus fuit: *Egregius ille, ac venerabilis senex*, ait Epiphanius, *quem nos & beatae memoriae Papa Athanasius, imo vero Catholici omnes unice dileximus, Apollinaris Laodicenus*; eumque uti magistrum audiverat saepe Hieronymus: *Apollinarem Laodicenum audivi Antiochiae frequenter & colui, & cum me in sanctis Scripturis erudiret, nunquam illius contentiosum dogma suscepi*. Basilius vero eousque cum Apollinare amicitiae vinculis conjunctus erat, ut cum eum a catholica Fide defecisse vix crederet, ac in ejusdem communione perseveraret, Basilii fides nonnullis suspecta aliquando fuit, ut in epistola ad Patrophilum testatur: *Ruptae autem communionis causa*, cum Eusthatio scilicet, quod *Apollinario scripsissemus. Ego autem Apollinarem quidem nunquam inimicum duxi, imo non desunt, ob quae etiam reverear virum, sed tamen non ita me homini conjunxi, ut illius crimina ipse suscipiam, cum certe & ipse nonnulla habeam, quae in illo reprehendam, lectis illius libris nonnullis*. Haec Basilius circa annum 376. cum adhuc in ejus communione perseveraret. De ejusdem tamen doctrina nullatenus se rationem reddere velle addit: *Quid igitur ad me, si quis quid scripsit, quod cuidam non placeat, quamquam si oportet alium pro alio rationem reddere, is, qui me accusat de Apollinario, respondeat nobis de Ario proprio suo magistro, & Aetio proprio suo discipulo, nos autem neque discipulum ulla in re habuimus, neque magistrum hunc hominem, cujus crimina in nos convertunt*.

Ruffin. lib. 11. 20. Theodorit lib. 5. 4.

Epiphan. haer. 77. n. 2.

Hieronym. ad Pamm. ep. 65.

Qua de causa aut tempore Apollinaris haeresim vulgaverit.

Sozom. l. 6.

6. Quae autem causa, tantae pietatis, tantaeque eruditionis virum in haeresis barathrum impulerit, ignoratur. Ob illus riam a Georgio Ariano passam, cum ab Ecclesiae communione repulsus fuit, novam haeresim eum invexisse atque vulgasse, tradit Sozomenus. Alii ob injuriam a Theodoto illatam, haeresim excogitasse ferunt. At haec vix probabilia sunt, nam Lector erat cum primum a Theodoto cum patre suo excommunicatus fuit, ac paulo post Ecclesiae communioni, una cum patre restitutus fuerat, ut supra diximus. Cum vero ob initam

tam cum Athanasio communionem a Georgio Ariano iterum excommunicatus fuit, presbyterali officio fungebatur, multoque tempore Apollinaris catholicus perseveravit, cum sanctissimis viris amicitia junctus; episcopatu tamen antea excidisse, quam hæresim vulgaret tradit Theodoretus: *Apollinaris cum Ecclesiarum administratione excidisset, novam deinceps, quam excogitaverat doctrinam, palam prædicavit, seque hæreseos auctorem professus est*. Qua autem de causa exauctoratus fuerit, cum ignarissimis juxta scimus, ob hæresim tamen episcopatu eum fuisse dejectum, probabilius censemus.

JESU CHR. AN. 369.

Theod. li. 5. 4.

7. Quæ autem fuerit Apollinaris hæresis ex Epiphanio audiamus: *Nonnullis nostrorum placuit, & quidem primariis, atque a nobis, & ab omnibus orthodoxis divinis propemodum honoribus affectis mentem a Christi incarnatione dimovere, eumdemque carnem cum anima tantummodo suscepisse, mentem vero nequaquam asserere, hoc est non perfectum hominem induisse &c.* Præcipuus itaque Apollinaris error in eo erat, ut diceret Christum animam quidem una cum corpore suscepisse, sed animam sine mente, quam inhabitans Divinitas regebat, indeque sequebatur, neque perfectum hominem assumpsisse utpote mente expertem, eademque Apollinaris ipse confirmat in epistola Episcopis Diocesareæ scripta, quam ab oblivione Leontius vindicavit: *Confitemur*, ait, *non ad hominem sanctum venisse Verbum Dei, quod erat in Prophetis, sed ipsum Verbum carnem factum esse non assumpta mente humana, quæ turpibus cogitationibus captiva ducitur, sed divina mente immutabili, & cælesti*. Exarata est hæc epistola, cum adhuc Athanasius viveret, idest ante annum 373., quem sibi consentientem in eo dogmate habere falso asserebat, de quo ajebat: *Scit nos & in dogmatibus cum ipso consentire*, eamque opinionem ex fontibus Platonicæ philosophiæ hausisse videtur, quod & Nemesius asserit: *Quidam, e quibus est Plotinus, aliud esse animam, & aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, e corpore, anima, & mente. Hos secutus Apollinaris Laodicææ Episcopus*. Cum hæresim vulgare cœpisset Apollinaris, vix de tanto viro hæc fidem habebant: *Principio quidem*, ait Epiphanius, *cum id nobis nonnulli ex ejus discipulis narrarent, fidem non habebamus, neque verosimile putabamus e tanto viro errorem hujusmodi profectum. Itaque*

Qui fuerint Apollinaris errores.

Epiph. hær. 77. n. 1. 2.

Leont. de Sectis: Biblioth. PP. tom. 9. pag. 712.

Nemes. de nat. hom. cap. 1.

Epiph. ut sup.

Jesu Chr. An. 369. *que nonnulla adhuc meliorum ope patienter expectavimus, donec rem omnem accurate cognovimus.*

Apollinaristarum alii errores.

8. Multa quidem alia errorum portenta ab Apollinaris discipulis inventa Apollinario ipsi tributa sunt, scilicet corpus Christi Divinitati fuisse consubstantiale, Dei Filium e cælo carnem attulisse, Deitatem Christi in carnem fuisse conversam, cujus hæresis Polemium quemdam auctorem fuisse Theodoretus tradit; alii Christum non solum mente, sed & anima expertem fuisse, quem errorem Apollinario ipsi Ruffinus adscribit: *Apollinaris Episcopus hæresim ex contentione generavit, asserens, solum corpus, non etiam animam a Domino in dispensatione susceptam. Post ne ex toto vinci videretur, ait eum quidem habuisse animam, sed non ex ea, quæ rationabilis est, sed ex ea solum, quæ vivificat corpus, ad supplementum vero rationabilis partis, ipsum Verbum Dei fuisse perhibebat.* At hæc discipulis ejus potius quam magistro convenire, Augustinus adnotat: Apollinaristæ *dicunt, sicut Ariani Deum Christum carnem sine anima suscepisse, in quæstione evangelicis testimoniis victi, mentem, quæ rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt.* Similia de Apollinaristis tradit Socrates, graviores adhuc errores Apollinario Nazianzenus adscribit, in epistola ad Nectarium: *Incidit in manus meas libellus Apollinaris, in quo ea, quæ astruuntur, omnem hæreticorum improbitatem excedunt, affirmat enim carnem illam, quæ ab Unigenito Dei Filio per dispensationem assumpta est, adscititiam non esse, sed ab initio fuisse in Filio, & quod omnium indignissimum, Unigenitum Deum probare nititur propria sua Divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte, divinitatem simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris opera a morte ad vitam revocatam.* Librum tamen, [illegible] quo hæc Nazianzenus legerat, Apollinaristæ potius fuisse, [illegible]n Apollinaris inde patet, quod Vitalis Apollinaris discipu[illegible], qui ne latum unguem a magistro suo dissidebat, inter[illegible]atus ab Epiphanio, qui audierat, Apollinaristas docere e Virgine [illegible]ria Christi carnem nullatenus susceptam fuisse, respondit, [illegible] e *Maria Christum traxisse.* Apollinaristarum tamen aliquot in ea sententia fuisse, testatur Theodoretus: *Quidam alii ex conventu Apollinarii dicebant, corpus Domini descendisse de Cœlis.*

Ruff. li. 1. 20.

Aug. de hær. cap. 55.

Socrat. lib. 2. 46.

Nazianz. or. 46.

Epiph. hær. 77. 22.

Theodor. hær. fab. lib. 4.

Apol-

9. Apollinaristarum dogma ab Alexandrina synodo anno 362. habita damnatum fuisse ab Athanasio, eruditorum plurimi tradunt, quod & Socrates his verbis indicat: *Christum vero hominem factum, non carnem modo, sed animam etiam humanam assumpsisse pronunciarunt*, quibus verbis Apollinaristarum dogma certissime confixerunt, etsi de Apollinario, aut Apollinaristis fortasse non cogitarunt, illudque dogma de humana Christi anima a Christo suscepta, contra Arianos vindicarunt, quorum aliqui, teste Augustino, cum Apollinaristis consentiebant: *Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi a Catholica Ecclesia dissentiebant, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse*. Incertum itaque est, num ea, quæ ab Alexandrina synodo anni 362. definita sunt, Arianos, aut Apollinaristas respexerint, cum præcipue hujuscemodi errorem ejusdem Apollinaris legati tunc detestati fuerint, ut ex eadem Athanasii, seu synodica epistola ad Antiochenos data constat. Hæc quidem dogmata, ad captandam Athanasii amicitiam, Apollinaris Legatos tunc ejurasse, sed *vafre, & subdole* ait Auctor Maurinus vitæ S. Athanasii; inde tamen patet de Apollinari, ejusque dogmate Alexandrinam synodum nullatenus cogitasse, cum Apollinaris Legati de Verbi incarnatione sanam, catholicamque doctrinam exposuissent, quæ tota plaudente synodo excepta fuit. De Trinitatis autem mysterio impia docuisse Apollinarium nonnulli suspicati sunt, ut testis est Theodoretus: *Apollinaris nonnullis quidem scriptis, quod de Trinitate pronunciatum est, non violavit, sed quemadmodum & nos unam quoque Divinitatis substantiam, & tres Personas prædicavit. In nonnullis autem gradus dignitatum definiit. Ejus enim inventum est illud magnum, majus, maximum, tanquam magnus quidem sit Spiritus, major autem Filius, maximus autem Pater... Rursus in nonnullis scriptis personarum proprietates confundebat. Unde etiam insimulatus est Sabellianismi*. Hanc de personis divinis opinionem Nazianzenus *Divinitatis scalam appellat, quæ non in cœlum deducit sed e cœlo dejicit*, ex quibus patet, Apollinarem rudem, indigestamque de Trinitate opinionem habuisse, hinc aliquando Nicænæ Fidei, & Trinitatis assertor, & Apologista visus est, aliis eversor, & impugnator. Contra Eunomium Apologeticum scripsisse Apollinarem ait Philostorgius, ac Verbi Consubstantialis eo usque propugnator fuit, ut teste Suida, Athanasium

JESU CHR. AN. 369.

An Alex. synodus Apollinaris hæresim damnaverit.

Baron. an. 362. n. 185. Athan. vit. edit. Maur. to. 1. pag. 79. & 770. Dupin. tom. 1. sec. 4. p. 490. Socrat. li. 3. 7. Aug. de hær. cap. 55.

Athan. tom. 1. par. 2. p. 776. Athan. vita pag. 79. tom. 1.

Theodor. Hæret. fab. li. 4. 8.

Philostorg. li. 8. 12. Suidas in Apoll. pag. 375.

JESU CHR. AN. 369.

nasium etiam superaverit: *Tunc pro Consubstantiali contra Heterousion propugnabat*, Apollinaris scilicet. Nazianzenus vero addit, *longe superantes omnes illos, qui prius, & post ad meam usque ætatem illius hæreseos fuerunt propugnatores, adeo ut præ ipsis Athanasius puer judicaretur*.

S. Ephrem gesta cum muliere Apollinaris discipula. *Greg. Nissen. serm. de S. Ephrem tom. 3.*

10. Lepidam hoc loco de Apollinaris libris historiam ex vita S. Ephrem subnectimus. Cum librum suum cuidam feminæ asservandum commisisset hæreticus, S. Ephrem, cui id notum fuit, feminam adiens rogavit, ut eum publicæ utilitatis causa exhiberet. Illa vero ut sibi celeriter redderetur deprecans, Ephremi commodavit. At ille piscis glutino libri folios ita cum folio connexuit, ut ab invicem ultra disjungi non possent. Interea cum libros coram Judice ad disputandum Apollinaris aperire vellet, nec posset, injuriam ita moleste tulit, ut parum abfuerit, quin mortem obierit. Ad annum usque 380. vitam Apollinaris retinuit, & Theodosio Imperante obiit, cujus hæresim confutarunt viri clarissimi Athanasius, Damasus Papa, Basilius, Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nissenus, Epiphanius, aliique, quorum testimonia apud Natalem Alexandrum videri possunt.

Nat. Alex. sæc. 4. diss. 46.

JESU CHRISTI AN. 370. DAMASI PAPÆ 5.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 7. GRATIANI IMP. 4.
COSS. VALENTINIANO AUG. III. ET VALENTE AUG. III.
OLYMP. 287. AN. 2. URBIS AN. 1123.

Valens contra Catholicos persecutionem instaurat.

1. Gothico bello confecto, paceque cum Athanarico inita, ut anno proximo diximus, in Orientem perrexit Valens, quasi adversus Persas arma moturus, revera tamen adversus Ecclesiam bellum, quod triennio elapso, ob Gothicum bellum elanguerat, instauraturus. Hujus itaque anni initio Bithyniam, Galatiam, deinde Cappadociam pertransiens, Constantinopolim [illegible]ulit. Quæ autem tunc gesserit, breviter sic Nissenus exponit: *Aberat Constantinopoli Imperator profectus, elatus mente, rebus contra Barbaros non ita pridem feliciter gestis*, idest adversus Gothos, *existimansque cupiditatibus suis nihil omnino adversari debere, præcedebat eum Præfectus*, Modestus scilicet, *specie quidem quasi necessaria Imperatoris adventui præparare deberet*, revera tamen ut catholicos propriis sedibus exterminaret, in ejectorumque locum, alios idest Arianos, in contem-

Greg. Nissen contra Eunom. lib. 12.

temptum, & injuriam Ecclesiæ substitueret. Hac igitur mente velut nubes quædam malorum contra ecclesias ex Propontide progressa Bithyniam ex improviso desolavit, Galatiamque sine labore vastavit. In Cappadociam vero transiens, Basilium ibidem sibi resistentem invenit, ut ibidem narrat Nissenus. At de his infra.

Mors Eudoxii CP. Episc. cui Demophilus succedit. *Socrat. lib. 4. 14. Sozom. lib. 6. 13. Valef. in Socrat.*

2. *Constantinopoli relicta, cum Nicomediam Bythiniæ venisset Valens, illic substitit ob hanc causam*, ait Socrates. *Eudoxius Arianæ factionis Episcopus, post Imperatoris discessum, statim extremum diem obierat, Valentiniano tertium, & Valente tertium Coss. (idest hoc anno), cum novemdecim annis Constantinopolitanam Ecclesiam rexisset*, seu potius annis undecim, ut a Sozomeno traditur, ordinatus quippe anno 359., Eusebio, & Hypatio Coss., quare mendum in Socratis textu irrepsisse Valesius adnotat. Nicæam profectus erat Eudoxius, *ut Episcopum illic ordinaret*, inquit Philostorgius, *mortuus enim erat Eugenius illius urbis Episcopus, priusquam ei negotio finem imposuisset, abiit e vita. Demophilus e Berea translatus est Constantinopolim, Imperatore sententiam synodi comprobante*. Dignus sane Eudoxii successor, nam is quoque inter Arianos præcipuus erat. Post Eudoxii tamen obitum gravissimi tumultus exorti sunt Catholicos inter, & Arianos, unde Imperator his auditis Nicomediæ substitit, ac milites Constantinopolim misit, ut Socrates, & Sozomenus narrant. Eudoxio mortuo, ait Socrates, *Ariani in ejus locum Demophilum substituerant. Homousiani vero*, idest Catholici, *opportunum sibi tempus oblatum rati*, cum Valens Constantinopoli abesset, *quemdam fidei suæ virum, Evagrium nomine, elegerunt, eumque ordinavit Eustathius, olim Antiochiæ Episcopus, qui prius quidem Joviani Principis edicto ab exilio fuerat revocatus, tunc vero cum venisset Constantinopolim, eo consilio, ut Homousianorum fidem stabiliret, occultus in ea urbe commorabatur*. An unus idemque fuerit Eustathius, Evagrium Constantinopoli hoc anno ordinavit Episcopum, qui olim Antiochiæ Episcopus fuerat, multi aut negant, aut dubitant, cum vix credibile sit, Eusthatium Antiochenum Episcopum superstitem hoc anno fuisse, qui anno [illegible] 5. Episcopus Nicæno Concilio adfuit, quem etiam Hier[illegible] [illegible]aus Trajanopoli in exilio obiisse tradit, aut Philippis in Macedonia, ut Victor Turonensis, & cum eo Theodorus scribunt, cujus re-

Philostorg. lib. 9. 8.

370. [illegible] [illegible]lef. in [illegible] t. Baf. [illegible]ag. an 370. 3. Hieronym. de Vir. Ill. in Eustathio. Theodor. li. 2.

JESU CHR. AN. 370. pag. 515 tom. 3. hist. Theodorit. &c. Philostorg. lib. 9. cap. 10. 14.

Reliquias anno 490., post tertium Consulatum Longini, a Calendione Antiocheno Episcopo Antiochiam solemni pompa translatas fuisse, adnotant. Tanta porro Demophili impietas erat, ut non solum Catholici, sed & Arianorum plurimi adstantes, cum in sede collocaretur, *non dignus acclamarunt, sed indignus*, ut Philostorgius testatur, qui etsi Arianus esset, multa tamen in Demophilo reprehendit, ac inter cetera, Demophilum *miscere omnia solitum, & confundere, ac præcipue Ecclesiæ dogmata. Adeo ut quodam tempore, dum sermonem haberet ad populum Constantinopolitanum dixerit Corpus Christi permixtum Divinitati penitus evanuisse, eo modo quo lactis sextarius in universum maris elementum conjectum evanescit. Ceterum Demophilus ortus fuit ex Urbe Thessalonica genere haud ignobili.*

Orthodoxorum legati numero 80. Mare submersi. Socrat. lib. 4. 15. 16.

3. His gestis, subdit Socrates, idest Demophilo ab Arianis ordinato: *Homousianos*, idest Catholicos, *Ariani de integro persequi cœpere. Ea res ad Imperatoris notitiam celeriter perlata est, qui veritus, ne ex contentione multitudinis orta seditio civitatem subverteret, militares copias ex urbe Nicomedia Constantinopolim misit, jussitque, ut comprehensi simul ambo, tam is, qui ordinaverat, quam ille, qui ordinatus fuerat, alius alio in exilium ejicerentur.* Eustathius quidem in Oppidum Thraciæ Bizuam est relegatus, Evagrius vero in alium abductus est locum. Quibus gestis Ariani insolentia elati, Catholicos multo acerbius vexarunt, nunc verberibus, nunc contumeliis eos afficientes, alios in carcerem conjicientes, aut pecunia multantes, omnia denique malorum genera prorsus iis inferentes. Interea cum Catholicorum aliqui Imperatorem adiissent, rogaturi ut Arianorum temeritatem reprimeret, non solum repulsam passi sunt, sed extremo supplicio affecti. Nam cum libellos supplices Imperatori obtulissent, quibus de acceptis injuriis conquerebantur, [illegible]n dissimulans libellos accepit, at non multo post Modesto [illegible]fecto jussit, ut eos extremo supplicio daret. Præfectus vero metuens, ne si homines illos sub oculis omnium interficeret, seditionem contra se imperitæ multitudinis concitaret, [illegible]git, se [illegible]s in exilium missurum esse. Quod cum illi constanti animo excepissent, Præfectus in navim impositos Nautis præcepit, ut cum a terra solvissent, navigium incenderent, ut hoc genere mortis extincti, sepultura etiam privaren-

rentur. Quare Nautæ in scapham recepti, navim incenderunt, cumque ventus vehemens esset, velociori cursu delata, Navale, cui nomen est Decirgo, pervenit, ibique cum viris ipsis penitus consumpta est, ait Socrates, eademque Sozomenus. Horum Martyrum sæpe mentionem facit Nazianzenus, quos octoginta fuisse, viros ex clero præclarissimos adnotat.

JESU CHR. AN. 370.

Sozom. lib. 6. 13. 14. Naz. orat. 32. pag. 461. & orat. 25. pag. 391., & alibi.

4. Tantum scelus nequaquam inultum remansit, subdit Socrates, nam *statim secuta est fames per totam Phrygiam adeo gravis, ut plerique incolarum ex suis sedibus ad tempus migrare necesse habuerint, & partim Constantinopolim, partim ad alias Provincias se receperint. Etenim Constantinopolis, quamvis innumerabilem populi multitudinem alat, semper tamen annonæ abundat copia, tum quod res omnes ad victum necessariæ mari ad eam importantur, tum quod Pontus Euxinus ei adjacens, frumenti copiam, quotiescumque opus fuerit, ei suppeditat.* Ejusdem calamitatis meminere ad hunc annum Hieronymus in Chronico, & Idacius in Fastis: *Valentiniano, & Valente III. Coss. magna fames fuit in Partibus Phrygiæ*, Tragicis quoque verbis eamdem famem, quæ in Cappadocia etiam grassata est, describit Nazianzenus Basilii laudes prosequens. *Fames erat, quidem post hominum memoriam atrocissima, languebat civitas, nec ulla ex parte auxilium afferebatur, nec ulla calamitatis medicina; cum Basilius, apertis per orationem suam, & cohortationes suas, locupletum horreis, facit, quod est in Scriptura, cibum esurientibus frangit, panibusque eos in fame saturat.* Neque hic Basilii charitas stetit, nam pauperibus in unum collectis panem ollasque leguminum plenas eis distribuit, ac Christi exemplo linteo præcinctus iis ministrare pedesque abluere non recusavit, ut pluribus narrat Nazianzenus. Ad eam quoque famem referre licet, quæ de Petro Basilii fratre narrat Nissenus in vita S. Macrinæ, eum scilicet durissima urgente fame, pauperibus cibariorum c[…]piam ministrasse, ut adventantium frequentia locus ille non solitudo videretur esse, sed civitas.

Fames in Phrygia, & Cappadocia exoritur.

Nazianz. or. 20. p. 307.

Greg. Nissen. [vit]a S. Ma[cri]n. tom. 2.

5. Sub hujus anni Consulibus CP. dedicata e[st] ecclesia, ubi B. Apost[olor]i positi sunt *quinto Idus Aprilis*, ait I[da]cius, cujus dedicationis meminit Hieronymus in chron[ico] ad hun[c] annum, eadem Alex: chronicum: eam ecclesiam Constantinus ædificaverat, quæ cum anno 358. ruinam minaretur, Macedo-

A[postolorum] Ec[clesi]a CP. dedicatur.

JESU CHR. AN. 370. Basnag. 370. 10.

nius Constantini corpus inde transferri jusserat, ut suo loco adnotavimus. Basnagius ritum dedicandi Ecclesias, antiquitus usurpatum, superstitionis accusat, meliusque fecissent, addit, *templorum positores, si corpora sua Spiritui Sancto consecrassent*. Verius tamen dixisset, si & templa Deo, & corpora sua Spiritui Sancto consecrassent, ut unum agendo, aliud non præteriissent.

Valentiniani Lex, qua clericos, & monachos a capiendis hæreditatibus excludit. Cod. Theod. lit. 6. l. 20. de episc. & clericis.

6. De rebus in Occidente gestis acturi, legem in primis offendimus, quam Valentinianus hoc anno Romæ vulgavit, & in ecclesia legi jussit, qua Clerici, & Monachi a capiendis hæreditatibus excludebantur, cujus hæc sunt verba: *Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. Ecclesiastici aut ex ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant, sed publicis exterminentur judiciis, si posthac eos affines earum vel propinqui putaverint deferendos. Censemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo judicio possint adipisci. Et omne in tantum inefficax sit, quod alicui eorum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel donatione vel testamento percipere. Quin etiam si forte post admonitionem legis nostræ aliquid iisdem, eæ foeminæ, vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiscus usurpet. Cæterum si eorum, qui voluntate percipiunt, ad quarum successionem, vel bona jure civili, vel edicti beneficii adjuvantur, capiant ut propinqui. Lecta in Ecclesiis Romæ 3. Kal. Augusti Valentiniano, & Valente III. A.A. Coss.* Hactenus lex Valentiniani, quam agente Damaso

Bar. 370 123. vulgatam fuisse Baronius suspicatur: *Equidem verisimile est*, inquit, *ipso Damaso id agente ab iisdem Imperatoribus, ejusmodi fuisse editam sanctionem adversus divinorum decretorum contemptores, ad demoliendam Clericorum, & monachorum ejus-[illegible]di quæstuariam ac sordidam officinam, ut qui contemnerent [illegible]uncta Evangelii præcepta; & pro nibilo ducerent sacros conciliorum can[illegible]es, ipsorumque Romanorum Pontificum decreta quælibet d[illegible]ent, sic saltem iidem procaces ab ipso Imperatore Valent[illegible]iano compescerentur, quem constat in ceteris jura [illegible]lesiastic[illegible] [illegible]rta tecta servari voluisse*. Hæc Baronius, qui & observat mirum nemini esse debere, hoc tempore in ur-

Bar. n. 119. be Orbis metropoli, ubi tamquam flumina in mare, divitiæ un-

undique confluebant, adfuisse Clericos, vel Monachos, qui divitiis inhiarent, & viduarum hæreditates, pietatis prætextu captarent, nam & temporibus Apostolorum non defuerunt ex ecclesiæ ministris, qui ex Evangelio mercaturam conficerent, ii scilicet, qui turpis lucri gratia circuibant, atque domos subvertebant, quique, ut ait Apostolus, sub pietatis specie domos, captivasque mulieres oneratas peccatis post se ducebant. Si itaque tam mali frutices eousque Apostolorum ætate excreverant, ut nequidem apostolica falce succidi potuerint, mirum non est tractu temporis, cum fidelium numero, crescente etiam clericorum turba, tandiu excrevisse, ut Imperiali gladio, idest Valentiniani lege, opus fuerit ad avaritiæ ramunculos una cum radice excindendos.

Paul. 1. ad Timoth. 6. ad Titum 1. 2. ad Timoth 3.

7. Et sane in Romano Clero hujuscemodi divitiarum, & munerum venatores hac ætate Romæ adfuisse Hieronymus narrat, quos his verbis arguit: *Clerici ipsi, quos & magisterio esse oportuerat, & timori, osculantur capita matronarum, & extenta manu, ut benedicere eos putes velle, si nescias, pretia accipiunt salutandi. Illæ interim, quæ Sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam, & quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem.* Post multa: *Quidam in hoc omne studium, vitamque posuerunt, ut matronarum nomina, domos, moresque cognoscant, ex quibus unum, qui hujus artis est princeps, breviter strictimque describam, quo facilius magistro cognito, discipulos recognoscas. Cum sole festinus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia requiruntur, & pene usque ad cubicula dormientium senex importunus ingreditur, si pulvillum viderit, si mantile elegans, si aliquid domesticæ suppellectilis, laudat, miratur, attrectat, & se his indigere conquerens, non tam impetrat, quam extorquet*; & iterum ad Nepotianum de quorumdam sollicitudine, qua senum hæreditates aucupabant: *Audio*, inquit, *in senes, & anus absque liberis quorumdam turpe servitium, ipsi apponunt matalam, obsident lectum, purulentiam stomachi, flegmata pulmonis manu propria suscipiunt. O quanta apud Deum merces, si in presenti pretium non sperarent! quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur! minori pretio Christi margarita emi poterat*; ad Helliodorum vero de monachorum rapacitate: *Alii nummum addunt nummo, & in marsupium suffocantes, matronarum opes venantur, obsequiis sunt ditio-*

Clericorum cupiditas a Hieronymo castigata.

Hier. ad Eustoch. epist. 22.

Hier. epist. 2.

JESU CHR. AN. 370. ditiores monachi, quam fuerant seculares, possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete Diabulo non habuerant, & suspirat eos Ecclesia divites, quos tenuit Mundus ante mendicos.

De lege Valentiniani quid Hieronymus dicat.

8. Cumque clericorum, ac monachorum avaritiam a Valentiniano supracitata lege repressam fuisse audisset, hæc ad Nepotianum scribens addidit: *Pudet dicere sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis clericis, & monachis hoc lege prohibetur, & non prohibetur a persecutoribus, sed a Principibus Christianis*, nempe Valentiniano, Valente, & Gratiano Imperatoribus, quorum nomina in sanctionis inscriptione legebantur; hinc subdit: *Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est: sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severaque legis cautio, & tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita quam Christi, leges timemus, & Evangelia contemnimus.* Hæc Hieronymus de Valentiniani lege, qua tamen, eodem teste, Ecclesiis vetitum non erat hæreditates acquirere, sed tantum privatis personis, sive clericis, sive monachis.

Quid de eadem lege sentiret Ambrosius. Ambros. ep. 31

9. Ejusdem quoque legis meminit Ambrosius in epistola ad Valentinianum juniorem: *Nobis etiam privatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegatur, & nemo conqueritur. Non enim putamus injuriam, quia dispendia non dolemus.* Et paulo inferius: *Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ, soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur, nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio multa præscribitur. Quod sacerdotibus phani legaverit Christiana vidua, valet. Quod ego, non ut querar, sed ut sciant, quid non querar, comprehendi, malo enim vos pecunia minores esse, quam gratia. Sed referunt ea, quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ non esse temerata.* Hæc Ambrosius cum agit adversus Symmachum postulantem, ut sacerdotibus atque virginibus Vestalibus emolumenta restituerentur.

Valentiniani Lex, qua polygamia permittitur. Socrat. l. 4. 31

10. Lege altera non minimam nomini suo labem inussit Valentinianus Imperator, si Socrati fides habenda, dum hoc anno polygamiam probavit, ac duas simul uxores cuilibet habe-

bere permisit: *Sciendum est*, inquit, *hunc Valentinianum*, juniorem scilicet, *natum esse ex Justina Augusta, quam Valentinianus senior, superstite adhuc Severa priore conjuge, duxit tali de causa. Justus pater Justinæ, qui Constantii temporibus Picenam Provinciam administrabat*, cum somnium, quo Imperium sibi protendebatur, narrasset, Constantii Imperatoris jussu occisus est; filia autem ipsius Justina, cum in Severæ Valentiniani uxoris familiaritatem venisset, eamque apud Valentinianum tamquam eximiæ pulchritudinis virginem sæpius laudasset, Imperator consilium iniit de Justina uxore ducenda, ita tamen ut Severam non repudiaret, ex qua filium habebat Gratianum, quem paulo ante Augustum nuncupaverat. *Legem igitur a se dictatam publice per singulas civitates proposuit, ut cuivis liceret duas simul uxores legitimas habere. Et lex quidem ita proposita est, ipse vero Justinam duxit uxorem, ex qua Valentinianum juniorem suscepit, tresque præterea filias, Justinam, Gratam, & Gallam.* Hæc Socrates, ex quo ceteri inferioris ævi, & auctoritatis Scriptores eamdem historiam exscripserunt, ut Jornandes, Paulus Diaconus, Nicephorus, Malela &c.

Valentinianum duas simul uxores non habuisse probatur.

Bar. an. 370. 124. Valef. in Socrat. ut sup. Basnag. an. 375. 4. Bossuet hist. var. defens.

11. Inter fabulas tamen, & commenta hoc Valentiniani edictum ablegant eruditi viri, nec falsitatis desunt indicia, & argumenta; in primis etenim in eo fallitur Socrates, dum scribit Valentinianum Justinam Virginem duxisse, quam antea Magnentio Tyranno nupsisse, diserte Zosimus narrat. Insuper si Valentinianus eam legem christianis non solum moribus, & institutis, sed & Romanis etiam legibus omnino contrariam vulgasset, numquid tam turpe facinus silentio obruissent ceteri Occidentales Historici Christiani, & Ethnici? quin potius inauditum rescriptum, & publicum facinus toto Orbe proclamassent, præsertim Zosimus, & Marcellinus, qui adversus christianum Imperatorem infensi, nullam non prætererunt occasionem, ut ejusdem gesta infamarent, quem etiam castitatem quam maxime coluisse diserte scribit Marcellinus: *Omni pudicitiæ cultu* ait, *domi castus, & foris nullo contagio conscientiæ violatæ obscœnæ, nihil incestum, hancque ob causam tanquam retinaculis petulantiam refrenavit aulæ regalis*. Justinam itaque p... Severæ obitum duxit Valentinianus, aut saltem, si vivente Severa Justinam duxit, primam repudiavit: quod etsi christianis legibus

Amm. lib. 30.

Murat. an. 367.

JESU CHR. AN. 370.

gibus, & moribus adversaretur, cum tamen Romanis legibus id liceret, in eam labem incidere facilius potuit, quod & innuunt Alexandrinum Chronicon, & Malela, dum tradunt, Gratianum post Valentiniani obitum, ab exilio matrem suam, idest Severam, a Valentiniano ejectam, revocasse; quod sane tolerabilius fuisset, quam simul, & semel duas uxores non solum habere, sed ut cæteris etiam liceret, lege edita permittere.

Damasus Auxentium Mediolanensem Episcopum condemnat.

12. Anno 368. in Romana synodo, Ursacium, & Valentem Arianorum Principes Damasus Pontifex damnaverat, cujus synodi gesta ut accepit Athanasius, gratiàs Damaso retulit, quod paci, & ecclesiasticæ concordiæ studeret; mirari se tamen addiderat, quod Auxentium Mediolanensem Episcopum, non Arianum modo, sed & sexcentis flagitiis pollutum, eadem Romana synodus una cum Ursacio, & Valente non abdicaverit. Ob quam rem alteram hoc anno Romæ synodum Damasus congregavit, qua Auxentium Ecclesiæ communione, dignitateque abdicavit, ut idem Athanasius in sua ad Afros epistola, & iterum in epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum narrat, additque Occidentales, & Orientales huic Damasi epistolæ, & Fidei definitioni subscripsisse: *Quamobrem hoc tempore*, ait, *variæ synodi per Galliam, Hispanias, & magnæ Romæ celebratæ sunt, quotquot eo convenere eos, qui etiam nunc latenter hæresim sapiunt Arianam, Auxentium nempe Mediolanensem, Ursaciam, Valentem, & Gajum ex Pannonia communi calculo, quasi uno, eodemque concitante spiritu anathemate damnarunt, litteras autem ubique miserunt, ut deinceps in Ecclesia catholica, nulla synodus nominaretur, præter unam Nicænam, quæ omnis hæresis trophæum est, atque in primis Arianæ, cujus potissimum causa tunc coacta fuit*. Hactenus Athanasii epistola anno sequenti scripta.

Athan. epist. ad Afros to.1. p.2. pag. 899.

Athan. ut sup. p.891.

Saxonum clades, & Burgundiones in Alemannos Valentinianus excitat.

Marcell. li. 28

13. Cum Saxones prædis, incendiisque assueti frequenter Romanum solum infestarent, Nanneum Comitem, & Severum Magistrum peditum adversus eos misit Valentinianus, quorum adventu perterriti Saxones, datis obsidibus, pacem impetrarunt; at cum securi ad patrios Lares redirent, Romanorum insidiis deleti sunt, sicque, quos justo prælio vincere difficile fuisset, perfidia vicerunt: *Saxonum cladem Deusone in regione Francorum anno* 373, alligavit Hieronymus in Chronico,

co, Alexandrinum tamen Chronicon hanc Saxonum eruptionem in tertium Valentiniani Consulatum, ideft hoc anno, alligavit. Eodemque anno Valentinianus, ut Alemannorum eorumque Regis Macriani ferociam frangeret, Burgundiorum gentem in ipsorum perniciem excitavit, qui ad octoginta millia ad Rhenum descendentes, ut ait Hieronymus in Chronico, cum Valentinianus promissis non stetisset, re infecta ad sua reversi sunt, ut pluribus narrat Marcellinus.

JESU CHR. AN. 370. Murat. an. 370 Marcell. l. 28. Marcell. lib. 28. 5.

14. Valentinianus hoc anno Virgines, Viduas, & Pupillos a censu solutione liberavit, de quibus ad Vivenitum Præfectum Prætorio Galliarum hæc scripsit: *Nulla Vidua, nemo Pupillus ex utroque sexu, donec eos ingrediantur annos, qui jam tutoribus, curatoribus, vel publicis non egeant, exactionem plebis agnoscat. Simili devotione habeantur immunes, etsi quæ se sacræ Legis obsequio perpetuo dedicarunt*, quæ scilicet perpetuam voverant virginitatem: *data III. Kal. Aprilis Treviris Valentiniano, & Valente III. AA. Coss.*

Virgines, Viduæ, Pupilli a solvendo censu liberantur. Cod. Theod. de Censib. l. 6

15. Memoria quoque dignum est aliud ejusdem Imperatoris rescriptum ad Olybrium Urbanam Præfecturam gerentem datum, quo adolescentibus Romæ studiorum causa commorantibus certas vivendi regulas præscribit, ac primo ut a Provinciarum judicibus Romam pergendi licentiam obtinerent, litterasque proferrent, quibus natales eorum ac patria indicarentur. Deinde ut in primo statim introitu, quibus potissimum studiis operam navare proposuerint, profiterentur. Ut eorum hospitia solicite censualium officium cognosceret, idemque curaret, ut singuli eorum tales se in Conventibus præberent, quales esse debent honesti adolescentes, ac ut consociationes, quas proximas putamus esse criminibus, fugiendas discerent, neque spectacula frequentius adirent, aut intempestiva convivia. Tandem: *Si quis de his non ita in Urbe se gesserit, quemadmodum Liberalium rerum dignitas poscat, publice verberibus affectus, statimque navigio superpositus abjiciatur Urbe, domumque redeat*. Qui autem sedulo liberalibus disciplinis operam dederint, usque ad vigesimum ætatis annum Romæ commorari licebat. Post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeare, ut invitus etiam in patriam remittere[illegible], jubet, ac ut sollicite hæc curaret Olybrium hortatur. *Dat. IV. Idus Mar. Trev. Valentiniano, & Valente AA. Coss.*

Valentiniani Lex pro iis, qui Romam discendis artibus confluebant. Cod. Theod. de studiis liberal. Urbis Romæ.

Jesu Chr. an. 370.

Qui studiis vacabant Romæ modestiores quam in Africa erant. *Aug. Confess. lib. 1. 8.*

15. Ad hanc sane legem respiciebat Augustinus de se ipso hæc adnotans: *Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæstus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc suadebant promittebantur, (quamquam & ista ducebant animum tunc meum) sed & illa erat tunc causa maxima, & pene sola, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes, & ordinatione disciplinæ coercitione sedari, ne in ejus scholam, quo magistro non utuntur, passim, & proterve irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem fœda est, intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, & prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa injuriosa faciunt mira hebetudine, & punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit, hoc miseriores eos ostendens, quo jam quasi liceat, faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, & impune se facere arbitrantur, cum ipsa faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur pejora quam faciunt.* Hæc Augustinus de Romanæ scholæ disciplina, & modestia, ubi ultra annum vigesimum immorari ex Valentiniani edicto adolescentibus vetitum erat, ne majores, & liberiores facti, aut otio torpescerent, aut urbanis illecebris irretirentur.

JESU CHRISTI an. 371. Damasi Papæ 6.
Valentiniani, et Valentis Imp. 8. Gratiani Imp. 5.
Coss. Gratiano Aug. II., et Sexto Petronio Probo.
Olymp. 287. an. 3. Urb. an. 1124.

Senatores ob maleficia puniti. *Cod. Theodos. lib. 10. de Malefic. Ammian. l. 28.*

1. Ad Ampelium Urbis Præfectum extat Valentiniani Imp. rescriptum hoc anno datum, quo in Senatores maleficii accusatos inquiri jubet, in quam rem narrat Marcellinus Ampelium Urbis Præfectum, & Maximinum Vicarium in Senatores maleficii suspectos, vel accusatos severissimas egisse quæstiones, reosque adeo gravi pœna affecisse, ut Ampelius crudelitatis notam incurreret. Hieronymus etiam in Chronico ad octavum Valentiniani annum adnotat: *Maximinus Præfectus Annonæ* (idem est ac Urbis Vicarius) *Maleficos ab Imperatore investigare jussus, plurimos Nobilium occidit*, de quibus plura Ammianus narrat. Hoc quippe tempore accidebat sæpe, ut ex Romanis Senatoribus christianam Religionem non-

nonnulli amplecterentur, non tam pietatis instinctu, quam ad demerendam Imperatorum gratiam, pristinis interea Idololatriæ ritibus serviebant, atque occulte illicitis Aruspicinæ aut divinatoriis artibus aliisque Dæmonum invocationibus vacabant, quos Imperatoris severitas puniendos hoc anno jussit.

Valentiniani lex de scenicis.

Cod. Theod. l. 1 de Scenicis.

2. Singulari etiam memoria dignum est aliud Valentiniani rescriptum pro Scenicis utriusque sexus, quos nonnisi in extremo vitæ periculo constitutos ad baptismum admitti jubet, ita tamen, ut si convaluerint, nullatenus ad scenas revocarentur: *Scenici*, inquit, *& scenicæ, qui in ultima vitæ necessitate cogente interitus imminentis, ad Dei summi sacramenta properarunt, si fortasse evaserint, nulla posthac in theatralis spectaculi servitudinem conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti observari, ac tueri sanctione jubemus, ut vere, & in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen Antistites probant) beneficii consequantur. Quod ut fideliter fiat, statim eorum ad Judices, si in præsenti sunt, vel Curatores urbium singularum, desiderium perferatur: Quo inspectoribus missis, sedula exploratione quæratur, an indigeri his necessitas poscat extrema suffragia. Dat. III. Idus Februarii Trever. Gratiano A. II., & Probo Coss.* Scenici, & Scenicæ servi publici erant addicti theatricis spectaculis, quos Ecclesiæ canones a Sacramentorum communione repellebant, quare ne ab officio suo avocarentur, christianos fieri Valentinianus prohibuit, nisi cum dies extrema urgeret. Cum christiana pietate hanc Valentiniani Imp. legem conciliari vix posse, hinc facile quisque intelliget, quod S. Gregorius Papa Mauritii Imperatoris legem, qua milites monachos fieri prohibuerat, tam ægre tulerit, ut totis viribus eam revocari curaverit.

Valentinianus Aruspicinam permittit.

Cod. Theod. lib. 9. de Malef. & Mathem.

3. Nec christiano Imperatore dignior est & altera, qua Aruspicinam permisit, dummodo absque magicis artibus exerceretur. Ex his aliisque in Ethnicorum gratiam a Valentiniano Imp. vulgatis plus justo eorum desideriis favisse constat. Quare Symmachus ad Valentinianum juniorem ajebat: *Eum religionis statum petimus, qui divo parenti culminis vestri servavit Imperium, qui fortunato Principi legitimos sufficit hæredes. Spectat Senior ille divus ex arce syderea lacrymas Sacerdotum, & se culpatum putat, more violato, quem libenter ipse servabat.* Hæc Symmachus pro Gentilicia superstitione causam agens. Aram quoque Victoriæ in Senatu erectam, cui Se-

JESU CHR. AN. 371. Senatores gentiles sacra facere solebant, intactam reliquit. At hæc aliaque Ethnicorum gratia a Valentiniano seniore tributa vel tolerata, Ambrosius sic excusat, quod eo inscio fierent, unde contra Symmachum Ethnicorum causam patrocinantem scribens, Valentinianum seniorem, ad juniorem sic loquentem inducit: *De me, fili, pessime judicasti, qui putasti quod ego Gentilibus conniventiam præstitissem. Nemo ad me detulit, aram esse in illa Romana Curia, nunquam tantum* Ambros. epist. *nefas credidi, quod in communi illo Christianorum, Gentiliumque concilio sacrificarent Gentiles, hoc est, insultarent Gentiles præsentibus christianis, & inviti christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa, & diversa crimina, me imperante, commissa sunt? ultus sum quæcumque sunt deprehensa. Siquis tunc latuit, debet ergo dicere, me probasse, quod ad me nemo detulerat? De me pessime judicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea servavit imperium*. Hactenus Ambrosius, & puto quidem rhetorica fortasse usus arte, ut Valentiniani junioris Imperatoris animum sibi conciliaret, eumque admoneret, ne paterno exemplo commotus, Victoriæ aram in Senatu iterum erigi permitteret.

De initiis, & progressu belli Persici.

4. Ad Orientales res quod attinet, ingravescente bello Persico, cum Sapor Romanas provincias invasisset, alteram in Orientem hoc anno expeditionem Valens suscepit: gesta & iter antequam prosequamur, de ejusdem belli initiis, deque gestis usque ad hunc annum aliqua saltem breviter adnotasse juvabit. Bello itaque Saporis ambitio causam dederat, dum violata pace, & per insidias capto occisoque Arsace Armeniæ Rege, ejusdem regnum invaserat, ut narrat Marcellinus, Marcell. li. 27. & 28. qui & addit Arsacis filium Param ad Valentem confugisse, a quo benigne exceptus, Nicomediæ aliquandiu Valentis jussu substitit, deinde Terentii Ducis opera in Armeniam reversus 5. Quamobrem Sapor ira inflammatus, majoribus copiis Armeniam iterum aggressus vastavit. At misso a Valente Arintheo cum exercitu, ut Terentio in Armeniæ defensionem auxilio esset, & Iberiæ, quæ easdem cum Armenia calamitates ex Saporis irruptione patiebatur, inter utrumque Imperium bellum exarsit, cujus initia ad annum tertium Valentis Philostorgius alligat, Philost. li. 9. 5. *Valens*, inquit, *tertium Imperii sui annum ingressus, expeditionem adversus Persas suscipit*, Marcellinus vero, post annum 366. hujus belli epocham alligat: *Dum apud*

apud Persas, perfidia Regis motus agitat insperatos, & in Eois tractibus bella rediviva consurgunt, anno sextodecimo, & eo diutius post Nepotiani exitium. Nepotianus autem Sergio, & Nigriano Coss. ideft anno 350. perierat, unde post annum 366. Persicum bellum exarsisse scimus. Interea Sapor Armenia, Iberiaque, finitimisque provinciis vastatis, in Romanos exercitum eduxit, cui Trajanus Comes, & Vadomarius obviam facti, observare magis, quam lacessere Persas justi sunt: *Qui cum venissent Vagabanta, legionibus habilem locum, rapidos turmarum procursus hostilium in se ruentium acriter excepérunt inviti, operaque consulta retrocedentes ne ferro violarent adversorum quemquam primi, & judicarentur discissi fœderis rei, ultima trudente necessitate congressi sunt. Confossisque multis discessere victores.* Induciis deinde firmatis, Ctesiphontem Sapor hyematum transiit, Valens Antiochiam. Quo anno Valens Antiochiam ingressus sit, inter eruditos non convenit, cum alii anno 370., alii 371., aut 372., illuc advenisse cum Pagio tradant, cum tamen ibidem hyemasse scimus, vix refert, an sub hujus anni finem, aut initium proximi illuc pervenerit, quo cum esset Valens, quid egerit, nunc est dicendum:

Marcel.li.29.

Bar. an. 370. n.37.93. Pag. ibi.& an. 372 n.6.

5. *Post hæc Imperator in Syriam perrexit*, ait Sozomenus, *verebatur enim, ne Persæ triginta annorum inducias, quas cum Joviano pacti fuerant, rumperent, sed cum Persæ nihil novi moliti essent*, a Romanis quippe, ne ulterius progrederentur, prohibiti sunt, ut supra diximus, *Antiochiæ consedit, quo quidem tempore Meletium Episcopum exilio damnavit, Paulino autem pepercit, vitæ illius sanctimoniam reveritus*, & iterum de Valentis adventu Antiochiam: *Cum Imperator Antiochiam venisset, cunctos qui Nicænorum Patrum doctrinæ adhærebant, tum ex illius civitatis, tum ex vicinarum urbium ecclesiis ejecit, omnique suppliciorum genere oppressit adeout nonnulli affirment multos ejus jussu variis modis interfectos, quosdam vero in Orontem fluvium præcipitatos fuisse.* Sciendum porro est Meletium ter exulasse, p[illegible]io sub Constantio, cum vix Antiochiæ Episcopus ordinatus fuerat anno 361., secundo sub Juliano Apostata, tandem terti sub Valente, cujus exilia Nissenus his verbis commemorat: *Denuo reditus ac rursus exilium, idque tertium accidit &c.* Post Valen-

Valens Meletium Antiochia ejicit, aliosque vexat.

Sozom. lib. 6. 7.& 18.

Sozom. ut sup. Socrat.li.4.17

Greg. Nissen. orat.in funere Meletii.

tis

JESU CHR. AN. 371.

tis vero obitum rediens, usque ad Theodosii tempora ecclesiam Antiochenam rexit, de quo iterum sermo fiet.

Flavianus, & Diodorus antiochenæ ecclesiæ curam gerunt. *Theodor. lib. 4. c. 24. & 25.*

6. Meletio Antiochia ejecto, Flavianus, & Diodorus ejusdem ecclesiæ presbyteri gregis curam susceperunt, cumque catholici nullam in urbe ecclesiam haberent, extra muros plebem congregantes, sacramentis, & salutaris doctrinæ pabulo enutriebant. Ac toto tempore quo Antiochiæ Valens substitit, Catholicos ibidem vexare non destitit, etsi ceteris tam Ethnicis, quam Judæis, aliisque omnibus, qui christianum sibi nomen assumebant, quidquid audendi potestatem fecisset, nam & Græcanica mysteria celebrabantur, & Dœmonum cultura, quæ post obitum Juliani extincta fuerat a Joviano, permissu illius reflorescere cœpit; ita ut Diasia, & Bacchanalia, & Cereris Orgia, non jam in occulto, sed palam publiceque celebrarentur, ait Theodoretus.

Aphraates catholicam fidem Antiochiæ prædicat

7. In tanto catholicæ fidei discrimine, opem Diodoro & Flaviano tulit Aphraates monachorum celeberrimus, qui cum catholicam Fidem Antiochiæ periclitari accepisset, relicta solitudine illuc convolavit, cumque quadam die ad catholicorum collectam pergeret, ut eum Imperator ex regia porticu concito gradu properantem vidit: *Quo vadis* interrogavit. At ille: *Pro tuo regno precaturus*. Valens vero: *Domi potius manere debueras, & juxta Monasticam legem intus precari*. Aphraates: Recte admodum Imperator, idque hactenus feci, quamdiu oves Servatoris nostri pace fruebantur: nunc vero cum in maximam perturbationem inciderint, & periculum immineat, ne a feris diripiantur, omnis via tentanda est, ne Christi grex pereat. Deinde addit: *Si puella essem intus in thalamo sedens, & curam ædium gerens, ignemque ædibus immissum, & paternam domum conflagrantem viderem, quid me tunc agere oporteret? Utrum intus sedere, & domum conflagrantem negligere, & expectare, dum flamma in me irrue[illegible]? An potius relicto thalamo, huc & illac discurrere, a[illegible]m adferre, ignemque extinguere? Non dubito, quin hoc postre[illegible]m dictur[illegible]is, id enim prudentis, ac solertis puellæ est. Hoc ipsum [illegible], Imperator, quod nunc ago. Nam cum tu in patris nostr[illegible] [illegible]mum ignem injeceris, circumcursamus nos, eum restinguere [illegible]nantes*. Quæ ut audivit Imperator obmutuit.

Cubicularius Valentis temeritatis dat pœnas.

8. Ea [illegible]atis dicendi libertate commotus quidam ex cubiculariis Imperatoris, cum audacius interminatus esset, paulo

paulo post temeritatis suæ pœnas dedit, nam cum balnei curam gereret, eoque perrexisset, ut Imperatori necessaria præpararet, subito mente captus in ferventem aquam desiliit, ibique extinctus est. Sedebat interim Imperator expectans, quod introeundi tempus sibi nuntiaret; cumque multum temporis effluxisset, alios misit Imperator, qui causam moræ referrent. Ii vero cum omnia circumspexissent, eum in fervente aqua mortuum ac liquefactum repererunt. Quod ubi vulgatum est, vim precum Aphraatis mirati sunt omnes, ait Theodoretus, cujus *virtutis opes superfluum nunc est commemorare, cum in alio opere ista retulerim*, idest in Philotheo, ubi inter cetera adnotat, quod, vulgata pœna quam infelix Valentis cubicularius ob temeritatem subierat, Imperator, ac ceteri qui hactenus adversus pietatem certaverant, perterriti adeo fuerunt, ut cum quidam Valenti suggessissent, ut Aphraatem exilio pelleret, eorum consiliis nequaquam acquievit. Hinc etiam factum, ut tota Antiochia Apraates, ob vitæ sanctitatem, & miraculorum frequentiam celebraretur.

JESU CHR. AN. 371.

Theod. 4. 25. Idem in Philoth. 8.

9. Aphraati Julianus monachus sanctitate celebris ad pugnam comes se adjunxit; cum etenim Ariani Julianum eorum opinionibus favere falso vulgassent, Flavianus, & Diodorus ad eum miserunt rogantes, ut adversariorum mendacia refutaret, veritati autem testimonium redderet. Is porro cum Antiochiam properaret, triumpho similis adventus ejus fuit, ad quem universa civitas conveniebat, ita ut, Chrysostomo teste, nusquam tantus hominum concursus visus esset. Quot vero, & quanta inter eundum, & redeundum, & in ipsa Antiochensium civitate ediderit miracula, in Philotheo retulimus, ait Theodoretus, *quem adire licet iis, qui hæc cupiunt cognoscere*, quo loco viri clarissimi res gestas fusius est prosequutus, & maxime egregia miracula, quæ Antiochiæ, vel in via peregit, ad confutandam Arianorum blasphemias.

Julianus Saba Antiochiam pergit. *Theod. 4. 27.*

Chrys. st. hom. 21. in epist. ad Ephes.

10. Inter cætera cum duorum, vel trium dierum egisset, ac in quoddam prædium pervenisset, a quadam pia muliere hospitio exceptus, filium ejus septennem ab imminenti mortis periculo eripuit; nam cum mulier ministrando intenta, filii sui vix sollicita esset, in puteum puer incidit, quod ut mater agnovit, ceteros quidem jussit quiescere, ac puteo clauso in ministerio perseveravit. Mensa vero Juliano, & sociis posita, Julianus puerum vocari jussit. Cum autem mulier

Julianus puerum ab imminenti mortis periculo eripit. *Theod. Philot. cap. 2.*

Jesu Chr. An. 371.

lier dixisset eum male habere, ut ad se eum duceret, instantius petiit. Mater vero infaustum pueri casum narravit, tunc Julianus relicta mensa ad puteum properavit, ac auferri operculum, afferrique lumen jussit, eoque adhibito, sedens super aquam ludens apparuit puer, indeque extractus, ad pedes Juliani cucurrit dicens, se eum in puteo, ne mergeretur, vidisse.

Julianus Orientis Comitem, aliosque a morbis liberat.

11. Quare cum in eremo latitans mira fecisset, multo majora Antiochiæ in Nicænæ Fidei confirmationem miracula patravit. Inter cætera, portas vix ingressus, quidam mendicus qui clunibus pro pedibus utebatur, cum manum extendisset, & ejus pallium attigisset, continuo sanatus est, & exiliens stare, ambulare, ac currere cœpit. Quo factum est, ut tota civitas ad eum conflueret, ac Catholici omnes exultarent, factis ipsis Nicænam Fidem a Juliano confirmatam videntes, de quibus plura ibidem narrat Theodoretus. Tyrum vero pertransiens, rogatus a Fidelibus in Asterium ejus loci Episcopum, & Sophistam, qui syllogismorum subtilitate, tamquam laqueis, aut retibus simpliciores a via veritatis avertebat, rogatus, inquam, ut Catholicis subveniret, unius diei oratione effecit, ut Asterius plaga percussus, die sequenti e vivis excederet. Hic Asterius Tyri Episcopus, ab altero Asterio Sophista, & perditissimo Ariano distingui debet. Hic etenim, cujus sæpe Athanasius meminit, quem etiam Marcellus Ancyranus Episcopus confutavit, nunquam Episcopus fuit, eo quod, teste Athanasio, Idolis immolaverat. Alter vero non solum Clero adscriptus fuerat, sed & Tyriensis Episcopus. Ætate etiam distinguuntur, nam primus, qui in persecutione Diocletiani Idolis immolaverat, usque ad hæc tempora nequaquam superstes fuit; hic vero, quem obmutescere, & e vita excedere Julianus coegit, hoc labente anno pe[illegible]t, Hinc etiam Hieronymus antiquioris Asterii opera recen[illegible]s, suppresso Episcopi titulo, diversum a Tyriensi eum fuis[illegible]e indicat. His duobus Asteriis professione Philosophis, fideque Arianis, duo alii addendi sunt, qui hoc eodem sæculo floruerunt, quorum alter Petræ in Arabia Episcopus dicitur, cujus memoria die decima Junii Martyrologio Romano recensetur, idem fortasse, qui Julianum Sabam Antiochiam perduxit: *Persu[illegible]nt Meletius, Diodorus, & Aphraates magno illi Acacio [illegible] ut via comitem acciperet magistrum, sancti vero*

Theod. Philot. cap. 2.

Senis

Senis discipulum insignem illum Asterium &c. Fuit & alius pietate, & doctrina celeberrimus Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus, cujus orationes aliquot, aliaque Opuscula adhuc extant, de quo non est hujus loci plura addere.

JESU CHR. AN. 371. *Coteler. tom. 3 monum. Eccl. Græc.* *Dupin. tom. 1. sec. 5. pag. 249*

12. Cum Aphraate, & Juliano Syriæ Monachis, alii plurimi virtutibus, & miraculis, catholicam hac ætate Ecclesiam illustrarunt, quorum præcipui fuere: in Chalcidensium solitudine Avitus, Marcianus, Abraames, aliique præterea haud pauci: in Apamensium regione Agapetus, Symeones, Paulus, & alii, qui perfectæ philosophiæ fructus colligebant: in Zengmatensium territorio Publius, & Paulus: in Cyrestarum agro Acepsemas ille ab omnibus laudatus, qui in cellula inclusus sexaginta annos ita transegit, nec visus ab ullo, nec ullum alloquens; admirandus autem Zeugmatius, etsi luminibus orbatus, circumibat tamen oves Christi confirmans, & lupos abigens. Quam ob causam cum Hæretici monasticum ejus tugurium incendissent, Trajanus magister Militum, alterum ei construxit, omnique cura, ac sollicitudine fovit. In Agro denique Antiochensium Narianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Symeones, Abraames, aliique, *quorum nos vitam scriptis prodidimus*, ait Theodoretus. In monte vero, qui Antiochiæ adjacebat, illustriores erant Petrus Galata, & alter ejusdem nominis Ægyptius: Romanus etiam, & Severus, Zeno, Moses, aliique complures, vulgo quidem hominum ignoti, sed Deo carissimi. Juliani, Aphraatis, Marcelliani, Eusebii, & Publii res gestas narrat Theodoretus in historia religiosa, quam Philotheum inscripsit, ubi plura videri possunt.

Celebriores in Syria Monachi. *Theod. li. 4. 28*

13. Ad Valentem Antiochiæ commorantem redimus, qui cum diu ibidem substitisset, nullo alio fere negotio intentus, nisi ut eos, qui Consubstantialis Fidem sequebantur, variis modis vexaret, Themistii oratione placatus, remissius agere cœpit, si vera narrant Socrates, & Sozomenus: *Valens Antiochiæ degens*, ait Socrates, *ab exteris quidem bellis liber, eos, qui Consubstantialis fidem profitebantur, graviter impugnabat, acerbiora in dies supplicia adversus eos comminiscens, donec Themistius Philosophus atrocitatem ejus aliqua ex parte mitigavit*; qui de Dogmatum discrepantia multa dixit, ut mirum non esset, eamdem diversitatem in christiana Religione inveniri; cumque *hæc, & ejusmodi alia ei*

Themistii oratio ad Valentem. *[illegible] lib. 4. [illegible] Sozom. li. [illegible]*

JESU CHR. AN. 371. *exposuisset Philosophus, aliquando mitior in posterum factus est Imperator, nec tamen furorem ex animo penitus abjecit, sed mortis loco exilium irrogavit sacerdotibus*, ait Socrates de Valentis sævitia in catholicos, quod illustri exemplo confirmat.

Quid Edessæ Valens egerit *Socrat. lib.4. 18. Sozom. 6. 18. Ruffinus lib.11.cap.5.*

14. *Sed ea quæ Edessæ in Mesopotamia facta sunt, nefas arbitror silentio præterire.* Illustris quippe ac splendida Basilica Edessæ S. Thomæ Apostoli erat, in qua propter loci sanctitatem collectæ sine intermissione fiebant. Hanc cum Valens Imperator videre cuperet, ac sciret universam convenientium multitudinem hæresim suam detestari, Præfectum manu sua percussisse fertur, eo quod Catholicos inde non expulisset, Quare Præfectus Valentis reprehensione excitatus, ejusdem jussa exequi destinavit, quia tamen tantam hominum multitudinem interficere nolebat, Catholicos clam admonuit, ne die sequenti Basilicam ingrederentur. At ejus consilio, aut minis animum nemo intendit; postero enim die universi ad Basilicam confluxere. Cumque Præfectus cum militum manu ad Basilicam properaret, ut collectam ibi plebem abigeret, gladiisque feriret, paupercula quædam mulier parvulum filium manu trahens, ad ecclesiam properans, agmen eorum, qui Præfectum stipabant, perrumpit; quod moleste ferens Præfectus, mulierem ad se adduci jubet, eamque his verbis compellavit: *O infelix muliercula, quo tam audacter, & inverecunde properas? Tum illa: Quo, inquit, etiam alii properant. At Præfectus, non audisti, inquit, cunctos, qui illic reperti fuerint, a Præfecto esse interimendos? Mulier, audivi equidem, ait, atque idcirco festino, ut ipsa quoque illic inveniar. Cumque Præfectus dixisset, & quo hunc parvulum trahis? respondit mulier, ut & iste martyrium subire mereatur.* Ex hujus mulieris constantia quanta ceterorum, qui eo convenerant, confidentia esset, perspiciens Præfectus, ad Imperatorem reversus, cunctos ad mortem pro fide sua subeundam paratos esse admonuit, simulque addidit, absurdum fore tantam multitudinem momento temporis interficere. Eoque modo Edesseni instans evaserunt periculum, ut narrat Socrates, eademque Sozomenus, Ruffinus, & Theodoretus, qui & addunt Modesto Præfecto Valentem mandasse, ut Edessenos virgis, fustibus, verberibusque fugaret.

Theod.li.4.17

De

15. De Barsa autem Edessenorum episcopo, quem Valens tunc temporis in exilium misit, narrat Theodoritus, ejus nomen usque ad sua tempora non solum in Syria, & Edessæ, sed & in Phœnice, & in Ægypto, ac Thebaide, in veneratione fuisse, quem Valens primo quidem Aradum insulam incolere jussit. Deinde cum innumerabilem hominum multitudinem undique ad illum confluere didicisset, apostolica enim gratia plenus, morbos oratione sua curabat, eum in oppidum Ægypti Oxurynchum deportavit; cumque viri fama eo quoque multos traheret, in ultimum quoddam castrum, cui nomen Philo, abductus est. *In Insula Arado lectum ejus usque in hodiernum diem mansisse ferunt, magno in honore habitum. Multi enim ægrotantes, simulatque in eo collocati fuerint, pristinam valetudinem recuperaverant.* Valens interea cum Edessenam ecclesiam pastore suo viduasset, lupum pastoris loco, idest Arianum Episcopum, imposuit. Jesu Chr. An. 371. Barsæ Edesseni Episc. exilium. Theod. 4. 16.

16. Neque hic Valentis stetit furor, nam etsi Edessenorum multitudine perterritus, pepercerit; Modesto tamen jussit, ut ejusdem Ecclesiæ presbyteros, & diaconos, aut cum Ariano Episcopo communicare, aut solum vertere cogeret, & in ultimas Imperii terras deportaret. Quos cum in unum Præfectus congregasset, blando primum sermone iis persuadere conatus est, ut Imperatoris præceptis obtemperarent. Cumque universi silerent, Præfectus ad Eulogium virum inprimis morum gravitate celeberrimum conversus: *Cur tu non respondes ad ea, quæ dixi?* Eulogius vero ea cunctis dicta esse respondit, seque absurdum existimasse, ut exclusis cæteris solus ipse responderet. Quod si me, subdidit, unum interrogaveris, sententiam meam tibi exponam. Tunc Præfectus: *Communica ergo*, inquit, *cum Imperatore*. Cui Eulogius facete admodum: *Nunquid ille*, inquit, *una cum Imperio Sacerdotium etiam adeptus est?* Præfectus cavillationem intelligens, graviter commotus in eum addidit: *Non bo[illegible] xi, stupide, sed vos hortatus sum, ut cum iis communic[illegible] tis, quibuscum Imperator communicat*. Sed [illegible] respond[illegible] Eulogius pastorem se habere, cujus nutu ipse c[illegible]erique ex clero regerentur, octoginta simul collectos in Thraciam Præfectus relegavit. Qui dum abducerentur, ma[illegible]imo cultu, & honore affecti sunt; urbes enim, & vici [illegible] rrebant Fidei athletas laudibus celebrantes. Quæ ut novi[illegible] [illegible]erator Valens, Eulogii, Protogenis, aliorumque exilium. Theod. lib. 4. 17.18.

JESU CHR. AN. 371.

lens, binos illos seponi, & alios quidem per Thraciam, alios in finibus Arabiæ, alios per Thebaidis oppida dispergi jussit. Eulogium vero, & Prot[illegible]em in urbem Antinoum relegavit, ubi cum essent, g[illegible]um plurimos ad fidem converterunt.

Protogenes gentiles ad fidem adducit.
Theod. ut sup.

17. Ecclesiasticis etenim conventibus cum Eulogius, & Protogenes interessent, paucitate coeuntium animadversa, ac incolas Ethnicos esse edocti, dolore affecti sunt, infidelitatem eorum deplorantes. Nec tamen dolorem, ac luctum sibi sufficere existimarunt, sed omni cura effecerunt, ut illorum morbum sanarent. Ac divinus quidem Eulogius in cellula inclusus, diu, noctuque universorum Deo supplicabat; admirandus autem Protogenes in sacris Litteris eruditus, locum opportunum nactus, scholam ibi, ac ludum litterarium aperuit, puerorum magister factus, eosque per notarum compendia scribere docuit, ac in divinis eloquiis erudivit. Nam & Davidis cantica eis dictabat, & ex Apostolicis libris ea loca, quæ utilissima ipsis essent, ediscere jubebat. Cumque unus ex adolescentibus morbo correptus esset, ad ejus domum perrexit, & apprehensa ægrotantis manu, morbum oratione fugavit. Quo comperto, cum adolescentum aliquis ægrotaret, continuo in ejus domum Protogenes vocabatur, ut ægrotantibus opem ferre[illegible]: at ille negabat se Deo supplicaturum, ut morbum expelleret, priusquam infirmus Baptismi donum suscepisset. Illi vero libenti animo parebant, utpote qui recuperandæ salutis desiderio flagrarent. Cum vero bene valentibus persuadebat, ut divinam gratiam susciperent, eos protinus ad Eulogium ducebat eumque rogabat, ut cathecumeno manus imponeret, ac ut Christi signo muniret, quod cum aliquando ægre ferret Eulogius eo quod oratio ipsius interrumperetur, ajebat Protogenes, magis necessariam esse errantium [illegible]tem, quam orationem. Omnes porro admirabantur Protoge[illegible] tanta patrantem miracula, & divinæ cognitionis lumen hominibus impertientem, Eulogio tamen primas cedere[illegible] eos, q[illegible]enatus fuerat, ad illum deducere, ac [illegible] sine cau[illegible] conjectabant, longe majorem, ac præstantiorem esse illius virtutem. Sedata autem Valentis persecutione, cum [illegible]patriam rediissent, cuncti eos cum gemitu, & lacrymis c[illegible]erunt, præcipue vero Episcopus illius loci, qui se eorum [illegible]era in agro Domini excolendo destitutum videbat.

Non

Non multo post Eulogius quidem post Barsam Edessenæ Ecclesiæ Episcopus factus est: *Admirandus autem Protogenes excolere jussus est Carras urbem agr[illegible]n, atque horridam*.

Jasu Chr. an. 371.

18. Catholica autem fides tot persecutionibus vexata, facile periisset, nisi divina providentia illustres aliquot viros excitasset, qui ejusdem defensionem susciperent: inter eos Athanasius, & Basilius omnium primi recensentur, quorum pro Dei Ecclesia toleratos labores nemo stylo persequi potest. Quo autem anno Basilius Cæsareæ Episcopus ordinatus fuerit, non una est eruditorum sententia, Baronius, & Bollandus aliique anno 369. id contigisse scribunt, anno 371. Pagius, mediam viam ineunt Petavius, & Tillemontius, quibus & Basilii editor subscribit, ac anno 370. ordinatum dicunt. Pagii sententiam cæteris præferimus, utpote Basilii gestis magis accommodatam, quem anno 380. Episcopatus nono obiisse scimus, ut testes sunt Nissenus, & Nazianzenus, atque his de anno ordinationis ejus prænotatis, quæ ordinationem ejus præcesserunt, videamus. Mortuo itaque Eusebio Cæsariensi Episcopo, Basilius eidem successor datus est, ut mox videbimus. Interea adnotamus hunc Eusebium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, currenti calamo, seu potius errante, cum altero Eusebio Cæsariensi quidem Episcopo, sed in Palæstina, & ob historiam Ecclesiasticam celeberrimo, non sine maximo Chronologiæ, & historiæ errore in unum confudisse Muratorium, ut in Italiæ Annalibus ad annum 370. videre est.

Basilius episcopus ordinatur, quo anno id acciderit. Bar. 369. 41. Dupin. sec. 4. tom. 2. Pag. ad an. 369. Basnag. an. 371. Nissen. vita Macrin. pag. 187. Nazianz. carm. 65. Nazian. orat. in laudem Basilii 20. p. 309.

19. Basilius itaque, qui vivente adhuc Eusebio in Cæsariensis Ecclesiæ gubernatione primas post Episcopum partes gesserat, eo mortuo multo magis sollicitus fuit, ne vacante Sede quidquam damni ea ecclesia pateretur, & ut Eusebio successor daretur, prout & temporis necessitas, & Eccl[illegible] utilitas exigebat, qua de causa Gregorium Nazianzenum Eusebium Samosatenum inter Cappadociæ Episcopos facii principes rogavit, ut quamprimum ad Cæsariensis Episcop[illegible] lectionem properarent. *Ad Metropolitanam [illegible] nos a[illegible] sti*, scribebat Gregorius senior ad Basilium, [illegible] *de [illegible] creando proposita esset consultatio, ac quam speci[illegible] persuadendum apposito prætextu usus es! ægrotare [illegible] fui[illegible] atque extremos spiritus ducere, cupereque nos [illegible] atque extremum alloqui*; cumque jam ad iter se [illegible] Gregorius,

Basilii sollicitudo pro Cæsariensi ecclesia.

[illegible] ep. [illegible] 735.

JESU CHR. AN. 371.

rius, *ut Episcopos Cæsaream concurrere* intellexit, profectionis consilium abrupit, cum omnes Episcoporum conventus, tamquam rixarum & contentionum palæstras refugeret. Hinc ait: *Navigii proram converti, ac proficisci detrectavi*. Absens tamen egit, ut Basilius eligeretur; & ad Cæsarienses inter cætera scripsit: *Quoniam igitur ad d[illegible]iberationem, quam de hac re habetis, nos quoque, ut par [illegible], atque Ecclesiastica regula postulabat, accivistis; at qu[illegible] absentes possumus, conferimus. Et quidem alios quoque apud vos principatu dignos esse confido, utpote in urbe ampli[illegible]ma, atque ita præclare, & ab hujusmodi Præsulibus jam [illegible] gubernata: cæterum ex omnibus, qui apud vos in honore sunt, neminem Deo dilectissimo filio nostro Basilio Presbytero anteferre possum*. Eademque Episcopis, qui Cæsaream ob Episcopi electionem convenerant, clero, monachis, senatorii ordinis viris, ac Cæsariensi populo scripserat, in hæc verba: *Si igitur huic sententiæ assensum fuerit, suffragiumque nostrum adeo sanum, & integrum, unaque cum Deo latum vicerit, & spiritualiter adsum, & adero, immo etiam in eum manum injeci, spiritusque fiducia nitor. Sin autem aliud quidpiam potius quam hoc placeat, & per sodalitia, & cognationes hujusmodi res expendantur, ac promiscua turba judicii sinceritatem rursum convulserit, & distraxerit, seorsum sane id, quod placet, facite, nos autem in[illegible]a nosmetipsos colligemur*. Hactenus ad Cæsarienses Nazianzenus senior. Episcopos vero, qui convenerant Cæsareæ, ut Episcopum ordinarent, ac ut ceteris Basilium præferrent, his verbis hortatus est:

Nazianz. ep. 22. ad Cæsarienses p. 737.

Nazianz. ep. ad episcopos Cæsareæ congregatos epist. 23.

20. *Ad Metropolitanam urbem nos vocastis, de Episco[illegible], ni fallor, consilii aliquid inituri, hoc enim vos in animo [illegible]e sentio. Quid autem ipsi sentiamus, exponemus, alii [illegible] alios eligent, atque in medium proponent, nimirum [illegible]is quisque moribus, aut commodis, quemadmodum in hu[illegible]di rebus accidere consuevit. Nos vero neminem, nec enim [illegible] carissimo filio nostro Basilio compresbytero præferre pos[illegible] Ecq[illegible] enim ex omnibus, quos novimus, vel vita pro[illegible] [illegible]l sermone, ac doctrina valentiorem, magisque ad [illegible] undique perpolitum reperiemus? Quod si [illegible] illius i[illegible]mitatem ostendit, non scilicet Athletam, sed doctorem [illegible]*. Hactenus de Gregorii Nazianzeni sollicitudine,

dine, ut Cæsarienſi eccleſiæ Baſilius præficeretur, cujus extat alia epiſtola ad Euſebium Samoſatenum data, in qua de Cæſarienſis Epiſcopi ordinatione anxium ſe eſſe demonſtrat, eumque hortatur, ut omni depoſita ſegnitie Cæſaream occurrat, & hyemis difficultates antevertat. Alias quoque ea de re epiſtolas ſcripſiſſe Greg[illegible]ium ſeniorem, indicat Gregorius junior: *Litteras ſcribebat*, inquit, *monebat populum, conciliabat Sacerdotes, cum a[illegible] cum eos, qui altaris ſunt obteſtabatur, decernebat, ordinabat etiam abſens*. Quia vero Baſilii ordinationi reſiſtebant Magiſtratus, & infimæ plebis nonnulli, quibus epiſcoporum aliqui ad[illegible] erant, Gregorius ſenior, licet ſenio ægraque valetudine fractus, ac debilitatus eſſet, animamque ageret, iter tamen ingredi non dubitavit, ut calculo ſuo electionem juvaret, & vehiculo non ſecus, ac mortuus feretro impoſitus, juvenis rediit firmus, ac vegetus, ut ait Gregorius junior.

Greg. Naz. orat. 19.

Nazian. orat. 19.

21. Congregatis interea ob Epiſcopi electionem comitiis, pars maxima, obnitentibus licet & adverſantibus Baſilii detractoribus, Baſilium Cæſareæ Epiſcopum elegit, *non id quidem*, ait Gregorius, *citra laborem, nec citra invidiam & dimicationem tum eorum, qui patriam cum imperio adminiſtrabant, tum perditiſſimorum quorumdam hujus urbis civium, qui ab illorum partibus ſtabant; verum fieri aliter non poterat, quin Spiritus Sanctus vinceret, atque adeo abunde vicit &c.* Cumque Baſilium junior Nazianzenus convenire non potuiſſet, *mecum quidem ille expoſtulavit, cæterum veniam dedit*; gratulatorias tamen continuo ad eum litteras dedit: *Poſteaquam te in ſublimi throno collocatum, ac lucernam, ne illam quidem prius obſcure lucentem, a ſpiritu victore ſupra candelabrum oculis omnium expoſitam eſſe intellexi, lætatus ſum, fateor, quidni enim cum Eccleſiæ corpus male affectum eſſe, atque hujuſmodi ductu, & auxilio opus habere conſ[illegible]rem? Non tamen ad te ſtatim advolavi, nec advolabo, ipſe id a me expoſcas velim. Primum ut [illegible] [illegible]nerationem tibi ſartam, tectamque cuſtodiam, [illegible] pr[illegible] quadam, & animi fervore, quemadmodum [illegible] cere queant, tui ſtudioſos colligere videaris. D[illegible] ipſi ſtabilitatem comparem, invidiæque occurra[illegible] [illegible]igitur venies, fortaſſe dixeris, & quamdiu cunct[illegible] Quoad Deus juſſerit, atque eorum, qui nunc inſidiantur, [illegible] invidia* [illegible]

Baſilius Cæſareæ epiſcopus eligitur, & ordinatur. Naz. orat. 20. in laudem Baſilii.

Gregor. epiſt. ad Baſil. n. 24

laborant, umbræ præterierint. Non enim diutius sat scio, leprosi resistent, Davidem Hierosolymis excludentes: epistola vero altera Basilium hortatur, ut magno animo esset, nec molestiis succumberet, promittens se quamprimum adfuturum.

Greg. Naz. orat. 20.

Quanto autem cum honore Gregorium Basilius exceperit, quantave benevolentia tractaverit, ipse Gregorius pluribus narrat in supracitata oratione, quam in Basilii funere habuit, quo loco etiam exponit, quibus artibus adversarios suos Basilius, & obtrectatores sibi conciliaverit, cujus ordinationem decimo octavo Kal. Junii Martyrologium Romanum commemorat. At cum Nazianzenus ad Eusebium Samosatenum scripserit, ut ad ejus electionem veniens, hyemis difficultates anteverteret, vero propius erit, ejusdem ordinationem, aut desinente Septembri, vel Octobri labente peractam fuisse.

Basilii sollicitudo pro Catholica Fide tuenda. *Naz. orat. 20. pag. 312.*

22. Quanta autem fuerit Basilii sollicitudo in tuenda catholica Fide, & pace Ecclesiis procuranda, pluribus persequitur Nazianzenus: *Postquam res ipsius domesticæ ex animi sententia constitutæ sunt*, idest, quæ Cæsariensem Ecclesiam spectabant, *majus quidpiam, & sublimius animo agitare incepit*; ut scilicet non Cæsariensis tantum Ecclesiæ curam gereret, sed qua vi, ac ratione poterat, Ecclesiarum totius Orientis, quæ variis affligebantur morbis, & præcipue Ariana lue; ob eamque causam sui muneris haud satis esse judicavit, si Ecclesiæ calamitates aut tacite tantum deploraret, precibusque Deum exoraret, sed scriptis, & viva voce hæresim confutare, errantesque in veritatis viam revocare, totis viribus conatus est.

Basilii epistolæ ad Athanasium.

23. Quamobrem Athanasium in eo prælio jamdiu exercitatum, & multis victoriis clarum in societatem adscivit; ad quem plurimæ extant epistolæ ea de re scriptæ, quarum prima rogavit, ut ex Ecclesia sua Legatos ad Occidentales E[illegible]scopos mitteret, qui Orientalis Ecclesiæ calamitates expo[illegible]nt, medelamque expostularent:

epist. 66.

Nemini arbitror tantum [illegible]s afferre [illegible]æsentem Ecclesiarum statum, seu potius, ut lo[illegible] [illegible]onfusionem, quantum præstantiæ tuæ, qui com[illegible]iscis præsentia, quantumque hæc ab illis distent, [illegible], [illegible] illud etiam consideras, si res eodem impetu in pejus dil[illegible]tur, nihil prohibiturum, quominus Ecclesiæ brevi in aliam quamdam formam penitus transmutentur &c. Quare post plurima in Athanasii laudem addit: *Mitte aliquos ex sancta*

Eta tua Ecclesia viros in sana doctrina potentes ad Occidentales episcopos: expone illis calamitates, quibus premimur, suggere modum opis ferendæ. Athanasium etiam rogat, ut Antiochenæ Ecclesiæ diro schismate laboranti opem ferret. Basilii epistolam Dorotheus Diaconus Athanasio detulit, ad quem mox aliam ejusdem Dorothei hortatu dedit, qua Athanasium rogat, ut Meletium potius, quam Paulinum communionis suæ participem faceret: *Mihi quidem satis esse videbatur in prioribus epistolis præstantiæ tuæ tantum indicare, quidquid ex sanctæ Ecclesiæ Antiochenæ populo in fide firmum est, in unam concordiam, & unitatem adducendum esse; id inquam satis esse videbatur, ut demonstrarem religiosissimo Episcopo Meletio oportere, quæ in plures partes nunc divisa sunt, adjungere. Sed quia idem ille dilectus Condiaconus noster Dorotheus clariorem de his mentionem postulavit, necessario testamur & universo Orienti in votis esse, & a nobis Meletio omnimode conjunctis expeti, ut eum videamus ecclesiam Domini gubernantem, virum & fide inculpatum, & tum vita nullum cum aliis comparationi locum relinquentem, tum quod ipse universo, ut ita dicam, corpori Ecclesiæ præsit, reliqua vero sint, velut partium segmenta. Quare undique necessarium simul, & utile huic viro conjungi alios, velut fluminibus magnis minora, circa alios autem aliquod temperamentum adhiberi, quod & illis conveniat, & pacificet populum, & prudentiæ tuæ, ac perquam celebri solertiæ, studioque competat. Cæterum eximiam tuam prudentiam nullo modo latet, eadem jam & unanimibus tuis Occidentalibus placuisse, ut ostendunt litteræ per beatum Silvanum nobis allatæ.*

Basil. epist. 67.

24. Ad Meletium quoque Antiochenum Episcopum eodem tempore, eademque de re scripsit Basilius, ac Dorotheum Diaconum harum litterarum latorem, Romam mittendum esse suggerebat, ut cum Occidentalibus ageret: *Hactenus quidem*, inquit, *voluimus retinere apud nos religiosissimum fratrem Dorotheum Condiaconum, ut eum sub finem negotiorum dimittentes singulas res gestas præstantiæ tuæ per ipsum significaremus*. Rerum tamen summam in eo positam subdit, ut idem Dorotheus *Romam proficiscatur, excitetque aliquos ex Italia, qui nos invisant, mari utentes, ut interpellatores devitent. Animadverti enim eos, qui apud Imperat[illegible] potentes*

Aliæ Basilii epist. ad Meletium, & alios.

Basil. epist. ad Meletium n. 66.

sunt,

JESU CHR. AN. 371. *sunt, neque posse illum de exulibus submonere, sed quod nihil pejus in ecclesiis fieri videant, id pro lucro ducere*. Hactenus de legatione ad Occidentales mittenda Basilius.

Basilii aliae epistolae ad Athanasium. *Basilii ep.69.*

25. Athanasius vero, his Basilii epistolis acceptis eidem rescribens, Dorotheum una cum Petro Ecclesiae suae presbytero legatos in Occidentem se destinasse narrabat, quibus acceptis ad Athanasium alteram Basilius epistolam scripsit, consilium, sollicitudinemque ejus pro Ecclesiarum pace firmanda mirifice, multisque verbis commendans, sibique id etiam placere addit, ut ad Romanum Pontificem nominatim scriberetur, ut *ipse hoc negotium suo marte aggrediatur, eligens homines idoneos ad perferendos itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate, ac animi constantia corrigendos, apte & attemperate utentes sermone, secumque habentes quaecumque post Ariminense Concilium gesta sunt, ad eorum quae per vim illic acta fuerant dissolutionem, iique nemine sciente citra strepitum per mare huc adveniant, ut opinionem inimicorum pacis praevertant*. Deinde Athanasium admonet, exoptare se, ut una cum Ario etiam Marcellus Ancyrae Episcopus ab Occidentalibus condemnetur, ac ut cito Dorotheum ad se remitteret rogat, *ut possit saltem anno sequenti aliquid eorum, quae precamur, perfici*, idest legationem ad occidentales suscipere, sed de his, deque Basilii litteris ad Damasum Romanum Pontificem anno sequenti.

Basilii epist. ad Eusebium Samosat. *Basilii ep.48.*

26. Ad Eusebium quoque Samosatenum Episcopum Episcopatus sui initio litteras Basilius dedit, quibus Demophilum jamdudum Constantinopolitanam sedem tenere significabat, quem *simulacrum quoddam rectae Fidei, & pietatis perferre* tradit, *itaut etiam diffidentes partes coaluerint in unum, atque ex vicinis Episcopis nonnulli conjunctionem amplexi sint*. Cappadociae deinde Episcopos sibi adversari subdit, atque utrum ab improbitate *discessuri sint, nemini nisi Deo compertum esse*. Tandem Eusebium rogat, ut ecclesiam suam visitare dignetur.

Aliae Basilii epistolae, & leges latae pro disciplina instauranda. *Epist. 49. 50. 56.*

27. Ad ejusdem etiam episcopatus initia spectant aliae Basilii epistolae, quibus iis, qui gratulandi, aut exortandi causa scripserant, respondet, ut Arcadio, & Innocentio in Cappadocia Episcopis. Pergamio item, cum quo se excusat, quod aliis nego[tii]s distentus, epistolis suis ex oblivione responsum non

non dederit, ad Bosphorium Episcopum, & ad Canonicas, seu Virgines sub regula viventes scripsit, quibus præter salutis monita, de Consubstantialis voce multa disserit. Graviora adhuc sunt, quæ episcopatus initio pro Ecclesiæ disciplina servanda, bonisque moribus promovendis gessit. Inter cætera, cum ei perlatum fuisset, Episcopos aliquot, aut Corepiscopos pecuniam, aut munera pro ordinum collatione accipere, neque id vitio sibi vertere, eo quod non ante, sed post ordinationem acciperent, gravissima epistola eosdem monet, ne id ultra agerent, alioquin excommunicationem minatur. Post plurima de vana peccati excusatione: *Quale autem sit artificium, dicam. Putant, se ideo non peccare, quod non ante accipiant, sed post ordinationem accipiant, accipere autem est quandocumque accipere. Itaque, si quis post hanc meam epistolam tale aliquid admiserit, ab his quidem, qui hic sunt altaribus secedet; quærant autem ubi Dei donum ementes, denuo divendere queant.* JESU CHR. AN. 371.

28. Epistola altera ad Corepiscopos, qua forma admittendi essent ii, qui Clero inscribi cupiebant, edocet, variosque abusus in ea re introductos tollit: *Permolestum mihi est*, inquit, *quod jam canones Patrum discesserint, ac disciplina omnis ecclesiis abacta sit, & timeo, ne paulatim, hac indifferentia progrediente, res ecclesiasticæ in summam confusionem delabantur.* Antiqua etenim consuetudo exigebat, ut Ecclesiæ ministri summa diligentia probarentur, qua fiebat, ut in omnem eorum vitam sedulo inquireretur, ne maledici, aut ebriosi, aut litigiosi in clerum admitterentur; Presbyteri autem & Diaconi, bonæ sanctæque conversationis suffragium ad Chorepiscopos ferebant, ii autem ad Episcopos referebant: *Nunc autem*, ait Basilius, *primum quidem nos excludentes, ac ne referre quidem ad nos dignati, omnem in vosmetipsos auctoritatem transtulistis, deinde rem negligentes Presbyteris, & Diaconis permisistis, ut quos vellent, vita non examinata, secundum animi affectionem, aut ex consanguinitate ortam, aut ex alia aliqua amicitia, in Ecclesiam indignos introducerent.* Quapropter multos quidem ministros in unoquoque pago esse, ac vix dignum inveniri adnotat, quapropter cujusque oppidi catalogum ministrorum, & a quo quisque probatus esset, & quæ cuiuslibet vivendi ratio esset, ut sibi mitteretur, jubet, & ne in posterum quisquam in clerum, nisi a se probatum admit- Basilii leges pro Clericorum electione epist. 54.

JESU CHR. AN. 371. mitteretur, jubet, alioquin laicum futurum addit, qui fine suo judicio in ministerium admissus fuisset.

Clericos cum mulieribus habitare vetat.

29. Insuper, ut omnem incontinentiæ suspicionem a clero suo removeret, initio Episcopatus sui extraneas mulieres cum clericis habitare prohibuit. Cumque Paregorius quidam presbyter mulierem e domo sua non dimisisset, ac excusationem, ob longævam ætatem (septuaginta scilicet annorum erat) postulasset a Basilio, hujuscemodi dispensationem, non sine stomacho, ac indignatione negavit, præcepitque ut omnino mulierem e domo dimitteret, ni excommunicari vellet, hac gravissima data epistola: *Legi tuas litteras cum omni patientia, sumque admiratus, cur cum possis apud nos breviter, & facile factis tuis causam agere, in rebus reprehensis persistere velis, ac longis sermonibus curare tentes insanabilia. Nec primi, nec soli Paregori sancivimus, ut ne una cum viris habitarent mulieres. Sed lege canonem a sanctis nostris Patribus editum in synodo Nicæna, quæ manifeste sancivit extraneas mulieres non esse.* Quare post multa *præcipimus*, inquit, *sanctorum Patrum decretum sequentes, ut a muliercula separeris. Quid igitur Corepiscopum incusas, & veteris inimicitiæ facis mentionem? Quid de nobis quereris, quod faciles calumniis aures præbeamus, ac non potius de te ipso, qui adduci non potes, ut a mulieris consuetudine recedas? Ejice igitur illam ex tuis ædibus, & in monasterio constitue. Sit illa cum virginibus, & apud te serviant viri, ut ne Dei nomen propter vos blasphemetur. Hæc donec feceris, innumerabilia, quæ per epistolas scribis, nihil te juvabunt, sed morieris otiosus, ac reddes Domino rationem otii tui. Quod si ausus fueris citra emendationem sacerdotium tibi vindicare, anathema eris omni populo, & qui te receperint, excommunicati per omnem Ecclesiam erunt.* Hæc Basilius ad Paregorium, quibus quæ quantave esset ejus in tuenda Ecclesiæ disciplina, morumque sanctitate sollicitudo, manifeste demonstrat.

Basil. epist. 55

Illicita conjugia Basilius vetat. epist. 160. n. 1.

30. Episcopatus sui initio conjugia cum sorore uxoris defunctæ prohibuerat Basilius; post annos aliquot hanc Basilii legem violare quidam præsumpserat. At Basilius decretum suum epistola ad Diodorum data, confirmare curavit: *Interrogatus ab aliquo*, inquit, *an sibi liceret mortuæ uxoris sororem in matrimonium ducere, interrogationem non exhorruit, sed*

sed placide etiam audivit, ac lasciviam libidinem fortiter prorsus ac pugnaciter adjuvit, & contra nos, qui ab initio id prohibuimus, velut trophæum quoddam circumtulit, licentiam se habere dictitans scripto mandatam, quod falsum esse Basilius testatur, multaque in ejusdem rei detestationem addit. Sed hactenus dicta sufficiant de Basilii cura in vitiis ab ecclesia sua extirpandis, morumque sanctitate procuranda, ut ejusdem epistolæ testantur, consulto tamen multa præterimus, potiora adnotare contenti.

Athanasius Libiæ Ducem communione privat.

31. Eamdem cum Basilio pro Ecclesia sollicitudinem Athanasius gerebat, in procuranda Orientalibus ecclesiis pace Basilio socius, ut supra diximus, & in corrigendis improbis perditorum hominum moribus Basilio simillimus. Inter cætera, cum Libyæ Præfectus crudelitate, & lascivia insaniret, impurum hominem, & putridum Ecclesiæ membrum communione interdixit, missisque ubique litteris, hominis scelera pœnamque iis debitam vulgavit; eas ut accepit Basilius, Athanasii sententiæ subscripsit: *Legi sanctitatis tuæ litteras*, ad Athanasium scribebat, *in quibus adversus Libyæ Ducem hominem nefandum ingemuisti. Ac deflevimus quidem patriam nostram, quod talium malorum mater sit & nutrix*, eo quod in Cappadocia ortum habuisset; *deflevimus quoque Lybiam regioni vestræ vicinam, malorum nostrorum participem, ac moribus feriuis traditam hominis crudeliter simul, & flagitiose viventis*, seque eum uti excommunicatum in ecclesiis suis denunciasse testatur, ita ut suorum nemo, non ignem, non aquam, non tectum cum eo commune haberet, epistolis vero ea de causa datis: *Non intermittemus*, inquit, *omnibus ejus, & propinquis, & amicis, & hospitibus ostendere*.

Basilii ep. 61.

Hilarionis gesta, miracula, & obitus.

32. Hoc anno Hilarion monachorum celeberrimus, cum annum ageret octuagesimum, sanctitate & miraculorum gloria illustris, ad cælestia regna transivit. *Is in vico Tabatha ortus, qui circiter quinque millia a Gaza urbe Palæstinæ ad Austrum situs est*, anno ducentesimo nonagesimo primo ex parentibus Ethnicis genitus Alexandriæ liberalibus disciplinis operam dederat. Eodemque tempore perfectioris vitæ desiderio inflammatus, Antonium monachorum patrem adiit, ut monasticam disciplinam disceret, in patriam vero [illegible] paternam hæreditatem pauperibus distribuit, ac anno [illegible] le-

Hieronymus [illegible] Hilarionis vi- tom. 2. edit. Veron.

ins

Jesu Chr. an. 371. Hieronym. ut sup.

cim natus in solitudinem secessit, septimo a Majuma milliario, ibique pellicea indutus veste, orationibus, & jejuniis intentus longo tempore perseveravit: *A vigesimo primo ætatis suæ anno usque ad vigesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum sale, & aqua, a vigesimo septimo usque ad trigesimum herbis agrestibus, & virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A trigesimo autem primo usque ad trigesimum quintum sex uncias hordeacei panis, & coctum modice olus absque oleo id cibo habuit.* Primus in Syria monasteria posuit. *Nec dum tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachos ante Sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator, & eruditor hujus conversationis, & studii*, ait Hieronymus, qui multa miracula ab eo tunc patrata narrat, ac inter cætera, quod Gazenses Christi virtutem confiteri docuerit.

Hilarionis precibus Christi virtus enituit.

33. Cum etenim Italicus quidam Gazensis civis & christianus Circensem equorum ludum edere cogeretur, ex adverso autem Ethnicus, alter Gazensis civis suos equos immittere & agitare deberet, maleficum Ethnicus advocavit, ut dœmoniacis incantationibus ad cursum suos incitaret equos, Christianus e contra virum sanctum adiit, non tam adversarium lædi, quam se defendi, obsecrans. Ludicra quidem res sancto viro visa est, ac subridens christiano viro dixit: *Cur non magis equorum pretium pro salute animæ tuæ pauperibus erogas?* Ille vero functionem publicam dixit necessario sibi impositam. Quare vir sanctus scyphum fictilem, quo bibere consueverat, aqua jussit impleri, eique tradi: quem cum accepisset Italicus, & stabulum, & equos & aurigas suos cum Rheda aspersit. Mira interea vulgi, omniumque Gazeorum expectatio; quis in certamine victor futurus esset; at dato signo, Christtim virtus enituit, nam Italici equi non currere, sed advolare visi sunt, ita ut vel ipsi Ethnici exclamare cogerentur: *Marnas victus a Christo est*. Inde tamen tanto odio Hilarionem Gazenses prosecuti sunt, ut Juliano Imperante eidem mortem intentaverint, ut pluribus narrat Hieronymus.

Hilarion Cyprum, deinde in Siciliam transit. Sozom. li. 5. c. 10.

34. Hilarion interea, cum in ea, ob miraculorum frequentia celebritate esset, ut latere vix posset, in Occidente peregrinari statuit, ac in Siciliam transiit, ut si fieri posset soli Deo notus viveret; non multo tamen post qualis

lis, quantusque esset innotuit. Cum etenim virum quemdam a Dœmone vexatum ibidem liberasset, qu [illegible]ram, quantæque virtutis esset cunctis patuit. Quamobrem Hilarion cito inde discessit, ac Cyprum navigans, Paphum appulit, exceptusque a Cypriorum Episcopo, ibi degere constituit, juxta locum, qui Charburis dicebatur. JESU CHR. AN. 371.

35. Tantæ quippe humilitatis erat Hilarion, ut cum adhuc in Palæstina esset, sciens, se apud homines in maxima veneratione esse, *anno sexagesimo tertio vitæ suæ, flebat quotidie*, ait Hieronymus; *interrogatus a fratribus, quid haberet, cur se conficeret?* respondit: *Rursus ad sæculum redii, & recepi mercedem in vita mea; en homines Palæstinæ existimant, me esse alicujus momenti.* Interea cum annos octoginta vixisset, hoc anno obiit, Aesichium inter discipulos carissimum hæredem relinquens; tota hæreditas *Evangelium* erat *& tunica saccea, cuculla, & palliolum.* Morti autem proximus: *Egredere*, ajebat, *quid times, egredere anima, quid dubitas, septuaginta pene annos servisti Christo, & mortem times; atque hæc dicens animam exhalavit.*

Hilarion hominum plausus fugit. *Hieronym. ut supra.*

36. Hilarionis gesta Epiphanius, qui cum eo vixerat, primus narravit, sed cum jejune nimis id fecisset, Hieronymus fusiori stylo ejus gesta, & miracula prosequutus est, apud quem cetera videri possunt.

Hieronym. vit. Hilarion. in principio.

JESU CHRISTI AN. 372. DAMASI PAPÆ 7.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 9. GRATIANI IMP. 6.
COSS. MODESTO, ET ARINTHEO.
OLYMP. 287. AN. 4. URBIS AN. 1125.

1. Hujus anni consules Modestus, & Arintheus, pietate, & religione inter se dissidebant, nam primus, idest Modestus Præfectus Prætorii Orientis utpote Arianus, in vastandis Ecclesiis Valenti præcipuus administer erat; alter ro ob Armeniam a Persarum incursionibus defensam, non [illegible] lum illustris, unde Ammianus: *Armenia omni [illegible]eriisset, ni propugnatoris Arinthei adventu territi Persæ [illegible] incursare destitissent*; sed etiam Catholicæ Fidei professione celebrior, ad quem extat Basilii epistola, qua eidem virum quemdam gravi calumnia oppressum commendat, eumdemque multis e-

De Modesto, & Arintheo Consulibus.

Ammian. lib. 27. in fine.

Jesu Chr. An. 372. epist. 279.

xornat laudibus in epistola consolatoria post ejus obitum ad Arinthei viduam, qua inter cætera: *Me vero tristitia singulari implevit ejus obitus, tum honores, quos mihi privatim habuit considerantem, tum commune Ecclesiarum Dei patrocinium*, eamque hortatur, ut gravem casum, & viduitatem cum humilitate, & patientia perferat, additque Arintheum in vitæ exitu, uxore hortante, totius vitæ maculas salutari Lavacro absterfisse: *Abiit splendidum nactus exitum, non senio fractus, claritate nihil imminuta, magnus in præsenti vita, magnus etiam in futura, nec ex præsenti splendore detrimentum ullum passus expectatæ gloriæ, eo quod omnem animæ maculam in ipso vitæ exitu Lavacro regenerationis repurgaverit. Quorum illi consiliatrix cum fueris, & adjutrix, maximum habe solatium &c.*

Valens iterum Basilium expugnare tentat. Nazian. orat. 20. p. 305.

2. Bis cum Valente Imperatore, pro tuenda catholica Fide certasse Basilium, ex Nazianzeno scimus; primum cum adhuc Presbyter esset anno 364., aut 365., ut jam adnotavimus, quo tempore cum Cæsarea abesset, eodem Nazianzeno hortante, ad pugnandum pro Fide se Eusebio episcopo Cæsariensi adjunxit: at hæc levior pugna, ac velitatio quædam fuit, nam re infecta tunc Valens discessit. Gravior autem hæc altera concertatio fuit, quam cum Valente Imp. hoc anno Basilius habuit. Cum etenim adversus Ecclesiam fremens Modestus Cæsaream pervenisset, atque ad se Basilium vocasset, ad illum conversus: *Heus tu*, inquit, nondum enim eum Episcopum vocare dignabatur, *ut tanto Imperatori obsistere audeas, solusque omnium contumaciter te geras?* Basilius vero: *Quorsum hæc oratio spectat, & quænam hæc contumacia, & arrogantia? nondum enim id satis intelligo.* At ille, *Imperatoris religionem minime colis.* Deinde: *Age vero*, inquit Modestus, *non magnum, & honorificum existimas ad nostras partes adjungi, sociosque nos habere?* At Basilius: *Vos quidem Præfecti estis, & quidem illustres, non inficias eo; minime tamen Deo præstantiores.*

Basilius Modesti minas aspernatur.

3. His, aliisque a Basilio dictis, commotus Præfectus; ac majori ira succensus, de subsellio surgens asperioribus verbis cum eo agere cœpit addens: *Quid? potestatem hanc non pertimescis? Cur pertimescam?* inquit Basilius. *Quid fiet? quid pa-*

patiar? Quid patieris? intulit ille. *Unum e tam multis, quæ meæ sunt potestatis. Quænam hæc?* subjunxit Basilius. *Bonorum, inquit ille, proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem.* Tum Basilius: *Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Quoniam* subdidit Basilius, *Bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet, nisi forte laceris, & detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates, & copiæ sunt. Exilium autem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco, imo ut rectius loquar, universam terram Dei esse scio, cujus advena ego sum, & peregrinus. Jam tormenta quid accipere queam, cum corpus desit, nisi forte primam plagam dixeris: hujus enim solius penes te arbitrium, & potestas est. Mors porro beneficii mihi loco erit, citius enim me ad Deum transmittes, cui vivo, & munere meo fungor: maximaque ex parte mortem obii, & ad quem jampridem propero.* Tam libero sermone, invictaque constantia obstupefactus Præfectus: *Nemo*, inquit, *me ad hunc usque diem ita est allocutus, nec pari verborum libertate.* Basilius vero: Nunquam fortasse in Episcopum incidisti; alioqui hoc prorsus modo disseruisset, pro hujusmodi rebus in certamen veniens. Post plurima utrinque dicta, obstupefactus Modestus Basilium dimisit, non jam cum ira, sed cum quadam reverentia, & admiratione, ac Imperatorem adiens: *Imperator*, inquit, *ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus, minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditiis fortior.* Valens vero Imp. factum suum improbans, Basilio vim inferri noluit. *Theodor. lib. 4. 19.*

4. Cum e pugna victor discessisset Basilius, paulo post cum Demosthene quodam coquorum principe certamen inire coactus est, ut pluribus in vita Basilii narrat Nissenus. Sed de his Theodoretum audire præstat: *Cum Basilium intra sacra [illegible] la, ubi ipse sedebat, accedere jussisset, multa ad illum verba fecit de recta Fidei doctrina, eumque V[illegible]lens libenter auscultavit. Aderat tum quidam nomine Demosthenes Castrensis sacri palatii, qui cum Magistrum Orbis terrarum objurgaret barbarismum admisit.* Quam ob causam subridens Basilius: *Vidimus*, inquit, *Demosthenem litterarum expertem.* Cumque ille vehementius indignatus minaretur, [illegible]jecit. *Tuum*

Demosthenes coquorum princeps Ba[illegible]n aggre[illegible]r. [illegible]en. vita [illegible]sil. Theodor.

Jesu Chr. an. 372. *Tuum munus est jusculorum condimenta curare*. Valens vero Basilii constantiam admiratus, pulcherrima, quæ illic habebat prædia, pauperibus qui ab ecclesia Cæsariensi, & Basilii industria sustentabantur, donavit. Sicque Imperatoris impetum evasit.

Valens in ecclesia deliquium patitur ac dona affert. Nazianz. ut sup. pag. 317.

5. His gestis, Valens cum Basilio aliquatenus reconciliari cupiens, dum sacra Basilius celebraret, in templum ingressus est (erat autem Epiphaniæ dies), ubi cum esset, ejusque aures Psalmorum cantus personuisset, plebis multitudinem videns, omnemque ministrorum ordinem, ac Basilium ipsum divinis rebus ita intentum, ut Angeli magis quam hominis imaginem referret, ita in admirationem se rapi visus est, ut pene viribus, menteque deficeret. Hinc in sanctuarium ingressus ut dona afferret: *Ita titubare cœpit, ut nisi quispiam ex sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique & luctuose prolapsurus fuerit*, ait Nazianzenus. Communionis tamen participem tunc fuisse Valentem, nec Nazianzenus, aut alius quisquam commemorat; quem etsi ad altare dona ferentem non repulit Basilius, ut alias cum Constantio Imperatore Liberium fecisse scimus, ignaviæ, aut crimini adscribi non debet, cum utriusque diversa omnino esset agendi ratio; nam Constantius, dum ea dona Liberio obtulit, totus in eo erat, ut eumdem a catholica Fide revocaret, Valens e contra Basilium sibi propitium reddere curabat, quare die altera iterum ecclesiam ingressus, ac intra sacra vela a Basilio admissus, cum eo de catholicæ Fidei veritate diu multumque disseruit, ut narrat Nazianzenus, qui & subdit, Basilii oratione Valentem placatum adeo fuisse, ut posthac mitius cum Catholicis egerit. At sicuti etsi igne emolliatur ferrum, ferri nihilominus naturam duritiamque retinet, ita etsi Basilii constantia, & sermonibus placatus, a persecutione in Catholicos aliquandiu cessaverit, paulo post tamen in idem recidit, cujus primos, præcipuosque impetus, idem ipse Basilius sustinuit.

Basilio exilium decernitur.

6. *Vincebant improbi*, idest Ariani, inquit Nazianzenus *atque adversus Basilium exilium decernitur, nec quidquam eorum, quæ ad eam rem attinebant, desiderabantur, nox aderat, in promptu cursus, in plausu hostes, in planctu pii, nos parati, atque balacris viatoris latus cingebamus, quin tamen hæc ad exitum perducerentur, restitit Deus*. Nam qui

Nazianz. ut sup. pag. 318.

Ægypti

Ægypti adversus Israelitas sævientis primogenitos percussit, idem Imperatoris filium morbi plaga affecit, ita ut eodem tempore: *Illinc exilii tabulæ, hinc morbi decretum, ac scelerati scriptoris manus inibetur, & Sanctus periculo liberatur.* Cum autem Valentis filio nulla medicorum sollicitudo, aut medicina prodesset, ad Basilii fidem confugit Valens, & quoniam ob contumeliam recens illatam, eum suo nomine accersere non auderet; aliis, quos arctissima familiaritate, & benevolentia devinctos habebat, hanc legationem committit. Ille vero nihil cunctatus, confestim adfuit, eoque præsente statim levior fit morbus, paterque meliorem spem animo concepit, & nisi *falsam aquam dulci admiscuisset, simul videlicet & ipsum advocans, & hæreticis credens, sanum quoque & incolumem filium fortasse recepisset*, ait Nazianzenus de obitu Valentiniani Valentis filii, qui Galates dictus est, natus anno 366. ut suo loco adnotavimus, eademque Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 372.

Socrat. lib. 4. 26. Sozom. lib. 6. 16. Theodor lib. 4. 19.

7. Ephrem vero Edessenæ ecclesiæ diaconus in eamdem rem addit Valentem exilii sententiam nequaquam subscribere potuisse tribus ad id adhibitis calamis, nam aut atramentum negarunt, aut confracti sunt, unde ajebat: *Tres Consubstantialitatem Trinitatis prædicanti patrocinati sunt, manus ad sententiam proferendam accelerabat, & calami illam injustam demonstrarunt, manus ad improbum exilii decretum scribendum festinabat, & calami festinationem inanem, ac studium retardabant &c.* Theodoretus etiam: *Valens*, ait, *priorum oblitus, quippe mens ejus a seductoribus obsessa tenebatur, Basilium denuo hortatus est, ut adversariorum partibus sese adjungeret. Cumque persuadere ei non potuisset, præceptum de exilio scribi jussit. Quod manus propriæ subscriptione firmare conatus, nullius litteræ apicem potuit exarare, calamus enim contritus est. Cumque secundo, ac tertio calamo idem contigisset, & nihilominus Valens impium illud præceptum confirmare niteretur, dextra subito concuti tremore cœpit. Cumque animi terrore, ac metu perculsus esset, utraque manu chartam dilaceravit.* Modestus vero Præfectus Prætorio, qui Catholicos hactenus Valentis jussu vexaverat, quique Basilio, ut vidimus, minas injuriasque intulerat, paulo post Dei vindictam expertus est: *Nam hunc quoque morbus quispiam*, ait Nazianzenus,

Valens sententiam adversus Basilium subscribere prohibetur *Cotel. monum. eccl. Græcæ tom. 3. pag.*

Theodorit. 4. 19.

viri sancti manibus substernit. Cum etenim ægrotaret, ac distorqueretur, accersito Basilio rogavit, ut sanitatem reciperet, quam cum consecutus esset, Sancti Viri virtutes admirari, ac prædicare non destitit.

Basilium vexat Ponti Vicarius. *Basil. vita pag 143. Nazian. orat. 10. p. 319.*

8. Qua constantia coram Valente, ejusque Præfectis Modesto, & Demosthene pro catholica Fide certaverat Basilius, eadem fere pro justitia, & Ecclesiæ immunitate coram Ponti Vicario pugnavit, cui fortiter pro Domo Dei in faciem restitit, ut idem narrat Nazianzenus: *Is, qui nefarium illum Adad adversus Israelem olim excitavit, idem contra hunc quoque*, idest Basilium, *Ponticæ Provinciæ Præfectum excitavit*; qui quidem quasi adversus mulierem quamdam irasceretur, quæ ad Basilii, & Ecclesiæ tutelam confugerat, cujuscumque generis contumelias, & ludibria Basilio intulit. Rem gestam paucis complectimur. Mulieri cuidam nobili genere natæ, cujus maritus haud pridem defunctus erat, Judicis assessor vim afferebat, invitamque ad nuptias pertrahebat. Illa autem, cum nulla ratione impurum hominem vincere posset, consilium capit prudentiæ plenum. Ad sacram etenim mensam confugit, Deumque adversus hanc injuriam propugnatorem sibi adoptat. Adsessor vero urgere cœpit, ut eam sibi traderet, aut vi abducendam permitteret, cui cum totis viribus restitisset Basilius, eamque omni cura tueretur, omnia pati paratus, quam muneri suo deesse, Judex in furorem actus, apparitores misit, qui ignominiæ causa Basilii domum scrutarentur, quasi mulierem luxuriæ causa apud se retineret.

Basilius coram Præside sistitur.

9. Post hæc Basilium ad tribunal perduci, & causam dicere jussit, tantaque cum eo arrogantia egit, non aliter ac si Basilius maleficus quidam, aut homicida capite damnandus fuisset. Hinc judex pro tribunali sedens Basilium stare, ac pallium exuere jussit, tanquam ungulis laniandum; at suam Basilius constantiam, fiduciamque retinens: *Hujusmodi*, inquit, *riatione medicinam hepati afferes magnopere, ut vides, me rementis*. Dum vero hæc tragœdia ageretur, rerum facies, ac scena continuo mutata est, nam qui hactenus furens, ac minitabundus Basilio insultaverat, eidem repente factus est supplex. Ut enim Cæsariensibus Basilium in periculo esse innotuit, tota repente civitas commota est, atque in Pastoris sui defensionem armata; ita ut armorum opifices, ac textores,

utpo-

utpote cæteris ferventiores, atque ad audendum quidlibet paratiores, concursu facto viri ac mulieres, gladiis, fustibus, saxisque armati, sceleratum Præsidem aggressi, maximum pietatis officium esse unusquisque putabat, si eodem momento temporis in frusta discerpsissent. Quamobrem iniquus Præses temeritate audaciaque deposita, ab uno Basilio salutem incolumitatemque deprecabatur. Is vero in conspectum plebis prodiens, iram furoremque repressit, ac Judicem periculo eripuit, ut pluribus narrat Nazianzenus.

Macedonianæ hæresis initia & progressus.

10. Cum pro catholica fide, & justitia adversus Imperatorem, & Præsides certaret Basilius, ejusdem de Spiritus Sancti Divinitate fides apud nonnullos suspecta redditur. Hujus impietatis auctorem Macedonium Constantinopolitanum Episcopum fuisse, in synodo ibidem anno 360. episcopatu abdicatum, testantur Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, quæ etiam ab ipso nomen accepit; diu tamen, idest ab anno 360. quo Macedonius Constantinopolitana sede pulsus est, usque ad Episcopatum S. Basilii, & ad annum 370. circiter, tanquam in herba serpens latuit, unde cum a Serapione Thmuitano audisset Athanasius circa annum 360., nonnullos esse, qui Arianam quidem hæresim detestarentur, atque Dei Filium Patri Consubstantialem prædicarent; at de Spiritu Sancto, ita perverse sentirent, ut non modo rem creatam dicerent, sed unum tantum ex spiritibus Angelicis, soloque gradu ab iis differre; permoleste quidem rem Athanasius tulit, & ad Serapionem quatuor epistolas dedit, quibus multa de Spiritus Sancti divinitate disserit, & innumeris Scripturæ locis Macedonianam hæresim confutat, quæ adhuc clanculum inter paucos serpebat. Unde cum adversus Eunomium scriberet Basilius circa annum 365., tanquam inauditæ impietatis eum arguebat, eo quod Spiritum Sanctum creaturam dixisset: *Primus ergo*, ajebat, *illorum qui veritatem adorti sunt, ex quo pietatis prædicatio divulgata est, hanc de Spiritu vocem emittere ausus, Etenim qui Spiritum Sanctum creaturam appellarit, neminem audivimus ad hodiernum usque diem, neque* [illegible] *quos reliquere libris hanc appellationem invenimus*, [illegible] Basilius Eucumachorum hæresim aperte refellens, ac detestans.

Socrat. lib. 2. 45. Sozomenus 4. 27. Theod. hist. eccles. li. 2. 6. het. lib. hæret. fabul. lib. 4. 5.

Athan. tom. 1. par. 2. p. 648.

Basilius advers. Eunomium li. pa. 70.

Basilii fides suspecta redditur.

11. Inter hæc etsi inter se dissiderent An[illegible] seu Ariani, & Pneumathomachi, seu Macedoniani, c[illegible] [illegible]ii Filii Dei Divinitatem, alii Spiritus Sancti negarent, in eo nihilominus

JESU CHR. AN. 372. minus (ut hæreticis omnibus familiare est) conveniebant, ut adversus catholicam Ecclesiam junctis viribus pugnarent, ac catholicæ Fidei propugnatores insectarentur. Inter eos Basilius eminebat, in quem utriusque sectæ tela conversa erant, ut eum sede sua dejicerent, ut Cæsariensi Ecclesia totius Cappadociæ metropoli occupata, totam deinde provinciam ea peste inficerent: qua de causa Basilius, cui adversariorum consilia patebant, quique non minus fortiter pro rerum circumstantiis, quam prudenter pro veritate certabat, ut inimicorum insidias vitaret, de Spiritu Sancto loquens, eumdem Deum dicere aliquandiu se abstinuit, muneri suo satis esse putans, si palam, & publice adductis Scripturæ testimoniis, catholicam Fidem, ac individuæ Trinitatis divinitatem prædicaret. Eamdem loquendi æconomiam cum tenuisset in sermone, quem in Festo S. Eupsychii habuit, die septima Septembris, catholici, qui ad diem festum convenerant, quique ferventiores erant, quam res, aut ratio postularet, scandalizati sunt, atque Basilii fidem suspectam habere, & palam traducere non dubitarunt, ut Nazianzenus ad Basilium scribens narrat. Inter cetera cum ad epulum accumberet Nazianzenus, & cum eo permulti clarissimi viri, ac de Gregorio, & Basilio sermo incidisset, ac ambo certatim laudarentur, vir quidam pietatis nomen, habitumque præseferens, indigne id tulit, ac *quidnam hoc est*, inquit exclamans? Cætera quidem laudentur si lubet, nihil repugno: verum quod maximum est, Orthoxiæ nomine frustra laudatur Gregorius, *frustra* Basilius. Ille *quia sermonibus suis veritatem prodit; hic, quia patientia sua eamdem simul prodit. Huic ego, unde hoc, o homo vane, atque arrogantiæ nomine nove Dathan, & Abiron? Unde nobis dogmatum promulgator venis? Siccine tantarum rerum judicem te ipsum efficies?* Tum ille, ex Eupsychii mar[illegible]ris festo nunc venio, ac Basilium quidem de Patre, & Filio [illegible]ime, & perfectissime differentem audivi, subdit, non ita[illegible]amen de Spi[illegible]tu Sancto, quem œconomia quadam, seu potius veritat[illegible]ratione Deum aperte dicere ausus non fuerat. His plurima, [illegible] sine irati animi indicio addidit adversus Bas[illegible]um absentem, æque ac Nazianzenum præsentem; contra pr[illegible], eo quod in rebus, quæ ad fidem pertinebant, simu[illegible]eretur, adversus Gregorium vero, eo quod amicu[illegible] veritati præferret, ejusque agendi rationem non solum ex-

Nazian. epist. ad Basil. n. 26

excusaret, sed etiam probaret, ut epistola eadem ad Basilium data pluribus narrat Nazianzenus.

12. Ut autem hæc Basilius accepit, & moleste tulit, ac subirato animo Gregorio respondens, mirari se ait, quod tanto plausu contra se dicta auditores exceperint; cæterum his respondere, suique apologiam scribere inutile esse ait, *nam si necdum fratribus meæ de Deo sententiæ experimentum dedi, ne nunc quidem habeo quid respondeam*. Post multa Gregorio, quod adhuc ad se non venerit, conqueritur, ac ut cito properet, hortatur, cui Gregorius, ut dolorem mitigaret, cito se venturum promisit: *Hoc autem habeto, me Deo adjuvante, & tibi affuturum, simulque dimicaturum, virilemque operam impensurum esse*. Hæ autem adversus Basilium querelæ ac suspiciones, quasi catholicam Fidem œconomia sua prodidisset, non solum in Cappadocia monachorum opera vulgatæ sunt, sed in Ægyptum usque delatæ, quas ut fama vulgante accepit Athanasius, monachorum nimiam credulitatem, datis ad eos epistolis, repressit, atque ut Cæsarienses Monachi cum Basilio reconciliarentur, enixe curavit, ad Joannem, & Antiochum, & ad Palladium Cæsarienses Presbyteros, inter cætera hæc scribens: *Valde miror audaciam eorum, qui nihil reformidant obtrectare dilecto, & vere Dei famulo Basilio Episcopo, ex hujusmodi enim futili loquacitate deprehendi poterit, eos ne Patrum quidem confessionem diligere*. In epistola altera ad Palladium de eadem quæstione, & de iis, quæ hactenus gesserat, ut Monachos cum Basilio reconciliaret, addit: *Quod autem de Cæsariensibus Monachis significasti, idipsum a dilecto nostro Dianio accepi, infensos scilicet ipsos esse, atque obsistere dilecto nobis Basilio Episcopo. Tibi certe, qui rem indicasti, gratiam habeo, illis vero, quæ decuit, scripsi, ut velut filii patri obsequantur, nec repugnent iis, quæ approbat ille. Nam si circa veritatem suspectus ille esset, recte pugnarent: sin confidunt, ut nos confidimus, esse illum Ecclesiæ gloriam, qui etiam pro veritate dimicat, docetque illos, qui doctrina indigent; cum hujusmodi sane homine nefas est pugnare, immo probæ suæ conscientiæ causa acceptissimus esse debet. Sane ex iis, quæ narravit dilectus Dianius, nulla de causa videntur indignari. Ille namque, ut existimo, infirmis infirmus efficitur, ut infirmos lucretur; dilecti vero nostri conspicientes ejus ad veritatem scopum, atque*

Basilius ab hæresis suspicione se tuetur.

Basil. epist. 71.

Nazian. epist. 27.

Athan. tom. I. p. 2. pag. 956.

Athan. ut sup. p. 957.

JESU CHR. AN. 372. *œconomiam, referant Domino gloriam, qui Cappadociæ Episcopum dedit hujusmodi, qualem sane nulla non regio sibi peroptat. Tu itaque, dilecte, id illis, quæso, labora, ut quemadmodum scripsi, morem illi gerant. Illud enim eos erga patrem suum benevolos efficiet, pacemque Ecclesiarum servabit. Opto, te in Domino valere, dilecte fili.* Hactenus ad Palladium Athanasii epistola, qua Basilii œconomiam laudat, ejusque obtrectatores coercet.

Gregorius Basilii frater Episcopus Nissæ ordinatur. *Basil. vita p. 97. Basil. ep. 225.*

13. Circa hæc tempora Gregorius Basilii frater Nissæ Episcopus est ordinatus, in cujus ordinatione, & summus Episcoporum Cappadociæ consensus adfuit, & in suscipiendo episcopatu summa necessitas in Gregorio, quem cum ordinasset, *nihil neque parvum, neque magnum, quod ad canones attineret, omissum est*, ait Basilius. Ejus tamen ordinatio quasi contra canones facta fuisset, hæreticorum criminationes non effugit, qui eum sede sua ejecerunt.

Divisio Cappadociæ in duas partes.

14. Interea res accidit, quæ & plurimum Basilio molestiæ attulit, Cæsariensibus vero civibus incommodi, divisio scilicet Cappadociæ in duas partes, itant quæ hactenus Cæsareæ tamquam Metropoli integra suberat, parti tantum in posterum in rebus sacris, & civilibus imperaret, altera pars Thianis subesset, tanquam secundæ Cappadociæ Metropoli. Cæsarea aberat Basilius, Diœcesim lustrans, vel Nissam fortasse profectus, ut Gregorium Episcopum ibidem ordinaret, cum divisionis edictum promulgatum est, eo tamen nuncio accepto Cæsaream illico rediit, ut cives præsentia sua saltem recrearet. Quantum Cæsariensibus luctus, ac damni hæc divisio attulerit, Basilii epistolæ ea de re scriptæ satis indicant, quibus miserabilem patriæ casum deplorat. *Ep. 74. 75. 76.*

Anthimus Thianæ Episcopus Jus metropoliticum sibi usurpat. *Coutan. pag. 852.*

15. Ex hac etiam Cappadociæ in duas Metropoles divisione graves inter Basilium & Anthimum Thianæ Episcopum dissensiones exortæ sunt, nam Basilius, qui in tota Cappadocia metropoliticam jurisdictionem exercuerat, eamdem imposterum retinendam censebat, ac antiquam divisionem a Patribus factam servandam esse ajebat, ut in re simili Innocentius I. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum scribens declaraverat, quia *non decet ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*. Anthimus e contra Cappadociæ partem maximam sibi tamquam Me-

Metropolitano subjicere satagebat, cui etiam ejusdem provinciæ Episcoporum nonnulli, ii præcipue, qui Basilii ordinationi adversati fuerant, favebant: *Postquam alterius provinciæ nomen habuerunt*, ait Basilius, *subito existimarunt se ex alia ac nos natione, & gente esse, tantumque nos ignorarunt, quantum qui nullum prorsus periculum fecere, nec unquam in colloquium venerunt*. Horum itaque auxilio fretus, & societate Anthimus, Basilii jura invadere cœpit, reditus Ecclesiæ Cæsariensis diripere, Presbyteros a Basilii communione revocare, sibi resistentes expellere, aliaque tentare, quibus concordia, & pax frangebatur. Dissidii causas, & progressus pluribus narrat Gregorius, atque post plurima addit:

Basil. ep. 98.

16. *Ex hac contentione permulta mala partim jam accidebant, partim impendebant. Subtrahebantur conventus a novo Metropolita, proventus diripiebantur, Ecclesiarum Presbyteri partim sermonum blanditiis illiciebantur, partim immutabantur*. Thianensis vero Episcopus, id præ cæteris ægre ferebat, quod Taurici reditus, Thiana transeuntes, Cæsaream asportarentur. Quare Basilii mulas iter facientes Anthimus, ne ultra progrederentur, cum prædatoria manu prohibuit, ut longiori oratione idem Nazianzenus narrat.

Basilii cum Anthimo dissidia. Nazian. orat. 20. pag. 320.

17. Ut his malis mederetur Basilius, novas Episcopales Sedes erexit novosque Episcopos ordinavit. Inter eos Gregorium Nazianzenum, quem invitum reluctantemque Sasimorum ecclesiæ præfecit, unde tot adversus Basilium querelæ, tot clamores a Gregorio excitati sunt, ut arctissimum amicitiæ vinculum pene disrumperetur. Basilii quidem consilium in nova sedium erectione longo post tempore laudavit Nazianzenus, se tamen tunc in ea cum Anthimo concertatione a Basilio implicatum fuisse, ac Sasimorum episcopum ordinatum ægerrime tulit; unde ajebat: *Nam & animarum cura major suscepta est, & quælibet civitas proventus suos habuit, & bellum hac ratione compressum, & extinctum est. Hujus consilii vereor, ne velut appendix quædam ipse fuerim, nam cum cætera omnia hujus viri facta, supra quam dici queat, admirer, unum hoc laudare nequeo ... Eam nimirum, quam in nos adhibuit novationem, ac diffidentiam, cujus mœrorem ne tempus quidem adhuc exhaurire potuit*. Hæc Gregorius, quibus[illegible] test etiam post Basilii obitum, cum eam orationem in

Basilius Gregorium Nazianz. Sasimorum Episcopum ordinat.

 uem

Jesu Chr. an. 372.

Greg. Naz. carm. de vita sua.

dem recitavit, de Sasimorum Episcopatu sibi a Basilio imposito memoriam retinuisse, quod sane molestissimum eidem fuisse repetitæ ea de re querelæ testantur; ac inprimis Episcopatus sui sedem horridam, & Barbarorum incursionibus obnoxiam his versibus lamentatur:

In Regiæ medio viæ est vicus situs,
Qui scindit in tres se vias limphis carens,
Exors viroris, libero indignus viro,
Arctumque prorsus oppidum, triste & nimis.
Hic cuncta strepitus, pulvis hic cum curribus
Lamenta fletus, carnifex, & compedes,
Tormenta cives, hospites hic & vagi
Erat hæc meorum Sasimorum Ecclesia.

Greg. Naz. orat. 7.

Eademque adnotavit in oratione, quam die ordinationis suæ coram patre, & Basilio recitavit, in qua Basilii laudibus querelas, & obsequio contumelias immiscuit, qua etiam non rationibus se victum, aut ratione inductum, sed vi coactum Episcopatum suscepisse, testatur, quod etiam in oratione altera iterum inculcat. Hinc factum, ut cum Basilius & Nissenus Nazianzo excessissent, Gregorius Episcopali excussa sarcina, in solitudinem se receperit. Basilius vero ægre id ferens, ad Gregorium scripsit, ut Sasimum pergeret; at consiliis ejus nequaquam acquievit Gregorius, quin Basilio rescribens, de vi sibi illata asperius etiam conquestus est:

Gregorii Nazian. ad Basilium querelæ.

18. *Desine nos tandem maledictis lacessere ut insulsos, & rusticos: & ab amicis inopes, ac ne vita quidem dignos, quoniam ea, quæ passi sumus, intelligere, ac persentire ausi sumus &c.* Post multa quibus ingratum sibi Sasimorum Episcopatum esse significat, se ejus causa, juribusque Basilii tuendis, arma adversus Anthimum Thianensem Episcopum nequaquam sumere velle testatur: *Non arma comparabo, nec rei militaris artem discam, quam prius non didici, cum hujus rei commodius tempus esse videbatur, omnibus videlicet arma induentibus, & furiose inter se congredientibus (nosti infirmorum mo[illegible]), nec Martium Anthimum certamine excipiam, [illegible] his qui immaturum bellatorem, nimirum ipse rei bel[illegible]us, vulneribusque magis expositus. Quin tu potius*

cum

cum eo, si ita videbitur, bellum gere, (nam infirmos quoque sæpe necessitas ipsa pugnaces efficit) aut qui bellum gerat, quære &c. deinde post plurima: *Nos vero id dumtaxat lucri ex amicitia tua capiemus, ut amicis posthac minime fidamus, nec Deo quidquam præferamus.* Alia vero epistola: *Desidiam, & inertiam nobis objicis, quia Sasima tua recusavimus, nec Episcopatus cupiditate incitamur, non secus, atque esca canibus.* Tandem epistola altera de dissidiis Basilium inter, & Anthimum agens, durioribus verbis Basilium vapulat: *Quam ferociter*, inquit, *& equinorum pullorum ritu exilis in tuis litteris! nec mirum te ad gloriam nuper evectum ostentare nobis velle, quam gloriam nactus sis, ut hac ratione teipsum angustiorem reddas*; his subdit, Anthimum Tianensem Episcopum, cum aliis episcopis de Sasimorum loco, sibi a Basilio erepto, ob Gregorii ordinationem, conquestum fuisse, atque de Basilii ferocia multa dixisse: *Unde rebus infectis ille*, idest Anthimus, *abscessit, multum anhelans, ac Basilium nobis quasi Philippisinum quemdam objiciens*, idest, quod Basilio plus æquo faveret, non aliter ac Athenienses Philippo Macedoni, tandem Basilium admonet, ne se, ob metropoliticam dignitatem, extollat: *Quod si ostentationis, gloriæque nimio studio teneris, atque e loco superiori nos alloqueris, velut Metropolitanus, parvæ civitatis incolas, vel etiam civitatis expertes, nobis quoque supercilium est, quod opponamus. Hoc enim cuivis facillimum est, ac fortasse æquius.* Hæc ad Basilium Nazianzenus, quibus patet Sasimorum Episcopatum sibi gravissimum fuisse, cum ejus causa, adversus Basilium sibi amicissimum tot tantasque querelas ingeminans, vix a conviciis sese abstinuit, nec ulla unquam adduci ratione potuit, ut ejusdem Ecclesiæ administrationem susciperet; quin anno proximo Nazianzum profectus est, ut patrem suum senio laboribusque confectum, in ejusdem Ecclesiæ pastorali officio adjuvaret: ad Constantinopolitanam deinde regendam ecclesiam vocatu[s] aliquandiu ibidem substitit, usquedum ea etiam dimissa, [ite]rum in solitudinem abiit, ut infra suo loco dicturi s[umus].

JESU CHR. AN. 372.

Epist. 32.

Epist. 33.

19. Inter tot molestias, quibus Basilius afflic[tabatur], itaut amicissimos etiam adversarios pateretur, animo non despopondit, aut Ecclesiarum curam negle[xit] [...] curanda Orientalibus Ecclesiis pace semper sollicitus [...] sium Alex., & Meletium Antiochenum Episcopum [...] des-

[...] epist. [...] nasum, cum ro[...] [...] Orientali Ecclesiæ oper[...] [...]erat. Epist. 66., 67. 68. 69.

JESU CHR. AN. 372. desperatis fere Orientalis Ecclesiæ rebus, Occidentales Episcopos, & præcipue Romanum Pontificem adirent, ac opem implorarent, dumque eorum expectarentur ea de re epistolæ, ipse Basilius moræ impatiens, ad Damasum solus scripsit, eique Orientis mala ante oculos posuit, eum enixe rogans, ut Legatos in Orientem componendis rebus mitteret: *Antiquæ dilectionis jura redintegrare, Patrumque pacem cœleste illud, ac salutare Christi donum, quod progressu temporis immarcuit, in vigorem iterum revocare necessarium quidem nobis est, & conducibile, tuo autem Christi amantissimo animo bene novi, videbitur perjucundum. Quid enim potest esse gratius, quam eos, qui tanto locorum spatio disjunguntur, per charitatis conjunctionem in Christi corpore ad unam membrorum harmoniam videre devinctos? Omnis pene Oriens, Pater colendissime, (Orientem autem voco quidquid ab Illyrico ad Ægyptum usque protenditur) ingenti procella, & tempestate exagitatur. Hæresis quippe, quæ olim quidem ab Ario veritatis inimico fuit seminata, nunc vero impudenter exserit sese, ac velut radix amarulenta fructum exitiosum reddit, jamjam prævalet.* Narrat deinde catholicæ fidei defensores undique exagitatos, ecclesiisque dejectos, Arianorum e contra factionem ecclesias occupasse, quare in tanta rerum omnium perturbatione, ut Orientalibus ecclesiis opem ferat, & missa legatione eas visitare dignetur, Ep. sum deprecatur. Neque rem novam, aut inusitatam se petere addit, sed quod olim a Prædecessoribus suis factitatum fuerat, quod etiam Dionysii Pontificis exemplo confirmat, qui olim Cæsariensem Ecclesiam epistolis suis recreare dignatus fuerat: *Præsens autem rerum nostrarum status gravior est, & molestior majoremque efflagitat sollicitudinem, & curam. Neque enim lugemus terrenarum ædium demolitionem, sed ecclesiarum jacturam: neque corporum servitutem, sed animarum captivitatem quotidie ab hæreseos propugnatoribus im[...]itam conspicimus. Quare nisi jam ad suppetias afferendas [...]temini, paulo post nec quibus manum porrigatur inventuri [...]ibus sub hæresis potestate redactis.* Hactenus Basilii epi[...]uæ etsi inscriptione careat, Damaso tamen Papæ scrip[...]se [...]itari non potest, ut idem Basilius in epistola ad [...] verbis indicat: *Visum est mibi scribendum es[...] Romæ &c.* eamque a Dorotheo Diacono latam ex [...]lio constat; legationem vero ad Occidentales suf-

Basil. ep.

susceptam suis ad Athanasium, & Meletium epistolis non semel Basilius commemorat. Quæ Damasus Papa, & Occidentales Episcopi rescripserint, nunc videamus. JESU CHR. AN. 372.

20. At cum Occidentalium epistolæ exciderint, quid Athanasii, & Basilii litteris ii rescripserint, in obscuro est. Id tantum scimus, quod redeunte Dorotheo Cæsariensi Diacono, comes ei Sabinus Rom. ecclesiæ Diaconus datus est, qui una cum Dorotheo Alexandriam ad Athanasium perrexit, ab eoque dimissus, ad Basilium properavit cum epistolis episcoporum Illyrici, Italiæ, & Galliæ; unde ad Meletium Athanasius hoc anno scribens, de acceptis epistolis Occidentalium per Sabinum diaconum: *Nos nacti Diaconum Sabinum ab illis missum*, inquit, idest Occidentalibus, *scripsimus ad Illyricos, & ad Italiæ, & Galliæ episcopos, & quosdam alios, qui privatim ad nos litteras dederunt*. Occidentalium insuper epistolas gratissimas sibi fuisse, & rectæ fidei omnino consentientes, testatur ipse Basilius in epistola altera, quam Occidentalibus episcopis dedit, qua etiam indicat, primas epistolas a Sabino perlatas ab Athanasio accepisse, eamdemque se cum iis fidem prædicare: *Bonus Deus*, inquit, *qui semper afflictionibus consolationes admiscet, nobis etiam nunc largitus est inter multos dolores, ut modicum aliquod solatium nancisceremur ex litteris, quas a vestra integritate reverendissimus pater noster Athanasius acceptas ad nos transmisit, fidei rectæ testimonium, & inviolabilis vestræ concordiæ, atque conspirationis argumentum habentes, ita ut & pastores Patrum vestigia sequentes, & Domini populum cum scientia pascentes exhibeant*. Sabini etiam Diaconi præsentia ac verbis se exhilaratum fuisse addit, deinde de luctuoso Orientalium ecclesiarum statu subdit: *Contemnuntur Patrum dogmata, nullo numero habentur apostolicæ traditiones: Novatorum inventa regnant in ecclesiis &c.* Tandem post plurima rogat, ut ipsorum commiseratione moti, auxilium ferant, atque Ariana hæresi proscripta, Filium Patri consubstantialem, & Spiritum Sanctum pari honore dignum esse denuncient, ut in divinæ, sal[illegible]tarisque Trinitatis confessione gloriari possint. Epistola autem altera Valeriano Illyricorum episcopo, idest Aquilejæ, [illegible]s litteris per Sabinum Diaconum, gratias agit, & Orient[illegible] ecclesiæ calamitates iterum lamentatur: *Litteras tu[illegible] p[illegible]*

fe-

Quid Occidentales Orientalibus rescripserint.

Basilii ep. 89.

Basilii ep. 90.

Epist. 91.

JESU CHR. AN. 372. *fecimus*, inquit, *& vices rependimus tibi per eumdem virum religiosissimum condiaconum nostrum, & fratrem Sabinum &c.*

Orientales Episcopi ab Occidentalibus auxilium postulant. Epist. 89. 90.

21. In id vero hoc tempore sollicitus erat Basilius, ut Episcopi Orientales, qui Nicænæ fidei subscribebant, in unum coacti, synodicas epistolas ad Occidentales scriberent: *Consentaneum* est, ajebat ad Meletium, *ut tanquam a communi synodo mittatur aliquis, qui litteras secundas deferat, quas ipse jubeto exarari*, ab aliis postea subscribendas; hinc præter epistolas, quas suo nomine Occidentalibus, & Valeriano Illyricorum, seu Aquilejensi episcopo dederat, de quibus hactenus, alias ad Italos, & Gallos Episcopos scribendas, & ab Episcopis plurimis subscribi curavit, quibus non solum Orientalis Ecclesiæ mala exponebantur, sed etiam auxilium poscebant, ac ut legatos in Orientem rebus componendis, pacique Ecclesiæ restituendæ idoneos mitterent, rogabant. Epistolarum hic erat titulus: *Religiosissimis ac sanctissimis fratribus in Italia, & Gallia unanimis episcopis, Meletius, Eusebius &c.* cum aliis quorum ibidem nomina inscripta sunt, deinde se solatii aliquid ex Occidentalium Episcoporum charitate percepisse narrant, ac tandem: *Nos fovet melior quædam spes, forsitan fore, ut si dolores nostros vobis denuntiaverimus, excitemus vos ad ferendam nobis opem, quam quidem ecclesiis orientalibus a vobis affuturam jampridem speravimus necdum tamen sumus assecuti*; post pauca, *Vos tamen adhortamur, ut nunc saltem, & ad veritatis studium, & ad nostri commiserationem excitemini, ubi omnia didiceritis, etiam quæcumque antea aures vestras effugere, a religiosissimo fratre nostro condiacono Sabino, qui poterit vobis ea quoque, quæ epistolam prætereunt, per se ipse enarrare*: *per quem exhortamur vos, ut viscera induatis miserationis, omnique deposita segnitie laborem dilectionis suscipiatis, & neque viæ longitudinem, neque domesticas occupationes, neque aliud quidquam humanum cogitetis*. Post hæc quam longe lateque Ariana hæresis Orientis Ecclesias popularetur, ab Illyrico scilicet usque ad Th[illegible]idem, quamve inde mala ecclesiis obvenerint, expo[illegible]nt; [illegible]de iterum: *Celeritate opus est*, inquiunt, *ad eos qui* [illegible] *[illegible]ervandos, & plurium fratrum præsentia, ut* [illegible]*merum expleant, qui huc advenient, ut non solum ex* [illegible]*, [illegible]ui miserint, gravitate, sed etiam ex suo ipsorum numero*

Epist. 92. (margin, beside "Religiosissimis ac sanctissimis fratribus")

mero pondus atque auctoritatem ad res emendandas habeant, qui & fidem in Nicæa a nostris Patribus scriptum instaurent, & hæresim proscribant &c. Post plurima vero, se cum Occidentalibus Nicænam fidem profiteri testantur. Jesu Chr. an. 372.

22. Tot acceptis legationibus, cognitisque orientalis ecclesiæ calamitatibus, ut catholicam fidem tuerentur pacemque, si fieri potuisset, orientalibus ecclesiis redderent, sollicitos fuisse Occidentales, Basilii epistolæ alteræ, suo, & aliorum episcoporum nomine ad occidentales datæ testantur, quibus non solum occidentalium fidem laudat, sed etiam sollicitudinem ecclesiarum. Præcæteris notatu digna sunt ea, quibus orientalium epistola clauditur: *Quæ in synodico scripto canonice, & legitime statuta sunt, assentimur,* quibus indicant se synodalem epistolam ab occidentalibus accepisse, eique consensisse. Synodalis autem epistola, cujus Basilius meminit, eadem est, quam Damasus cum concilio nonaginta episcoporum ad episcopos Illyrici dedit, quæ etiam ad orientales in aliis codicibus inscribitur, eamque Sabinus Diaconus ad Illyricos episcopos primo detulit, inde in Ægyptum ad Athanasium, ac tandem ad Basilium, ut quæ esset occidentalium fides, quive Nicænæ fidei servandæ zelus, iisdem pateret; Illyricis vero præcipue data dicitur, quia Valens, & Ursacius in Illyrico episcopi, eas regiones Ariana labe inficere conabantur. Synodicæ autem epistolæ hæc est inscriptio. *Damasus & cæteri episcopi Romæ* congregati *90.*, aut *93.* ut in alio exemplari legitur, *Damasus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theodulus, & cæteri, qui ad audiendam causam Auxentii, exponendamque Fidem in urbe Roma convenerunt, episcopis catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem, vel Damasus, & cæteri episcopi, dilectissimis fratribus in Illyrico constitutis episcopis in Domino salutem.*

Occidentalium Episc. sollicitudo pro Fide tuenda.

Coutan. pag. 583. & 487.

23. *Credimus sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam hanc tenere, & hanc populis universis exponere, quæ videlicet a constitutis Patrum nulla ratione dissentit, sed relatione Gallicanorum, & Venetorum fratrum, quosdam hæresibus favere cognovimus. Quod malum non solum cavere debent episcopi, sed etiam reluctari,* eosque qui sui imperitia, aut simplicitate errant, in viam veritatis deducere. Auxentium deinde Mediolanensem Episcopum ante [illegible] ali-

Synodica ep. ad Illyricos, & Orientales episcopos.

Jesu Chr. An. 372.

quot damnatum fuisse denunciant, statim ac per Italiam Arianorum cœpisset nequitia pullulare. Ea vero, quæ contra Nicænam fidem in Ariminensi synodo gesta, & definita fuerant, nullius esse roboris, & auctoritatis edicunt: *Quando constat, neque Romanum episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium Capuanum episcopum, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum*, qua de causa orientales hortantur, ut Apostolicæ doctrinæ, & Nicænæ fidei inhæreant. Ejusdem epistolæ meminit Theodoretus, & integram historiæ suæ inseruit: *Scripserunt autem*, inquit, *una cum illo* (idest Damaso) *eas litteras nonaginta episcopi Romæ congregati ex Italia, & Gallia, quorum etiam nomina hoc loco apposuissem, nisi superfluum id esse existimarem*; nobis tamen superfluum non esset, scire tot episcoporum nomina, & quibus ecclesiis præessent. Eamdemque Sozomenus etiam refert: Holstenius vero latine eam edidit, quam & e græco textu in latinum translatam fuisse autumat. Hujus Rom. synodi, & synodalis epistolæ ad Illyricos, ceterosque orientales episcopos meminit Athanasius in sua ad Epictetum epistola, his verbis: *Quamobrem cum hoc tempore variæ synodi per Galliam, Hispanias, & magnæ Romæ celebratæ sint ... litteras autem ubique miserunt, ut deinceps in Ecclesia nulla nominaretur synodus præter unam Nicænam, quæ omnis hæresis trophæum est*, cum e contra Ariani *varia synodorum nomina commiscerentur &c.*

Theodor. lib. 2. 22.

Sozom. lib. 6. 23. Holsten. collect. p. 163.

Athan. epist. tom. 1. par. 2. pag. 901.

24. Ad hæc etiam tempora pertinet alia Athanasii epistola ad Adelphium Episcopum, & Confessorem, quem Onuphœos Lychinorum Episcopum fuisse indicat, eumque ab Arianis Psinablam Thebaidis oppidum relegatum fuisse narrat in epistola ad Monachos, ac proinde uti confessorem, & episcopum celebrat, simulque cum eo Hieracem Presbyterum exulare, cui hæc etiam *recitanda capimus*, ait Athanasius. In ea epistola Adelphium laudat, quod rectam fidem teneret, quodque Hæreticorum deliria exhorruerit; nam ad Athanasium scribens, eum admonuerat, ex Arianis quosdam esse, qui Christi corpus negarent esse adorandum, sed tantum adorandum esse Verbum hominem factum, eo quod animæ vicem in humano corpore impleret ipsum Verbum, quæ sane Apollinaristarum erroribus conve-

Aliæ Athan. epist. ad Antioch. pg. 776. pag. 387.

Athanas. ep. ad Adelphium, & Maximum Athan. tom. 1. p. 912.

veniebant; unde patet non defuisse hoc tempore ex Arianis quosdam, qui Apollinaristarum portentis subscriberent: utramque vero hæresim eodem loco arguit Athanasius. In quam rem spectat alia Athanasii epistola hoc tempore ad Maximum Philosophum scripta, qua iterum Arianorum, & Apollinaristarum de Verbi incarnatione errores confutat; cum etenim audiisset varias ea de re quæstiones agitari, seu potius errores, quos ipse jam impugnaverat: *Hinc diu*, inquit, *ipse distuli, vixque tandem eorum commotus impudentia, & loquacitate, tuo pro veritate cessi ardori. Nihil tamen plus dictavi iis, quæ a te scripta sunt, ut quibus repugnavit adversarius, iisdem jam persuasus, prohibeat linguam suam a malo, & labia sua ne loquantur dolum*. Cumque ex Adelphio, & Maximo accepisset Apollinaristarum errores serpere, & vulgari, duobus libris, quos de Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi inscripsit, eodem fidei, ac spiritus ardore incensus, easdem iterum hæreses profligavit. His addenda est alia perbrevis oratio contra eosdem hæreticos, quibus scriptis senectutem suam illustravit, novosque trophæos adversus impietatem erexit, nam paulo post, anno sequenti, vivere desiit, ut ibidem videbimus.

Jesu Chr. an. 372.

Athan. tom. 1. p. 918.

25. Cum orientales Ecclesias Valens Arianismi causa vexaret, Athanaricus Gothorum Rex, ob bellum, quod cum Romanis gesserat, christianos Imperio suo subditos dire persequebatur; quos ideo suspectos habere cœpit, quasi Romanis faverent, cum quibus communem, ideft christianam, religionem habebant: ad avitam itaque superstitionem eosdem revocare cupiens, quot resistentes invenit, morti destinavit. Quam sæva hæc fuerit persecutio, Sozomenus his verbis indicat: *Athanaricus ægre ferens subditos suos christianam Religionem amplecti, tanquam innovatis majorum cæremoniis, multos eorum variis suppliciis affecit; et alios quidem in judicium adductos, cum Christi fidem libere, ac fortiter professi essent, alios ne loquendi quidem facultate eis concessa, e medio sustulit*. Idolum quippe per singulas Gothorum tribus circumferri jusserat, ut singuli coram eo sacrificarent, quotquot vero id facere recusassent, una cum tabernaculo seu domo igne con[illegible]mebantur. Id vero præ cæteris atrocius fuit, quod cum [illegible]ti utriusque sexus, ne profanis sacrificiis polluerentur, ad christianorum ecclesiam confugissent, admoto igne una omnes indis-

Athanaricus Gothorum Rex in christianos persecutionem excitat.

Sozom. li. 6. 37

JESU CHR. AN. 372. indiscriminatim consumpti sunt, ut narrat Sozomenus, qui paulo supra scripserat, Gothorum plurimos, qui Phritigerno parebant, propter Christi confessionem necatos fuisse. Erat Phritigernes alter Gothorum rex, qui non multis ab hinc annis cum Athanarico bellum gessit, ut suo loco videbimus.

An Gothi tunc temporis catholici, aut Ariani essent. *Socrat. lib. Sozom. lib.*

26. De eadem Gothica persecutione agens Socrates, eosdem Arianos fuisse ait, nam subdit: *Ita ut Barbari quidam, qui Ariani erant, martyres fierent*, atque ex animi simplicitate contigisse scribit, quod Arianam perfidiam sequerentur. Sozomenus vero ab Ulphila Episcopo Arianam hæresim Gothos didicisse adnotat; quin tamen uterque erraverit, manifestum est, nam etsi primordia christianæ Fidei apud Gothos incerta sint, id tamen constat, ante Constantini tempora, & Nicænam synodum apud Gothos christianam religionem propagatam fuisse, antequam Ulphila cum Ariana hæresi Gothorum gentem inficeret, nam Nicænæ synodo subscripsit Theophilus Gothorum episcopus, ut non solum ex vulgatis hujus synodi subscriptionibus patet, sed ex ipso etiam Socrate, dum *Socrat. li. 2. 41* narrat Ulphilam una cum Theophilo Gothorum episcopo Nicænam & catholicam fidem, usque ad Valentis Imp. tempora *Euseb. vita Constant. lib. 3. 7.* tenuisse; quod etiam Eusebius confirmat, cum inter episcopos, qui Nicæno concilio interfuerunt, *ne Scytham ab hoc choro abfuisse* tradit: Scytarum autem nomine, Gothos designasse *Catech. 10. & 16.* Valesius adnotat. Cyrillus etiam Hierosolymorum episcopus medio ineunte seculo quarto, inter gentes, quæ suo tempore *episcopos, sacerdotes, diaconos, monachos, virgines, & reliquos laicos* habebant, *Gothos, & Sauromatas* recenset, & alia catechesi nonnullos ex Gothis, & Persis, pro Christi fide martyres sua ætate fuisse narrat.

Gothi pro catholica fide martyrium subeunt. *Basil. ep. 164. 165.*

27. Pro catholica autem Fide tunc Gothos certasse, ac martyrium subiisse, gravissimi, coævique auctores testantur Basilius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, aliique. Basilius ad Ascholium Thessalonicensem episcopum scribens, a quo Gothicæ persecutionis historiam didicerat, non solum Gothorum fidem laudat, sed multis eum exornat laudibus, eo quod barbaros ad certamen pro fide ineundum excitaverit, atque martyris reliquias, idest S. Sabæ, in Cappadociam transferri curaverit. *Quanto nos gaudio*, inquit, in prima epistola ad Ascholium, *repleverint litteræ sanctitatis tuæ, nos sane non facile demonstrare possumus, Quid enim non habebat epistola?*

stola? subdit post aliqua: *Nonne in Dominum amorem? Nonne & in nos ipsos, honorem, ac dilectionem?* Exageratis deinde malis, quibus orientales ecclesiæ affligebantur: *Redierunt*, inquit, *animi nostri ad priscam illam beatitudinem, ubi litteræ ex remota regione venerunt, dilectionis pulchritudine efflorescentes, ac martyr nobis advenit a barbaris ultra Istrum habitantibus, per se prædicans fidei illic vigentis integritatem. Quis animarum nostrarum in his rebus lætitiam enarrare possit? cum vidimus Athletam, illius hortatorem felicem prædicavimus*, idest Ascholium, qui ad certamen fidei Gothos excitaverat; *qui apud justum judicem coronam justitiæ recipiet, eo quod multos ad certandum pro pietate corroboraverit*.

Jesu Chr. an. 372.

28. Ob Eutichis martyris reliquias, quas Cæsaream Cappadociæ Ascholius transferri curaverat, quammaximas eidem Basilius gratias reddit, quod novo hoc ornamento & præsidio patriam suam illustraffet; at neminem fere, qui tantam virtutem æmularetur, in toto Oriente esse lamentatur: *Etenim nulla fere pars orbis terrarum hæresis incendium effugit. Tua autem narratio, athletica certamina, corpora pro pietate dilacerata, furor barbarorum ab hominibus corde impavidis contemptus; varia tormenta persequentium, decertantium in omnibus constantia, lignum, aqua, quibus consummati martyres. Nostra vero qualia sunt, refrixit caritas, Patrum vastatur doctrina, naufragia circa fidem crebra, silent piorum ora, populus a precationis ædibus abactus, sub dio ad Dominum, qui in cœlis est, manus attollit. Ac graves quidem sunt afflictiones, nusquam tamen martyrium, eo quod qui nos vexant, eodem ac nos appellentur nomine*. Hactenus de persecutione Gothica, & de Gothorum fide Basilius, qui epistola altera ad eumdem Ascholium data, vel ad Soranum Schytiæ Ducem, ut probare nititur Basilii editor, ejusdem fidem laudat, gratiasque agit, quod Cæsariensem ecclesiam martyrum reliquiis ditaverit, in quorum laudem multa ibidem Basilius addi[illegible] Ad Soranum etiam Schytiæ ducem scripserat Basilius, ut re[illegible]liquias martyrum in patriam mitteret: *Siquidem ut nobis scripsisti, persecutio illic etiamnum Domino martyres facit*, eumque laudat, quod eos, qui persecutione vexabantur, patrocinio, & opera sua recrearet. Augustinus vero de Valentis, [illegible]orumque Principum adversus Ecclesiam persecutione agens, [illegible] Gothica

De Eutiche martyre.

epist. 165. not. ibid. & vita [illegible]asilii pag. 37.

Epist. 155.

August. de civit. Dei lib. 18. 52.

Jesu Chr. an. 372. thica, de qua nunc agimus, hæc ad rem adnotat: *Nisi forte non est computanda persecutio, quando rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est christianos crudelitate mirabili, cum ibi non essent nisi catholici, quorum plurimi martyrio coronati sunt, sicut a quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & se ista vidisse incunctanter recordabantur, audivimus*. Catholici ergo, non Ariani erant, qui hoc tempore in Gothia pro Christi fide certarunt; quod & Ambrosius confirmat, dum Gothis Christum imperasse, eosque edidisse *Christi martyres*, atque eos zelo fidei Romanos superasse addit, *quoniam, quem illi oblatione sanguinis fatebantur*, huic, idest Christo, *Ariani*, Romani scilicet, *quæstionem generis inferebant*, quibus verbis Gothos catholicos fuisse innuit, Romanorum vero plurimos Ariana labe infectos.

Ambros. comment. in Lucam cap. 37.

De tempore persecutionis Gothicæ. *Hier. chron. tom. 8.*

29. Vindicata martyrum fide, de tempore, & anno persecutionis pauca subdimus, cujus initia ad annum Valentis sextum Hieronymus alligat, idest circa annum 369. *Athanaricus in christianos persecutione commota plurimos interficit, & de propriis sedibus in Romanum solum expellit*; tunc vero inceptam usque ad labentem perseverasse scimus ex actis S. Sabæ ab ecclesia Gothica, *ad Ecclesiam, quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ catholicæ christianis ubique gentium habitantibus*. Ex iis vero constat Sabam Modesto, & Arintheo Coss. idest hoc anno, *quinta die post Pascha, idest pridie idus Aprilis Valentiniano, & Valente Imperatoribus, martyrium obtinuisse*. Ex tot martyribus vix aliquorum apud nos acta, aut nomina pervenerunt, Sabæ scilicet, cujus acta omni fide dignissima habemus, Eutychis, cujus mentio est in epistola 165. S. Basilii, ut supra vidimus, aliorumque, quorum memoria in Græcorum Meneis extat; præcæteris illustrior fuit Sabas, de quo cum plura narrent acta, paucis tamen contenti erimus.

apud Ruinar. pag. 677.

Epistola Ecclesiæ Gothicæ de S. Sabæ martyrio. *Ruinart. pag. 674.*

30. *Ecclesia Dei quæ est in Gothia, ecclesiæ Dei, quæ est in Cappadocia, & omnibus Ecclesiæ catholicæ christianis, ubique gentium habitantibus, misericordia, pax, & caritas Dei Patris, & Domini Nostri Jesu Christi impleatur. Quod a beato Petro dictum est. In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est ei, nunc etiam verum esse declaratur. Hoc enim in beato Saba confirmatum est, qui est mar-*

martyr Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. Cum enim genere Gothus esset, & in Gothia in medio generationis pravæ atque perversæ vitam ageret, ita viros imitatus est sanctos, & cum ipsis omni genere virtutum Christum coluit, ut in omni mundo tanquam stella fulgeret; in cujus laudem multa actorum collector adnotat, deinde de mota persecutione narrat, quod cum principes, & magistratus Gothiæ cœpissent christianos homines insectari, eosque urgere, ut carnes Idolis immolatas ederent, Ethnicorum nonnulli, ut propinquis suis aut amicis subvenirent, id consilii ceperant, ut pro immolatis carnibus eas ad edendum offerrent, quæ immolatæ non fuerant, ut ea fictione eos a periculo liberarent, ac persecutores fallerent. At Sabas re cognita, exemplo Eleazari non solum ipse comedere cibos vetitos recusavit, sed in medium prodiens, testatus est omnibus: *Si quis*, inquiens, *ex carnibus illis comederit, christianus esse non potest, atque ita cavit, ne omnes in diaboli laqueum inciderent*. Nam cum ea fictione adhibita oppidi cujusdam Principes jurassent, neminem illic christianum esse; Sabas iterum cum fiducia in medium prosilieus: *Nemo*, inquit, *pro me juret, ego enim christianus sum*. Eaque fidei christianæ confessione edita, paulo post, Paschatis die instante ad aliud oppidum Sabas proficiscebatur, ut cum Gutthica presbytero eam solemnitatem celebraret: in itinere autem admonitus ut ad sua rediret, & cum Sansala presbytero Pascha faceret, cum reverteretur in patriam, magna impiorum manus in pagum irruens, presbyterum Sansalam, una cum Saba captivum duxit, ac presbyterum quidem in curru receptum duxerunt; Sabam vero nudum, in lecto quippe jacentem interceperant, per spinas trahentes fustibus, ac flagellis diu acriterque vexarunt, ut pluribus acta narrant. Die interea adveniente, cum Athanarici jussu, cibi Idolis immolati sanctis Confessoribus oblati essent: *Hæc nos*, respondit Presbyter, *non edimus, neque enim nobis licet. Quamobrem Athanaricum cohortamini, ut nos potius jubeat crucifigi, aut alio genere mortis interfici. Sabas etiam: Quis hæc misit? illi vero: Dominus Athanaricus. Unus*, ait Sabas, *est Dominus Deus, qui in cælis est. Impuri, & profani sunt isti perditionis cibi, quemadmodum & Athanaricus ipse a quo missi sunt*. Cum hæc dixisset Sabba, Athanarici servus quidam ira in-

JESU CHR. AN. 372.

Maccab. lib. 2.6.

Jesu Chr. An. 372. inflammatus, in Sancti viri pectus pili sui cuspidem sic intorsit, ut adstantes omnes eum statim ex ictus violentia interiturum crederent; at cum illæsus abiisset, neque ullum in ejus corpore plagæ vestigium appareret, paulo post Athanarici sententia in flumen præcipitatus, martyrii coronam obtinuit: *Quinta die Sabbati post Pascha, idest pridie Idus Aprilis, Valentiniano, & Valente, consulatum gerentibus Modesto, & Arintheo*. De translatione autem corporis S. Sabæ Cæsaream Cappadociæ hæc addunt acta: *Extraxerunt illum homicidæ ex aqua, & insepultum reliquerunt, verum nec feræ, nec volucres ejus reliquias attigere, sed a piis fratribus servatæ sunt, easque clarissimus Dux Scythiæ Junius Soranus, Deum colens, missis viris fide dignis e loco barbaro in Romaniam transtulit, & gratificari volens patriæ suæ pretiosum munus misit in Cappadociam &c.* Jam supra vidimus, Basilium Junio Sorano scripsisse, ut sibi reliquias Martyrum ex Gothia mitteret, quibus etiam acceptis gratias egit altera epistola 165. Hæc autem S. Sabæ acta ab Ascholio episcopo scripta fuisse, & ad S. Basilium missa verosimile est, & ex Basilii epistola 164. ad eumdem scripta, certis fere argumentis constat.

Constantinopolitana Bibliotheca erigitur.

31. Hoc etiam anno de curanda Constantinopolitana Bibliotheca ad Clearchum urbis Præfectum Valens hoc rescriptum dedit: *Antiquarios ad Bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos scribendi peritos, legi jubemus*. In hunc quoque annum sub Clearchi Præfectura hæc spectant, quæ Hieronymus ad annum Valentiniani nonum recitat: *Clearchus Præfectus urbis Constantinopolis agnoscitur, a quo necessaria, & diu expectata votis aqua inducitur civitate*.

JE-

JESU CHRISTI AN. 373. DAMASI PAPÆ 8.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 10. GRATIANI IMP. 7.
COSS. VALENTINIANO, AUG. IV. ET VALENTE AUG. IV.
OLYMP. 288. AN. 1. URBIS AN. 1126.

1. Octogesimum ætatis annum attigerat Athanasius, quorum quadraginta sex in Episcopatu inter pericula, labores, & exilia quinquies tolerata transegerat, tandem hoc anno senio, ærumnisque confectus ad optatam in Cœlis coronam vocatus est. Moriens successorem sibi delegit Petrum, virum plurimis Fidei causa susceptis laboribus clarum, &, ut paucis dicam, dignum Athanasii successorem. De anno Athanasii ultimo non una Eruditorum est opinio, quem anno 371. obiisse nonnulli scribunt, ac Socratis auctoritate confirmant, dum ait: *Athanasius Gratiano iterum & Probo Coss. post tot, ac tanta pro Ecclesia certamina ex hac luce migravit, cum annos sex, & quadraginta, non sine ingentibus periculis Episcopatum administrasset*. Alii cum Baronio annum elapsum 372. Athanasio ultimum assignant. At verior ea sententia videtur, quæ labenti anno ipsum obiisse tradit, quod & Hieronymus in Chronico testatur, & Proterius Alexandrinus Episcopus in epistola ad S. Leonem anno 454. data indicat, qua tradit anno octogesimo æræ Diocletianeæ Athanasium Pascha celebrasse; porro annus ejusdem æræ octogesimus cum labenti concurrebat, de quibus plura apud Maurinos in vita Athanasii, aut Pagium videri possunt. Instante morte *sciscitatus de Successore*, ait Ruffinus, qui cum Melania Alexandriæ tunc erat, *Petrum tribulationum suarum participem, & socium delegit*; quo dicto, *in bona senectute*, ut ait Nazianzenus, *vitam claudit, patribusque suis, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, junctus est*. Ejus vita, eodem Nazianzeno teste, morumque sanctitas Episcopatus norma erat, ejusque patrocinio se suamque Ecclesiam, his verbis in oratione panegyrica post ejus obitum recitata, commendat: *Nos autem utinam ipse benignus e Cœlis aspicias, atque hunc populum gubernes perfectam perfectæ Trinitatis, quæ in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti contemplatione percipitur, & colitur, adoratorem, meque, si quidem res pacatæ futuræ sint,*

Athanasii obitus.

Socrat. lib. 4. 10. Petav. in epist. Proter. to. 2. de doctr. temp. Papebroch. die 2. Maii. Fontanin. dissert. singul. de an. emort. S. Athan. Baron. an. 372.

Ruffin. lib. 11. 3.

Nazianz. orat. 21.

Jesu Chr. an. 373. *in vita retinens, gregem mecum pascas; si autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas, atque assumas tecum, & cum tui similibus colloces, tametsi magnum sit, quod postulo*; hæc ipse in oratione, quam in die anniversaria natalis ejus habuit, cujus memoria die 2. Maji apud Orientales, & Occidentales recolitur.

Athanasii scripta.

2. Multa non solum pietatis, sed & eruditionis monumenta post se reliquit Athanasius, libros scilicet, pluresque epistolas, quibus & Fides adstruitur, & historia sui temporis illustratur, de quibus hæc Hieronymus: *Feruntur ejus adversus gentes duo libri, & contra Valentem, & Ursacium unus, & de virginitate, & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de Psalmorum titulis, & historia Antonii monachi vitam continens, & festiales epistolæ, & multa alia, quæ numerare longum est*. Ex epistolis vix aliquæ supersunt: sed de Athanasii operibus extantibus, & deperditis, de eorumdem ordine, quo scripta fuerunt, de genuinis, & apocryphis, ad editores Maurinos S. Athanasii, lectorem remittimus, aut ad eos, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis commentaria ediderunt. Nobis hoc loco adnotare sufficiet, post novissimam Athanasii editionem Maurinam, alia ejusdem Patris opuscula a Montfauconio vulgata fuisse. Post Montfauconium vero novam Psalmorum expositionem ab Athanasio digestam ex Codice Barbarinæ Bibliothecæ cum variantibus ex Codice Vaticano lectionibus edidit Nicolaus Antonellius, pietate, eruditione, & purpura clarissimus, eamque Psalterii expositionem genuinum Athanasii opus esse contendit, quod Hieronymus Athanasio his verbis adjudicavit *de Psalmorum titulis*: expositionem vero Psalmorum a Maurinis Athanasio inscriptam alterius esse comprobat: & sane interpolatum opus, ac in pluribus corruptum fuisse, vel ipse Montfauconius Athanasiarum operum editor fatetur, dum ait: *Nam ut in Athanasii edito a nobis haud primum adornato monuimus, expositiones illæ Athanasii non omnibus suis partibus, & numeris absolutæ sunt, de Amanuensium ausibus passim truncatæ, & in compendium redactæ, quædam etiam ex catenis erutæ*. Hæc de expositione in psalmos S. Athanasio a Maurinis inscripta. Quænam autem Athanasio magis conveniat, an ea, quam Maurini vulgarunt, an Romana ab Antonellio vulgata, an vero utraque dubia sit,

Hier. de vir. illust. in Athan.

Montfaucon. collect. veter. Patr. Græc. tom. 1. Antonel. præf. p. 17. in Athan. Psalm.

Montfauc. nov. Bibl. PP. tom. 2. p. 69.

Phot. cod. 140.

sit, aliorum judicio relinquimus. De Athanasii scriptis nil verius, quam Photii elogium: *Athanasii dictio perspicua, ut & in cæteris ejus omnibus sobria item, & candida, vehemensque, ac profunda, & argumenta valide torquens, ejus vero ubertas in his, ac fœcunditatis admodum sane fuit mirabilis, qui Gregorium Theologum sanctumque Basilium dixerit: ex hoc tanquam fonte haustos egregios illos, & limpidos librorum suorum rivos, sane a scopo minime aberrabit*. Sed de Athanasii scriptis hactenus. Cujus opera post Parisiensem editionem, Patavii nunc iterum edita, præfationibus, notis, nonnullisque opusculis aucta anno 1774. prodierunt.

Petrus Athanasio successit.

Theod. lib. 4. 20.

3. Post Athanasii obitum in Alexandrina Ecclesia turbæ iterum, iterumque clades sequutæ sunt, nam eo sublato, qui pro Domo Dei, tanquam paries fortissimus hactenus steterat, majori furore Ariani in eam grassati sunt. Athanasio quidam Petrus, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, pietate, & doctrina Athanasio vix inferior, suffectus fuerat: *Petrus vir præstantissimus*, ait Theodoretus, *Sacerdotium suscepit, quem primus Pontifex ille beatissimus*, idest Athanasius, *suffragio suo designarat Episcopum: cuncti vero electionem comprobaverant, tam Sacerdotalis ordinis viri, quam Magistratus, & honorati; sed & universus populus lætitiam suam faustis acclamationibus declaravit. Hic namque Athanasii sudorum particeps fuerat, eumque & præsentem domi, & absentem foris erat comitatus, & una cum illo varia subierat pericula; quam ob causam, & vicini Episcopi Alexandriam confluxerant, & qui in Monasteriis degebant, relictis palæstris suis aderant, ut in Athanasii locum Petrus succederet, postulantes*. Petri laudes Nazianzenus pluribus prosequitur in oratione coram Ægyptiis Episcopis recitata.

Nazianz. or. 24.

Ariani Lucium in Alexandrinam Ecclesiam intrudunt.

4. Ariani autem, ut Petrum loco Athanasii ordinatum viderunt, ira, & furore perciti, sine mora Valentem Imperatorem adeuntes Euzoji opera, Lucium Arianorum perditissimum, quem, Joviano Imperante, Episcopum sibi elegerant, Alexandriam mitti curarunt: quapropter armata manu Lucius illuc adveniens, ut Petrum exturbaret, strages plurimas perpetravit, ait Socrates; cum Lucio enim Magnus regiorum Thesaurorum Comes perrexerat, qui litteras Imperatoris ad Palladium Præfectum Ægypti detulit, ut militarem operam, ac ministerium præberet.

J.su Chr. An. 373. Lucius Alex. Ecclesiam invadit, Catholicos persequitur. Nazianz. or. 23.

5. Quare Alexandriam ingressi, Petrum quidem comprehensum in vincula conjecerunt, ac reliquis clericis fugatis, atque hac & illac dispersis, Lucium in Episcopali Sede locarunt, ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique narrant. De sævissima autem persecutione tunc temporis a Lucio excitata, cum plura supracitati auctores addant, Nazianzenum præ cæteris audire præstat. *Postquam sanctissimum illum Orbis oculum, & Sacerdotum Antistitem, illum tuæ confessionis ducem, & magistrum, illam sublimem vocem, illud Fidei columen, secundam illam Christi lucernam, et, si hoc verbo uti fas est, Præcursorem*, Athanasium scilicet, *ad se Deus transtulit, ac secunda quædam Ægypti plaga, ille inquam veritatis proditor, ille luporum pastor, ille per caulam transcendens latro, secundus ille Arius (idest Lucius), turbida illa, & amara eversio, ille impio fonte uberior fluvius seipsum in Ecclesiam introduxit, piget equidem flagitia ea, quæ tunc designata sunt, & nefarias cædes, cum quibus fere ille sacrosanctum solium invasit, ac pestiferi ingressus præludia referre, ex multis tamen pauca deploro.*

Palladii in Orthodoxos immanitas.

6. Post plurima vero de Palladii Ducis in Catholicos sævitia, quæ exponere longum esset, viros in loco sancto cæsos fuisse, addit, mulieres pedibus protritas, Virgines miserabilem in modum distractas, fœdius etiam cruciatas, itaut aliquæ præ timore in interiores Templi puteos sese dejicerent, aut ex editiore loco præcipites se darent. Post hæc sancta profanis pedibus calcata sunt, altaria impudicis cantionibus, ac saltationibus, fœdisque membrorum inflexionibus probro, & contumeliis habita, adde blasphemias in ecclesia cantatas, mysteria sugillata, psalmodias silentio compressas, gemitus in earum locum excitatos, fluentes sanguinis rivos, lacrymarum fontes, sacerdotes per vim abductos, Monachos laceratos, expressam denique incursionis illius imaginem, qua quondam Assyrii Hierosolymam populati sunt. Post plurima de Petri fuga, qui ad Romanum Pontificem confugit, subdit: *Hanc tragœdiam Oriens quidem vidit, & Occidens quoque deflevit, cui immanitatis hujus signa fugitivus Antistes publice spectanda proposuit; nam pro cadaveribus cruentas vestes Ecclesiæ Romanæ protulit, ac per tacitam accusationem omnibus lacrymas movit, ut calamitatis magnitudinem in oculis, aspectu defigeret, atque auxilium nancisceretur, quemadmodum etiam nactum esse*

esse scimus. His addit Heronis pro fide certamina, qui pro fide Catholica ab Arianis verbera, & exilium sustinuit.

JESU CHR. AN. 373.

7. Luctuosae tragaediae seriem Petrus Alexandrinus Episcopus in epistola ad Orthodoxos data exponens, inter caetera narrat, impios Ecclesiam Theonae ingressos, laudes idolorum cantasse, ac pro lectione sacrarum Scripturarum plausus manuum indecoros, & fractas cum obscenitate voces usurpasse, Virgines etiam nudatas vestibus circumductas, aut vi adhibita fuisse stupratas; nonnullas vero tandiu fustibus caesas, & interemptas, quarum etiam corpora sepulturae tradi prohibuerant. His sceleratiora adhuc subsecuta sunt, nam in ipso Altari, tanquam in scena, puerum, qui virilem sexum ejuraverat, & muliebrem affectabat, muliebri habitu indutum saltare fecerunt volubili motu, hac & illac manus jactantem, ac gesticulantem, dum caeteri immoderate riderent, vocesque nefandas emitterent. Et ut facta vocibus responderent, quemdam notissimae turpitudinis, qui una cum veste pudorem simul exuerat, nudum Ecclesiae solio collocantes, concionatorem infamem adversus Christum salutarunt, qui pro pietate impietatem, pro continentia scortationem, adulterium, masculam venerem, furtum, escam, & potum, vitae hominum utilia esse docuit. Haec, aliaque de gestis in Ecclesia Theonae Petrus.

Petri Epist. ad Orthodoxos de persecutione Alex. Ecclesiae. *Theod. lib.* 4. 22.

8. Lucius itaque sceleratorum manu, ac militari praesidio stipatus Alexandrinam occupavit sedem, quam vix adeptus, magnus impietatis ejus individuus Comes, & Satelles crudelissimus, collecta multitudine eorum, qui sub ipsius cura, ductuque erant, Presbyteros, ac Diaconos novendecim comprehendit, ex quibus nonnulli octogesimum annum excesserant, & quasi in detestando quodam facinore, & legibus Romanis contrario deprehensi fuissent, in judicium vocatos, ut ad Arianorum partes transirent, hortatus est; gratissimum id Valenti Augusto futurum dicens, praemia etiam offerens, & supplicia resistentibus minitans; at hi una voce responderunt: *Desine tandem, desine nos terrere, cessa inanes proferre sermones, nos enim nec novitium, nec recentem colimus Deum, licet instar maris fluctuum inaniter spumes, &c. tanquam vehemens ventus cum fragore irruas, rectae, ac piae doctrinae ad extremum usque spiritum adhaesuri sumus &c.*

Confessio Fidei a novemdecim Presbyteris, & Diaconibus facta.

9. Post fidei confessionem, in carcerem longo tempore

Confessores in exilium missi.

JESU CHR. AN. 373. re eos Comes detinuit, ratus se illos a sententia abductu-rum. At cum in catholicæ Fidei confessione perseverassent, Heliopolim Phœniciæ migrare, nulloque comeatu instructos, nihilque habentes navem conscendere compulit. Quamobrem ut remiges vela pandere cœperunt, cum catholicorum plurimi asperrimam Confessorum conditionem lamentantes effusis lacrymis testati essent, eosdem Palladius Præfectus urbis, quasi læsæ majestatis reos custodiæ mancipavit, ac verberibus vexatos, ad Phenneusia, & Proconnesia metalla damnavit; ex quibus plerique Monachi erant numero viginti tres. His etiam Diaconus a Damaso Pontifice cum epistolis missus adjunctus fuit: nonnullos etiam capite mulctavit, eo quod cognatum, vel filium luxissent, aut cadaver sepulchro condidissent, ut pluribus in supracitata epistola Petrus Alexandrinus narrat.

Persecutio per Ægyptum propagatur.

10. His Alexandriæ gestis, per omnem circumquaque Ægyptum sese Arianorum furor extendit, satellitio etenim armati, Episcoporum plurimos variis modis vexarunt, ex iis undecim, qui ab ineunte ætate ad senectutem usque catholicam fidem prædicaverant, Diocesareæ relegarunt, Clericorum aliquos Neocesareæ in Ponto: *Qui nunc ipsa etiam vita forsitan privati sunt*, ait Petrus Alexandrinus Episcopus; ejusdemque persecutionis monachos quoque Ægypti participes fuisse, Ruffinus narrat, ac tria millia simul, aut eo amplius eorum dispersos, fugatosque fuisse adnotat. Inter eos præcipui numerantur Macarius, Isidorus, alter Macarius, atque Heraclides, & Pambus Antonii discipuli, viri vita, & moribus sanctissimi. *Quæ præsens vidi, loquor, & eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui*, ait Ruffinus, de quibus etiam in epistola ad Anastasium Romanum Pontificem addit: *Quamvis igitur fides nostra persecutionis hæreticorum tempore, cum in Sancta Alexandrina Ecclesia degeremus in carceribus, & in exiliis, quæ pro fide inferebantur, probata sit, tamen & nunc si quis est, qui vel tentare fidem nostram cupiat, sciat &c.* At hæc per jactantiam a Ruffino dicta adnotat Hieronymus, cum recitatis ipsius verbis, subdit: *Miror quod non adjecerit, vinctus Jesu Christi, & liberatus sum de ore leonis, & Alexandriæ ad bestias pugnavi, & cursum consummavi, fidem servavi, superest mihi corona justitiæ. Quæ, malum, exilia, quos iste carceres nominat? Pudet me apertissimi mendacii, quasi car-*

carceres, & exilia absque Judicum sententiis irrogentur. *Volo tamen ipsos scire carceres, & quarum provinciarum se dicat exilia sustinuisse. Et utique habet copiam de multis carceribus, & infinitis exiliis unum aliquod nominandi &c.* Hæc Hieronymus, cum jam rupto amicitiæ vinculo cum Ruffino diffideret. JESU CHR. AN. 373.

11. Melaniam Ruffino addimus peregrinationis in Ægypto comitem, quam celebriores hujus ævi scriptores certatim celebrarunt, Marcellino Consule avo ortam Paulinus & Ruffinus scribunt. Hieronymus vero, & Palladius Marcelli consulis filiam dicunt: *Melania*, inquit Hieronymus, *nobilissima mulierum Romanarum, & Marcelli quondam consulis filia*, consulari itaque sanguine genita, pietate tamen, quam sanguine illustrior fuit, cujus constantiam in adversitatibus Hieronymus commendavit: *S. Melania nostri temporis inter christianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret, more Lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? Lacrymæ gutta non fluxit. Stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Sed forsitan superatur in cæteris. Quinimmo qua illos mente contempserit, in unico postea filio probat, cui omni quam habebat possessione concessa, ingruente jam hyeme Hierosolimam navigavit.* Eoque exemplo Paulæ lacrymas Blesillam filiam lugentis abstergere conatus est. Adversi casus Paulinus etiam meminit, de Melania scribens: *ita crevit ærumnis, ut duos filios, & maritum intra anni tempus amitteret, unico tantum sibi parvulo ad memoriam sibi potius, quam ad compensationem affectuum derelicto.*

De Melaniæ genere, & gestis. *Paulinus epist. 29. Ruff. Invectiva 1. in Hier. Pallad. hist. Lausiaca cap. 33. Hier. ep. 25. Paul. epist. 10.*

12. Marito, & filiis orbata, ad Loca sancta perrexit. Primum tamen in Ægyptum profecta est, cum adhuc Athanasius viveret, narrat enim Palladius illustrem fœminam ab Athanasio donatam fuisse ovina pelle, quam ipse a Macario dono acceperat, eamque Macarius a leone habuerat, cum ejus catulos cæcos videre fecerat, ut pluribus idem narrat Ruffinus. De Melaniæ autem peregrinatione in Ægyptum agens Palladius addit, eam Isidoro comite Ægypti eremum lustrasse,

Melania Alexandriam proficiscitur. *Pallad. hist. Lausf. cap. 33. Ruffin. li. 2. 4.*

JESU CHR. AN. 373. se, & inter alios magni nominis monachos Pambonem vidisse, cui pro monachorum necessitatibus trecentas argenti libras dedit. De eadem peregrinatione ad Ruffinum Melaniæ comitem, hæc scribebat Hieronymus hoc anno: *Audio te Ægypti secreta penetrare, monachorum invisere choros, & cælestium in terris invisere familiam*; & paulo post, *Ruffinum Nitriæ esse, & ad beatum perrexisse Macarium, crebra nunciantium multitudo referebat*.

Hier.ep.41.

Melaniæ officia erga Monachos. Paulin.ep.29.

13. De piis autem Melaniæ officiis in pascendis, & occultandis monachis persecutionis tempore narrat Paulinus, eam pro Fide fugatos recepisse, suisque opibus fovisse, ob quam causam is, qui monachos exagitabat, eam quasi majestatis ream, ad se perduci jussit, quæ cum impavida processisset, passionis & injuriarum pro Christi fide cupida; Judex fidei audaciam admiratus, liberam dimisit. Ipsa vero pietatis officiis impensius intenta, per triduum quinque millia monachorum panibus suis sustentavit, ac mensibus octo ibidem fuisse Palladius adnotat.

Pall.ut sup.

De Dydimo ejusque eruditione. Hier.in chron ad an. 9. Valentis. Ruffin. lib.11.7.

14. Inter celeberrimos pietate, aut doctrina viros, quos Alexandriæ vidit, & admirata est Melania, ejusque peregrinationis socius Ruffinus, Dydimus numeratur, qui etsi ab anno ætatis suæ quinto cæcus esset, lectore tamen adhibito, omni scientiarum genere eousque profecerat, ut cunctis admirationi esset, ac ut refert Ruffinus, indesinenter Dominum precabatur, non ut oculorum carnalium visum, sed ut illuminationem cordis acciperet: miscebat autem precibus studia, & laborem, juges scilicet continuasque vigilias. Tantam itaque divinarum, humanarumque litterarum scientiam adeptus erat, ut scholæ ecclesiasticæ magister esset, cum in omnibus sive Dialecticæ, Geometricæ, Astronomiæ vel Arithmeticæ disciplinis ita paratus esset, ut nullus umquam disputando eum vincere potuerit, quod non solum auditu, sed experientia, & re ipsa se probasse, Ruffinus addit, eademque Theodoretus, & Socrates. Quanti eum Hieronymus æstimaverit, antequam de eo Origenismi suspicio oriretur, interius suo loco dicturi sumus.

Theodot. lib. 4. 29. Socrat. lib.4.25.

Melania in Palæstinam proficiscitur, ejusdem pietatis officia.

15. Melania vero mensibus octo in Ægypto transactis, hoc eodem anno in Palæstinam transiit, ibique per quinque lustra & amplius, piis operibus intenta perseveravit: *Ubi tantum*

tum virtutum, *præcipueque humilitatis fuit miraculo*, *ut Theclæ nomen acceperit*, ait Hieronymus in chronico. Quæ autem pietatis officia exercuerit erga Fidei Confessores Diocæsareæ in Palæstina exules, quos ex Ægypto secuta est, Palladius his verbis narrat: *Cum Alexandriæ Præfectus Augustalis Isidorum*, *Euthimium*, *Adelphium*, *Paphnutium*, *Pambonem*, *inter quos etiam Ammonium*, *unam habentem auriculam*, *& duodecim Episcopos*, *Presbyterosque*, *& alios quosdam*, *usque ad centum duodecim numero*, *circa Palæstinæ Diocæsaream damnasset exilio*, *istos hæc beatissima omnes sequuta est*, *& propriis facultatibus eis ministerium suum præbuit*; servili etenim induta veste vespertinis horis, omnia eis vitæ necessaria afferebat, quod cum ægre ferret Palæstinæ Præses, eam corripi, & in carcerem trudi jussit. At Melania per internuncios se ipsam prodidit, ac quis esset indicavit, ille vero territus excusavit factum, & ita eam, ut meruerat, honoravit, ac jussit, ut ad illos quoties vellet accederet; monasterium deinde sibi fecit, in quo viginti & septem annos vixit, quinquaginta secum sorores virgines habens; alterum vero virorum, in quo Ruffinus totidem annis perseveravit. De eorumdem autem vivendi ratione piisque operibus, hæc inter cætera Palladius adnotat: *Isti igitur viginti & septem annis omnes apud Hierosolymam Sanctos*, *atque peregrinos Episcopos*, *& monachos*, *virginesque* (*hoc enim voverant Deo*) *suscipere propriis sumptibus*, *ac fovere consueverunt*, *omnesque ad se venientes meliores tantarum*, *ac talium rerum contemplatione fecerunt*. *Illos enim quadringentos numero monachos*, *qui propter Paulinum*, (*Antiochenum Episcopum scilicet*) *se ab Ecclesia separabant*, *sanctæ rursus Ecclesiæ reddiderunt*. *Omnes etiam præter hos perversæ sectæ homines*, *& contra Spiritum sanctum sacrilego ore certantes*, *ad Ecclesiam nostram*, *vera suadendo*, *ac jugiter cunctos docendo*, *revocaverunt &c.*

JESU CHR. AN. 373. Pallad. hist. Laus. 33. Pallad. ut sup.

16. Cum in Alexandrina sede Athanasio successisset Petrus, ac de ordinatione sua Basilium certiorem fecisset, is redditis ad Petrum litteris, ut Athanasii vestigiis inhæreret hortatus est: *Nobis enim*, inquit, *est persuasum*, *te viri talis alumnum*, *& longa illius consuetudine usum eodem incedere spiritu*, *eademque pietatis dogmata sequi*, ac ut sæpius ad se scribat hortatur; cum vero gravissimam persecutionem Ale-

Basil. Epist. 133. ad Petrum Alex.

Jesu Chr. an. 373. xandrinos, eorumque Episcopum Petrum pati, audivit, consolatorias ad eos litteras dedit, gravi se quoque eorum causa mœrore affectum fuisse adnotans, tandem post plurima: *Sed tamen sive temporaria est ista tentatio, ferte illam boni Christi Atletæ, sive etiam res summo interitui traditæ sunt, animo ne concidamus ob præsentia, sed expectemus e Cœlis revelationem, & adventum magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*. Deinde desiderium suum ipsos invisendi exponit, ni gravi morbo, ut ne lecto quidem surgere posset, detentus fuisset. Eodem tempore, eademque infirmitate afflictus scripsit ad Antiochenos, ut eos in ærumnis positos consolaretur, quibus etiam Nicænam fidem in memoriam revocat, atque Pnaumatomachos excommunicandos esse, decernit. Sed longum esset, quæ per singulos annos Basilius scripsit recensere, quadraginta etenim epistolæ ab eodem hoc anno scriptæ exscribendæ forent, in quibus aut de dogmatibus, aut de Ecclesiæ disciplina, aut de procuranda Ecclesiis pace agitur.

Epist.140.

Epist.120. ad n.160.

Ephrem S. Basilium adit

17. Hoc etiam tempore ad S. Basilium venit Ephrem Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, ut idem in oratione, quam de Basilii laudibus habuit, narrat, ac se divino quodam instinctu, ad eum, tanquam ad convivium cælestis sapientiæ pervenisse, commemorat, ac longa oratione exponit; historiam etiam Sanctorum quadraginta Martyrum ab eo se didicisse, & ferventiorem ad sua rediisse, addit. Multa alia in Ephrem vita narrantur de gestis inter Basilium, & Ephrem, inter cætera Basilium Ephremio obtinuisse, ut & Græcam linguam eo tempore intelligeret, & loqueretur, cum hactenus Syriacam tantum sciret. Per Interpretem tamen loquutum fuisse Basilium, in ea oratione Ephrem ipse testatur: *Quare libentius hæc prætermittimus*, inquit Baronius, *pauciora potius referre contenti, quam plura veritate nutantia inculcare*. Ejusdem colloquii meminit Sozomenus, idque ante Basilii Episcopatum accidisse, his verbis indicat: *Denique Basilius, qui postea Cæsareæ Cappadocum Metropolis Episcopus fuit, virum hunc*, idest Ephrem, *admiratus est, & eruditionis causa maxime suspexit*. Episcopatus tamen tempore Ephremium ad Basilium perrexisse verosimilius est, cum Basilius tanquam lucerna super candelabrum posita toto Orbi fulgeret.

Bar.370. 56.

Sozom.li.3.16

In-

18. Invitus Sasimensem Episcopatum susceperat Gregorius, ut supra diximus, cujus possessionem nunquam inierat, ab Anthimo etiam non solum precibus, aut minis, sed etiam armata manu prohibitus, ut idem Nazianzenus ad Basilium scribens testatur. Quare quieti iterum, & solitudini se dederat, at diu ea frui non licuit, nam Nazianzenæ Ecclesiæ administrationem suscipere hoc anno coactus est, cum Gregorius senex ejus pater, senio loboribusque fractus, tanto ferendo oneri impar jam esset, quapropter filium suum, ut sibi adesset, non solum rogavit, sed paterna auctoritate coegit, ut idem Gregorius his versibus narrat.

JESU CHR. AN. 373. Gregorius Nazianzenæ Ecclesiæ curam suscipit. *Greg. Naz. ep. 33.*

Profugus in aliis rebus, at firmus licet
Ignavus hic sum, Patris haud iram fero,
Ac primum tentat Sasimis me figere;
Quod cum negarem pertinax, cursum alterum
Tenet, rogatque, Sede ne maneam infima,
Sed collaborem (namque erat gravis admodum
Ætate), pondus & levem promptus suum:
Manusque tendit, ac meam barbam simul
Capessit, ad me vocibusque his utitur:
O chare fili, te pater supplex rogat,
Senex vigentem, Dominus & famulum suum.
Natura nam te, & lex duplex subdit mihi:
Non posco nummos, non lapillos fulgidos,
Agrosve, mollis quidquid & luxus lubet.
Cupio te Aroni jungere, atque Anna sato,
Ut præpotenti semper assistas Deo.
Te qui dedit, habet, Nate, ne spernas Patrem.
Sic solus ille sit tibi facilis pater.
Honesta posco; sin minus, pater petit.
Nondum tot anni sunt tui, quot jam in sacris
Mihi sunt peracti victimis, da quod peto,
Da quæso, corpus alte aut inhumet meum;
Hac ipse culpam pervicax pœna luas.
Parvum hocce tempus da mihi, cuius breve est
Quod restat, ac post ut lubet, tibi consule.
Hæc cum audissem, jamque Sol nubem, velut
Mens depulisset nonnihil pondus grave,

Greg. Naz. carm. de vita sua pag. 7. 10. 2

JESU CHR. AN. 373.

Quid sit, meorum & quæ malorum clausula?
Sic cogitavit, nil mihi hinc damni fore,
Adusque solium vota si explerem Patris.
Nec enim inquiebam, me reluctantem ista rei
Stringet, libet me nulla cum promissio.
Sic me reduxit obtinens palmam timor.
Ast ut parentes, ultimo functi die
Tenuere sedes expetitas perdiu,
Liber relictus sum &c.

Hæc Gregorius de Nazianzenæ Ecclesiæ administratione suscepta, ea tamen lege, ut post Patris obitum, liber ab eo onere remaneret.

Quo animo Gregorius Ecclesiæ curam susceperit.

19. Quo consilio Nazianzenæ Ecclesiæ regimen Gregorius susceperit, in oratione tunc habita his verbis indicat: *Loquar igitur, quando ita jubeor, partimque ad bonum hunc Pastorem, partim ad vos gregem sacrosanctum sermonem habebo, eaque dicam, quæ hodierno die, & mihi dictu, & vobis auditu meliora esse judico: Quid tibi accidit, ut collega opus haberes? A te enim initium ducam, o charum, mihique venerandum caput*, ad Patrem scilicet. Et post alia: *Vis nobis allata est, fratres & amici, vestram enim fidem, si non eo tempore, nunc quidem certe implorabo, vim inquam nobis attulit, tum Patris senectus, tum amici, ut leviter dicam, benignitas.* His addit, oneri imposito ea lege humeros supposuisse, ut post patris obitum liber abire posset, ut eadem oratione pluribus prosequitur.

Illyriciana synodus, ejusque decreta.

20. Illyricos Episcopos ad Consubstantialis Trinitatis fidem servandam, Arianorumque communionem vitandam litteris suis anno proximo excitaverat Damasus, cujus monitis obtemperantes synodum congregarunt, qua *Trinitatem semper, & ubique Consubstantialem* prædicandam esse docuerunt, ac Episcopos, aliosque aliter sentientes communione sua privarunt. Quo anno ea habita sit, etsi certo non constet, probabile tamen est, anno post acceptam Damasi epistolam celebratam fuisse. Baronius quidem, & Labbeus eamdem synodum anno 365. alligarunt; posteriorem tamen fuisse, inde facile ostenditur, quod in rescripto Imperatorum post eam synodum dato Gratianus Augusti titulo insignitus est. Is porro anno tantum

Baron. an. 365. 2.

tum 367. Lupicino, & Jovino Consulibus purpuram induit, unde anno 365. Augusti titulo Gratianus exornari non potuit. Synodica autem epistola Illyriciani concilii ad *Episcopos Ecclesiarum Dei Diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ Pacatianæ*, hæc habet. *Convenientibus nobis in unum, & habita maxima quæstione de salutari Verbo, probavimus Consubstantialem esse Trinitatem, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quamobrem justum fuit vobis litteras destinare, non quibusdam argumentationibus religionem Trinitatis scribentes, sed in humilitate rogantes: Has nostras litteras destinavimus per dulcissimum fratrem, & consacerdotem nostrum Elpidium presbyterum &c.* deinde se in confessione Consubstantialis Trinitatis perseverare testantur, & anathema iis dicunt, qui eam violare, aut negare præsumpserint, rogant etiam, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi ii tantum ordinentur, qui fide, & moribus irreprehensibiles sint, & a curia, aut militari officio alieni: *Propterea noluimus pluribus verbis de hoc scribere, eo quod miserimus unum ex omnibus Dominum nostrum, & comministrum Elpidium studiose prædicationem vestram cogniturum, an ita se habeant, sicut audivimus a Domino nostro, & consacerdote Eusthasio, nam & ipse frater, & comminister Elpidius docebit vos veram prædicare fidem.* Hactenus synodica epistola Illyriciani concilii, quam historiæ suæ inseruit Theodoretus.

Harduin. concil. tom. 1. pag. 794.

Theodor. lib. 4. 9.

21. Extat etiam Imperatorum rescriptum, quo Episcopi excitantur, ut Illyricianæ synodo pareant, & Nicænam fidem ubique prædicent: hæc autem se jubere Imperatores testantur, non sua auctoritate id imperantes, sed synodi decreta confirmantes. *Nostra vero Majestas eamdem ubique prædicari præcepit, sic tamen, ut ne quis dicat, secutum se esse religionem Imperatoris, qui hunc Orbem gubernat, spreto illo, qui mandata nobis de salute nostra reliquit; etenim in Evangelio Dei nostri hæc habetur sententia: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo &c.* Imperatorum rescripto fidei formula ab Illyricianis Patribus vulgata addita est, qua Dei Filius non solum consubstantialis dicitur, sed eadem vox Consubstantialis longa oratione exponitur, ac tandem: *Nos vero perinde sentimus, ac synodi, tum quæ Romæ, tum quæ in Galliis nuper factæ sunt, unam, eamdemque substantiam Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti in tribus esse personis,*

Rescriptum Imp. quo Nicæna fides prædicatur. Theod. cap. 8.

JESU CHR. AN. 373. *nis, hoc est, in tribus perfectis subsistentiis. Confitemur etiam, juxta expositionem fidei Nicænæ, Filium Dei consubstantialem, incarnatum esse ex Sancta Virgine Maria, & inter homines habitasse, & universam pro nostra salute dispensationem implesse &c.* Hactenus Imperatorum rescriptum, quod quidem Valenti Imperatori inscribendum censuit Baronius; Valentiniano tamen tribuendam esse disertis verbis testatur Theodoretus, additque post Ambrosii ordinationem in Episcopum Mediolanensem mense Decembri, hoc, aut proximo anno celebratam, vulgatum fuisse. Neque his obstat, ejuscemodi edictum Orientalibus etiam Episcopis missum fuisse, scimus etenim Valentinianum in Imperii administratione primas semper partes tenuisse, ac Valentem: *In modum apparitoris morigeri* semper fuisse, ait Ammianus.

Bar. 365. n. 25

Ammian. lib. 26. 4.

Valens Magos, & Divinatores vexat.

22. Cum Antiochiæ esset hoc anno Valens Imperator, Magiæ deditos, qui de Imperatoris vita dæmones consuluerant, deque futuro successore solliciti fuerant, variis affecit suppliciis, de quibus plura Ammianus, & Zosimus, sed Sozomenum hæc narrantem audire præstat: *Nonnulli, qui in Philosophia præstare cæteris videbantur, Christianæ Religionis incrementum ægre ferentes, quisnam Valenti in Imperio successurus esset, prænoscere studuerunt. Cumque ejus rei causa omnia divinandi genera tentassent, tandem tripodem ligneum ex lauro fabricarunt, & invocationibus, ac verbis solemnibus consecrarunt, ita ut ex collectione litterarum per singula elementa, quæ per artem tripodis, atque oraculi designabantur, nomen futuri Imperatoris appareret. Porro cum omnium vota inclinarent in Theodorum, qui tum splendide in Palatio militabat, Gentilem quidem, sed egregium alioqui virum, ordo litterarum ad quartum usque ejus nominis elementum progressus, Philosophos in fraudem induxit. Brevi enim sperabant, Theodorum Imperio potiturum esse. Verum prodito eorum conatu, Valens, quasi salus ipsius insidiis appetita fuisset, incredibili ira succensus est. Itaque Theodorus, & tripodis artifices comprehensi, hi quidem flammis absumpti sunt*, ille gladio percussus. Una cum Theodoro perierunt quotquot criminis aut participes, aut socii fuerunt; imo cum iis quotquot in Imperio Romano celebriores erant Philosophi, aut philosophica veste utebantur. Neque eorum supplicio Valentis ira ex-

Amm. Marcell. lib. 29. 1.
Soz. li. 6. 35.

extincta est, nam eumdem exitum habuerunt quamplurimi, quorum nomina per litteras Theod incipiebant. Quare necabantur passim Theodori, Theodosii, Theodori, Theoduli, inter eos Theodosiolus quidam vir nobilis, & fortissimus in Hispania natus. Hinc factum, ut multi, ad evadendum periculum, nomina sua immutaverint.

JESU CHR. AN. 373. Socra. li. 4. 19

23. Ad extirpandas illicitas magiæ artes, libros de ea agentes diligentissime inquiri, & igne comburi jussit Valens, quorum innumeri codices, multaque volumina, undique cremata sunt, ait Marcellinus, capitali etiam pœna adversus Magos lata. Eodemque tempore se in vitæ discrimine fuisse, etsi adolescentulus esset, Crysosthomus narrat, eo quod magiæ librum in fluminis ripa natantem collegisset: *Mota est olim, me adhuc adolescentulo, magna Tyrannorum hostilitas, militibus etiam foris extra civitatem ad insidias positis, forte fortuito libellos quærebant incantatorios, & magicos. Et qui scripserat librum, nondum perfectum in flumen abjecerat, & captus, cum postularetur ab eo, reddere non poterat, sed ducebatur per totam civitatem vinctus, & cum ita accusaretur, dedit pœnam. Tunc ergo ad Martyris ædem proficisci volens, transibam per hortos juxta flumen cum alio quodam. Ille autem viso libro, qui in superficie fluebat, primum quidem putabat linteum esse, proprior autem factus, agnovit esse librum, & descendens recepit. Ego autem contemnebam ut de communi invento, & ridebam. Sed videamus, inqui, quidnam hoc sit. Revolvit partem paginæ, & invenit scripta magica. Accidit autem eodem tempore, militem transire, qui hoc animadvertens, abiit, & timere nos fecit. Quis enim credidisset, quod e flumine sumptum sustulissemus, cum omnes tunc etiam, qui non suspecti essent, detinerentur? & abjicere non audebamus, ne videremur, idem erat periculum, si scinderemus. Concessit igitur Deus, & abjecimus, & postea a periculis liberati sumus.* Hæc Crysosthomus, Dei beneficio adscribens, quod e tanto eum periculo liberasse.

Magiæ libri igni traditi.

Marcell. lib. 29.

24. Cum Firmus hoc tempore in Africa tyrannidem occupasset, Theodosium Theodosii Magni patrem ad eum debellandum Valentinianus Imperator delegavit, cujus opera, & industria semel, iterumque fugatus, perhonorificam Episcoporum legationem Firmus ad Theodosium, pacem deprecans mi-

Firmi rebellio in Africa, ejusque interitus.

Jesu Chr. an. 373.

misit. *Firmus fessus ærumnis gemini prælii*, ait Marcellinus, *immoque æstimans certe, ne quid ultimæ rationis omitteret, christiani ritus Antistites oraturos pacem cum obsidibus misit. Qui quoniam suscepti lenius, pollicitique victui congrua militibus (ut præceptum est) læta retulere responsa, præmissis muneribus Maurus ipse fidentius ad Romanum perrexerunt ducem, equo insidens apto ad ancipites casus*. Obtenta a Theodosio venia, bonæ spei jam plenus, sufficientia præbuit alimenta, & quibusdam propinquis suis ad obsidum vicem relictis, abscessit, ac captivos, ut spoponderat, reddit. At cum paulo post fracta fide in Romanos iterum arma intulisset, a Theodosio iterum victus, desperatis rebus, sibi ipsi hoc anno vim intulit, & spontaneo laqueo vitam finivit, ut idem Marcellinus narrat. Firmo frater fuit Gildo ejusdem rebellionis particeps, ut idem Marcellinus, & Claudianus narrant. Hujus Gildonis memoria celebris est in Donatistarum historia, nam cum Donatistarum schismati faveret, eaque causa, impellente Optato Donatistarum Episcopo, Catholicos persequeretur, ipse Optatus Gildonianus dictus est. Sed de his inferius.

Marcell. lib. 29.

Theodosius senior occiditur.

25. Cum Africam a Firmi tyrannide Theodosius liberasset, pro triumpho supplicium obtinuit, dum stimulante invidia jussus est interfici: cumque Carthagine Christi sacramentum. idest baptisma suscepisset: *Post gloriosam sæculi vitam, etiam de vitæ æternitate securus, percussori jugulum ultro præbuit*, ait Orosius, eodemque tempore Theodosium juniorem ejus filium ad necem quæsitum fuisse, sed divina voluntate servatum, narrat S. Ambrosius, in oratione in funere ejus habita hæc adnotans: *Portavit jugum grave Theodosius a juventute, quando insidiabantur ejus saluti, qui Patrem ejus triumphatorem occiderant*. Qua autem de causa Theodosius senior tot victoriis clarus obtruncari jussus sit, nemo est, qui tradat; unde si conjecturis locus, ex Valentis Imperatoris dolo & insidiis per[illegible], credibile est, ob odium in eos conceptum, quorum nomina ex litteris *Theod* incipiebant, cumque [illegible] imperio plurimos interfecisset, qui Theodoti, Theoduli, Theodori, aut Theodosii nomen habebant, apud Valentinianum auctor fortasse fuit, ut vir militari virtute in toto Imperio illustris per calumniam periret.

Hoc

26. Hoc etiam anno, *Gratiano adscito in societatem Trabeæ, Æquitio Consule, Valentiniano offertur relatio Probi docentis Illyrici clades*, ait Marcellinus de gestis hoc anno Gratiano & Æquitio Coss., qui de Quadorum, Sarmatarum, Marcomannorum incursionibus plura refert, eos scilicet subitis incursionibus in Romanum solum irrupisse, ac Alpes Julias transgressos Opitergium excidisse, Aquilejam deinde progressos irrito conatu obsedisse: quo tempore parum abfuit, quin Constantii filia Gratiano nuptura, in Villa Pistrensi tunc agens, a Barbaris caperetur, ni Messala provinciæ Rector, carpento impositam, Sirmium reduxisset. Sed de his plura apud Marcellinum videri possunt.

Jesu Chr. an. 374. Quadi, & Sarmatæ Imperium vexant. *Marcell. lib. 29. 6. & lib. 30. 5.*

JESU CHRISTI AN. 374. DAMASI PAPÆ 9.
VALENTINIANI, ET VALENTIS IMP. 11. GRATIANI IMP. 8.
COSS. GRATIANO AUG. III., ET ÆQUITIO.
OLYMP. 288. AN. 2. URB. AN. 1127.

1. Labenti anno 374. Ambrosium Mediolanensem Episcopum ordinatum fuisse, adeo certum est, ut nonnisi errando ad alterum annum ejus ordinatio alligari possit, ut viris alioquin eruditis contigit, de quibus plura in ejus vita apud Maurinos, aut Valarsium videri possunt. Nonnulla hoc loco de ejusdem gestis usque ad Episcopatum adnotamus. Natus itaque ex Ambrosio Galliarum Præfecto circa annum 340. quem Arelatenses, Trevirenses, ac Lugdunenses civibus suis inscribunt; at quibus hic debeatur honor incertum est. In incunabulis positus, cum quadam die in atrio Prætorii aperto ore dormiret, apum examen circa eum advolasse narrat Paulinus, ita ut in os quoque alterna vice ingrederentur, & egrederentur, quod ut pater ejus admirans vidit: *Si vixerit*, ait, *infantulus iste, aliquid magni erit*. Patre interea in Galliis mortuo, mater cum filiis Ambrosio, Satyro, & Marcellina Romam rediit, ubi cum esset Ambrosius, videns Marcellinam sororem, aut matrem, sacerdotum manus exosculari, *ipse ludens offerebat dexteram, dicens, & sibi id ab ea fieri oportere, siquidem se Episcopum futurum esse memorabat*, quod & eventus probavit. Marcellina autem virginitatis velum a Liberio Pontifice circa annum 352. accepit; quo tem-

Ambrosii genus, educatio & studia. *Valars. in oper. Hieron. tom. 8. p. 813.*

Jesu Chr. an. 374. pore Ambrosius annum decimum tertium agebat, liberalibus disciplinis imbutus, & in virginum contubernio educatus, virginitatem perpetuo coluit; ac dicendis in Foro causis jam aptus, tantam ingenii, eloquentiæ, & gravitatis copiam vel adolescens exhibuit, ut Probus Præfectus Prætorii *eum ad consilium tribuendum* eligeret. Probi mentio est apud Marcellinum: *Ad regendam Præfecturam ab urbe Probus accitus, claritudine generis, ac potentia, & opum amplitudine cognitus Orbi Romano*. Probus itaque circa annum 368. Præfectus Prætorii factus, post annos aliquot, ad Insubriam regendam Ambrosium destinavit: *Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum*, cui Probus, quasi futurorum præscius: *Vade*, inquit, *age, non ut Judex, sed ut Episcopus*.

Marcell. lib. 27.11.

Ambrosius episcopus eligitur, & ordinatur. Theodor. lib. 4.6 & 7.

2. Mortuo interea Auxentio Mediolanensi Episcopo Ariano, Valentinianus Imperator accersitis ad se Episcopis, ut dignum tanta Sede Episcopum eligerent, hortatus est, qui non doctrina solum, sed etiam vitæ sanctitate Mediolanensibus præesset. Episcopi vero Imperatorem rogarunt, ut Episcopum ipse eligeret: *Ille majus est*, inquit, *viribus meis istud negotium. Vos vero, qui Divina gratia repleti estis, & qui divinum illud numen haustistis, melius electuri estis. Egressi igitur ex Palatio Episcopi inter se deliberarunt*. Mediolanenses vero cives magna animi contentione inter se diffidebant; nam qui Auxentii morbo laborabant, communionis suæ homines eligebant; contra vero pars sanior Antistitem, qui eamdem cum ipsis catholicam Fidem sequeretur, postulabant, cumque ad seditionem pene res inclinarent, Ambrosius provinciæ Præses *ad Ecclesiam perrexit*, ait Paulinus, *ibique cum alloqueretur populum, subito vox fertur infantis in populo sonuisse Ambrosium episcopum, ad cujus vocis sonum totius populi ora conversa sunt acclamantis Ambrosium episcopum; ita qui antea turbulentissime diffidebant, quia & Ariani sibi, & Catholici sibi Episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinati repente in hunc unum mirabili, & incredibili concordia consenserunt*.

Ambrosius multis modis Episcopatum declinare tentat, sed frustra.

3. Tanto populi consensu perterritus Ambrosius, totis viribus pastorale officium declinare tentavit, ac primo: *Egressus Ecclesiam, tribunal sibi parari fecit, & contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi*, ut eo facto Episcopatu

copatu indignum, & ut feveriffimum judicem populo fe exhiberet; *quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat*: *Peccatum tuum fuper nos*. Sua itaque fruftratus fpe Ambrofius, ad alia fe convertit, & quafi hominum impudiciffimus effet, *publicas mulieres ad fe ingredi fecit, ut his vifis populi intentio revocaretur*. *At populus magis magifque clamabat*: *Peccatum tuum fuper nos*, cum hæc in fcena, & ficte ad declinandum Epifcopatum ab eo fieri non ignoraret.

JESU CHR. AN. 374.

4. His fruftra tentatis, *fugam paravit, egreffufque noctis medio civitate, cum Ticinum fe pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanenfis, quæ Romana dicitur, invenitur, qui inventus cum cuftodiretur a populo*, ne iterum fuga evaderet; *miffa relatio eft ad Clementiffimum Imperatorem Valentinianum, qui fummo gaudio accepit, quod judex a fe directus ad facerdotium peteretur*. Interea dum Imperatoris confenfus expectaretur, *iterum fugam Ambrofius paravit*; *atque in poffeffione cujufdam Leontii clariffimi viri aliquandiu delituit*; *fed ubi relationi refponfum eft*, ideft ubi Imperatoris confenfus adfuit, *ab eodem Leontio proditur*, præceperat enim Imperator Vicario, ut Mediolanenfium votis in Ambrofii ordinatione fatisfaceret; ideoque *injuncta fibi cum vellet implere, propofito edicto convenit omnes, ut fi vellent fibi confulere, rebufque fuis, proderent virum*, ideft Ambrofium. *Proditus itaque & adductus Mediolanum, cum intelligeret fe circa Dei voluntatem diutius non poffe refiftere, poftulavit fe nonnifi a catholico Epifcopo baptizari, follicite enim cavebat perfidiam Arianorum*. *Baptizatus itaque fertur omnia ecclefiaftica officia impleffe, atque octava die Epifcopus ordinatus eft fumma cum gratia, & lætitia cunctorum*, ait Paulinus Ambrofio non folum coævus, fed & familiaris; invitum vero, ac reluctantem ordinatum fuiffe non folum hiftorici omnes teftantur, fed idem Ambrofius ad Vercellenfem Ecclefiam fcribens confirmat: *Refiftebam ne ordinarer, poftremo cum cogerer, faltem ut ordinatio protelaretur, fed non valuit præfcriptio, prævaluit impreffio*; nec deerant Ambrofio jufte, cur ordinationem refugeret, caufæ: inter cætera eo quod adhuc catechumenus effet, quem uti Neophytum Apoftoli præceptum, & Nicæni canones a facerdotio arcebant, fæpe tamen accidit, ut quæ in Ecclefiæ utilitatem ftatuta fuerant, ejufdem

Ambrofii fuga, & latebra.

JESU CHR. AN. 374.

Ecclesiæ necessitate, aut utilitate suadente, provida dispensatione violarentur, ut & in Ambrosii ordinatione contigit, qui non solum neophytus, sed catechumenus adhuc in Mediolanensem Episcopum postulatus, octava a suscepto baptismate die, Episcopus est ordinatus, cujus præclara gesta inferius dicenda reservamus, in fine etenim hujus anni, idest septimo idus Decembris ejusdem ordinatio contigit. Inter cætera, de gestis Episcopatus initio, narrat Paulinus: *Sollicitus pro pauperibus, & captivis in tempore, quo Episcopus ordinatus est, aurum omne, aut argentum quod habere poterat, Ecclesiæ, aut pauperibus contulit. Prædia etiam, quæ habebat, reservato usufructuario germanæ suæ donavit Ecclesiæ, nihil sibi, quod hic suum diceret derelinquens &c.*

Ambros. vita cap.38.

Pro Ambrosii ordinatione Valentinianus gratias Deo reddit. *Theodor. lib. 4.7.*

5. Ob tam admirabilem, insperatamque Ambrosii ordinationem, Valentinianus Imperator quammaximas Deo gratias egit, quod huic viro, cui ipse corpora commiserat, Deus animas regendas commisisset. Ambrosius vero diligentissimi Pastoris officio fungens, paucis elapsis diebus multa cum libertate Imperatorem alloquens, nonnulla reprehendit, quæ a Magistratibus haud recte gerebantur, cui Imperator: *Hanc tuam libertatem jampridem cognitam habebam; sed eam cum probe nossem, non solum non contradixi, immo assensum præbui ordinationi tuæ; proinde delictis animorum nostrarum medicinam adhibe, quemadmodum Divina lex præcipit.* Sed de Ambrosiii ordinatione hactenus.

Martinus Turonensis episcopus ordinatur.

6. Eodem fere tempore, quo Ambrosius Mediolanensium Episcopus est ordinatus, Turonensem cathedram adeptus est Martinus, cujus fama ob virtutum splendorem, miraculorumque frequentiam per omnes Galliæ provincias increbuerat. Qua autem ratione ex Pictaviensi monasterio eductus, invitus fere Episcopus ordinatus fuerit, ex Sulpicio audire præstat: *Sub idem fere tempus ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur, sed cum erui a Monasterio suo facile non posset, Raricius quidam, unus e civibus, uxoris languore simulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur obtinuit. Ita dispositis jam in itinere civium turmis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur;* ubi incredibilis multitudo non solum Turonensium, sed etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat. Episcoporum tamen nonnulli, ad novi Episcopi electionem ordina-

Sulp. Martini vit.p.18.

nationemque vocati, Martino manus imponere recusarunt, quem contemptibilem, ac Episcopatu indignum, utpote vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem esse dicebant; multitudinis tamen, cæterorumque Episcoporum sententia prævaluit. Inter Episcopos, qui adfuerant, Defensor quidam nomine restiterat, quem vox prophetica obmutescere coegit. Nam cum fortuito unus ex circumstantibus, aperto Psalterio, eum psalmi locum legisset, quo dicitur: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & defensorem, quo lecto, clamor populi tollitur, pars diversa confunditur.*

Jesu Chr. an. 374.

7. Episcopatu adepto, *idem, qui prius fuerat, constantissime perseveravit,* ait Sulpicius, *eadem in corde humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat, atque ita implebat Episcopi dignitatem, ut tamen propositum monachi virtutemque non desereret, aliquandiu ergo adhærente ad Ecclesiam cellula usus est, deinde cum frequentantium inquietudinem ferre non posset, duobus fere extra civitatem millibus monasterium sibi statuit,* ubi exemplo magis, quam verbis præerat, ut ibidem narrat Sulpicius, qui & adnotat, ex Martini monachis Episcopos plures se vidisse, cum unaquæque civitas ex ejusdem monasterio cuperet habere Sacerdotem.

Martini episcopi vivendi ratio.

8. Quanta autem miraculorum gloria Martinus fulgeret, ex iis, quæ cum Valentiniano Imperatore egit, facile constabit, nam cum necessitate quadam impulsus Imperatorem adiisset; is vero ea, quæ Martinus poscebat, præstare nollet, eum Palatii foribus arceri jussit; quare ubi semel atque iterum principem frustra adire Martinus tentasset, ad solita præsidia confugit, idest orationibus jejuniisque instantius vacat. Cum ecce die septima, cælesti confirmatus visione, ad Palatium securus pergit; & sane limina patent, nullus obsistit, ac usque ad Imperatoris præsentiam pervenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens cur fuisset admissus, nequaquam adsurgere dignatus est adstanti: *Donec regiam sellam ignis operiret, ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, adflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, & Martino invitus adsurgit: multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatetur; nec expectatis Martini precibus, prius omnia præstitit, quam ro-*

Martinus Valentinianum adit, quid cum eo egerit.

JESU CHR. AN. 374. *rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adscivit; postremo abeunti multa munera obtulit, quæ vir beatus, ut semper paupertatis suæ custos, cuncta rejecit*, ait Sulpicius loco citato.

Concilium Valentinum ejusque canones. *Hard. concil. tom. 1. p. 795.*

9. Hoc eodem anno 374. Coss. Gratiano Aug. III., & Æquitio, celebratum est concilium Valentinum, quo Episcopi viginti unum quarto idus Julias congregati, de ecclesiastica disciplina servanda quatuor canones ediderunt, quorum primo Bigami, aut internuptarum mariti ab ordinum susceptione omnino arceantur; qui vero antea per imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam præsumptionem ordinati fuerant, *placuit de eorum statu nihil resolvi, si nulla extrinsecus causa procedat, qua indigni ministerio comprobentur*. Secundo canone, Virgines, quæ se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, nec pœnitentia statim detur, & cum data fuerit, nisi prius satisfecerint Deo, communio differatur. Tertio canone cautum est, ut iis, qui post sanctum Lavacrum, vel profanis sacrificiis Dæmonum, vel incesta lavatione se polluerunt, juxta synodum Nicænam, satisfactionis aditus non negetur, sed usque ad diem mortis pœnitentiam agant. Canone quarto tandem, ut quicumque ordinationis suæ tempore mortali crimine dixerit se fuisse pollutum, ab Ordinibus arceatur, *reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis*. Synodi gesta ad Galliarum Episcopos missa sunt, ut cunctis nota essent, quibus congregati patres hæc scripserunt: *Dilectissimis fratribus per Gallias, & quinque provincias constitutis Episcopis Foegadius, Eumerius, Florentius, Artemius*, & cæteri: deinde narrant se Valentiæ convenisse, ut ea removerent, quæ Ecclesiæ sanctitati adversabantur: *Quocirca*, subdunt, *librato diu, moderatoque consilio ea cautelæ ratio servata est, quæ & scandala submoveret, & sanctitatem Ecclesiæ custodiret*. Ejusdem synodi alia extat synodica epistola, cui Fœgadius, qui eidem synodo præfuerat, quique primus etiam in epistolæ inscriptione legitur, subscripsit; eaque *Fratribus, Clero, & plebi Ecclesiæ Forojuliensis* data est, qua Acceptum virum alioquin Episcopatu dignissimum, qui ad vitandam ordinationem capitale crimen confessus fuerat, ad Episcopalem ordinem juxta Valentini concilii decreta non esse admittendum decernitur, ut ibidem videre est.

In-

Jesu Chr. An. 374.

De Epiphanii genere, & gestis, usque ad Episcopatum.

10. Inter Episcopos doctrina, & sanctitate illustres, Epiphanius quoque Salaminæ in Cypro episcopus recensetur, utpote qui non solum creditam sibi Ecclesiam sanctissime gubernaverit, sed etiam eruditione & scriptis illustraverit. De ejusdem vita, & gestis multa quidem Annalibus inseri possent, si meliorem vitæ scriptorem sortitus fuisset, nam Joannes, etsi se discipulum Epiphanii fuisse scribat, talem tamen apud eruditos sibi fidem vindicat, ut cum Metaphraste merito compare-tur, cujus *explodimus acta*, ait Baronius, *quæ compluribus conferta reperiuntur esse mendaciis*. Eam græce, & latine Petavius edidit, latinam antea Surius vulgaverat. *Natus* est autem Epiphanius *juxta Bezanducem vicum in territorio Eleutheropolitano*, ait Sozomenus, de cujus ætate Hieronymus in libro de viris illustribus, hæc adnotavit: *Superest usque hodie, & in extrema senectute varia condidit opera*. Itaque anno 392. quo opus suum Hieronymus absolvit, Theodosii Imperatoris 14., Epiphanius in extrema senectute erat, quem sexagenario saltem majorem tunc fuisse, ac proinde circa annum 330. in lucem prodiisse sequitur; adolescentiam vero ingressus, monasticam vitam suscepit: *Qui cum ab ineunte adolescentia, a præstantissimis monachis institutus fuisset, ejusque rei causa diutissime moratus esset in Ægypto, in monastica philosophia celeberrimus extitit non apud Ægyptios solum, sed & Palæstinos, verum etiam apud Cyprios, apud quos electus est; ut in Metropoli totius insulæ episcopatum administraret*. Dum autem in Ægypto adhuc esset, illibatum ejus animum subvertere conati sunt Gnostici, at salvus evasit, ut idem narrat: *Nam & nos, carissimi, in illam hæresim incurrimus, & ex ipsomet eorum, qui hanc proprie, & ex instituto tractant, ore ac magisterio didicimus. Ad id vero comparatæ deceptæque mulieres non solum istiusmodi nobis sermones injecerant*; & inde petulanti conatu ad libidinem se ab iisdem mulieribus excitatum fuisse addit; Dei autem protectione munitum, se insidias illecebrasque vitasse adnotat.

Epiph. op. tom. 2. Surius 12. maji.
Sozom. lib. 6. 32.
Hier. de vir. ill. in Epiph.
Sozom. ut sup.
Epiph. hær. 26. n. 17. tom. 1. pag. 99.

11. Cumque ob vitæ innocentiam, doctrinæque præstantiam, in maxima ubique celebritate esset Epiphanius, Salaminæ in Cypro totius insulæ Metropolis Episcopus ordinatus est. Quo autem anno in Cyprum appulerit, ac Salaminæ Episcopus ordinatus fuerit nullibi constat; Valentis tamen Prin-ci-

Epiphanius Episcopus ordinatur, ejus vitæ sanctitas
Sozo. li. 6. 32.

Jesu Chr. an. 374. cipatu episcopatum adeptum fuisse testatur Sozomenus; quem etiam, ob tanti viri reverentiam, sua sede exturbare Valens non est ausus: *Ille*, (idest Epiphanius) inquit Hieronymus, Hieron.ep.61. *a Valente non tangebatur. Tantæ enim venerationis semper fuit, ut regnantes hæretici ignominiam suam putarent, si talem virum persequerentur*. Itaque post annum 364. Valentis Imp. primum Salaminæ episcopus ordinatus per annos 36. eam Ecclesiam sanctissime gubernavit; unde Palladius, Theophilum *qui Beatum Epiphanium Constantiæ in Cypro Episcopum, qui 36. annos Ecclesiæ præfuit, probris affecerat, ut hæreticum, aut schismaticum traducit*. De Epiphanii eruditione adnotat Hieron. linguarum peritia claruisse: *Tu*, inquit, *bilinguis eris, qui* Hier. apol. in Ruffin. cap.3. *tantam habes Græci, Latinique sermonis scientiam. Et Papa Epiphanius Pentaglotos, quia quinque linguis contra te, & Amasium tuum loquitur*.

Epiphanius librum de hæresibus scribit. 12. Inter cætera eruditionis monumenta ab Epiphanio posteritati relicta, liber de hæresibus numeratur, cui hoc anno manum admovit, quo cunctas ab origine Mundi hæreses, errorumque portenta recensuit, usque ad eam ætatem, idest usque ad annum *Valentiniani, & Valentis XI. Gratiani VII*. Quod opus biennio post, anno scilicet 376. Gratiani anno IX. & Valentiniani junioris primo, absolvit. Hinc de Manichæis Hier.66.pag. 638. agens, & tempus designans, ex quo exorti fuerant, usque ad annum quo contra illos scribebat, adnotat, quod ab eorum ortu ad hunc annum, *qui est Valentis 13. Gratiani 9., & Valentiniani junioris primus, anni 107. numerentur*. Operi vix manum Epiphanius admoverat, cum illud opus ad se transmitti enixe rogarunt Paulus, & Acacius presbyteri, & Archimandritæ in Syria anno sequenti, quorum ad Epiphanium extat epistola, cum hac inscriptione, *Epistola anno Diocletiani 92. Valentiniani. & Valentis 12.*, idest anno sequenti, *Gratiani 8. ad Epiphanium &c.* Post multa in Epiphanii laudem hæc addunt: *Petionis nostræ summa hæc est, ut quæ nonnullis fratribus dixisti, ea ad nostram institutionem impertiri non graveris. Ac nomina quidem ipsa, quæ a te sunt hæresibus imposita, jam audivimus, nunc uniuscujusque sectæ dogma perspicue declarari a tua pietate cupimus*.

Epiphanius epist.ad Acacium,& Paulum. 13. Epiphanius vero Paulo & Acacio rescribens, librum de hæresibus misit, ac epistolam suam præfationis loco esse voluit,

fuit, qua etiam rationem reddit, cur *Panarium*, seu medicam arculam, hoc opus inscripserit: *Quoniam hæreseon omnium nomina declaranda vobis hoc in libro suscepimus, nec non execranda, ac nefaria illarum flagitia, sic tanquam præsentissima quædam venena patefacere volumus, atque his velut antidota quædam opponentes, quæ vel iis, qui morsu petiti sunt, remedio esse possint, vel eos, quibus ne incidant periculum est, præmuniant, ac conservent, honestarum rerum studiosis conscribere. Panarium, sive arculam medicam ad eorum, qui a serpentibus icti sunt, remedium jure Opus illud, ac librum interpretabimur: qui in tres partes divisus, hæreses octoginta complectitur, quæ serpentum, ac reptilium similes sunt*. Librum suum in tres partes, seu libros distinxit, quibus omnes hæreses complectitur, tam illas, quæ Christi adventum præcesserant, quam eas, quæ subsequtæ sunt, usque ad labentem annum, quas omnes ad octoginta capita restrinxit, ut in præfatione testatur.

14. Hoc etiam anno rogatus a nobilioribus & clericis Ecclesiæ Svedrorum in Pamphylia, librum de Fide catholica, seu Ancoratum Epiphanius edidit, quo non solum rectam de Trinitate fidem exposuit, sed de Incarnatione etiam, aliisque fidei catholicæ capitibus differit, omnesque hæreses paucis iterum confutat, ut ibidem videre est; labente autem hoc anno Ancoratum scripsisse his verbis adnotat: *Nam hic annus est 90. Diocletiani; Valentiniani, & Valentis decimus, Gratiano III., & Æquitio Coss.* Hujus commentarii meminit ipse Epiphanius in libro de hæresibus cap. 69., rationemque reddit, cur Ancoratum inscripserit: *De his omnibus*, inquit, *jam disputavimus in magno illo de Fide libro, quem pro ingenii nostri mediocritate, atque imbecillitate fratrum nostrorum precibus, & hortationibus adducti perscripsimus, cui Ancorati nomen indidimus, propterea quod, quantum pro ingenii nostri inopia, adjuvante Deo, consequi potuimus, ex universa Scriptura vera ac germana divinæ doctrinæ dogmata colligentes, velut ancoram quamdam in eorum, qui uti vellent, gratiam, sanctissimam Patrum nostrorum fidem, Apostolicam, ac Propheticam ab initio ad hodiernum usque tempus in sancta Dei Ecclesia prædicatam manifeste proposuimus, ad fulciendos, & stabiliendos animos, ne Diaboli commentis, ac fraudibus huc illuc-*

Epiphanius Ancoratum, seu librum de fide scribit.

Epiphan. hær. 69. 27. tom. 1. pag. 751.

 illucque jactarentur &c. Huc usque Epiphanius de Ancorato a se hoc anno scripto.

Gregorii senioris obitus.

15. Nazianzenæ Ecclesiæ administrationem vivente patre susceperat Gregorius junior, ut anno proximo diximus; hoc anno ejusdem Ecclesiæ cura, parentis obitu, liberatus est, cum annis quadraginta quinque senior Gregorius eidem Ecclesiæ præfuisset: *Cum centum ferme annos vixisset, hoc est ultra Davidicos, ex iisque in Sacerdotio quinque & quadraginta, quæ fere humanæ vitæ mensura est, exegisset, ita demum in bona senectute vitam claudit.* Inter cætera, quæ ibidem de Patris laudibus narrat Nazianzenus, illud notatu dignum est, quod ingravescente morbo, ac pene ad vitæ exitum properante, nihilominus in Paschatis festo, proprio in cubiculo Eucharistiam consecravit, & sumpsit, qua aliquatenus recreatus sequenti die ad Ecclesiam perrexit, ut pluribus narrat Nazianzenus his verbis: *Mysterii tempus aderat, cum ille ab eo, qui mortuos ad vitam revocat, & a nocte sacrosancta excitatur. Primo paulum se movet, deinde firmius, mox exigua admodum, & obscura voce famulum quemdam ex iis, qui ei assistebant, nominatim accitum præsto esse, ac vestem porrigere, manumque subducere jubet, qui cum non sine stupore adesset, prompteque obsequeretur, ipse manu tanquam baculo ductus, Moysem illum in monte orantem imitatur, fractisque, ac debilitatis manibus ad orationem compositis, alacri animo cum populo, vel ante populum mysteria peragit, paucis quidem, & quibus poterat verbis, mente autem, ut mihi videtur, perquam integra (rem miram!) sine sacrario in sacrario, sine altari sacrificus, sacerdos a mysteriis procul remotus, postea cum Eucharistiæ verba prout consuetudo fert effatus esset, ac populum benedixisset, in lectulum rursus se conjicit;* paulatim inde recreatus, *cum novus ille festi dies jam adesset*, secundus scilicet Paschatis, *in Templum se confert, ac cum omni Ecclesiæ ag‸‸e salutis Æncænia celebrat, atque in grati animi significationem sacrificium offert*; ingravescente tamen iterum morbo, paulo post obiit.

Greg. Naz. orat. 19. in fun. Patris p. 281.

pag. 273.

Privatæ Missæ exemplum in privato oratorio.

16. In hac Nazianzeni narratione privati oratorii, ac privati sacrificii exemplum habemus, dum pius senex proprio in cubiculo Eucharistiam consecravit, & sumpsit; unde privata Missa, quæ novatoribus piaculum est, dum cum Sacerdote

te

te nemo alius communicat, eo exemplo tamquam religiosa res, piisque viris digna comprobatur. Nec Basnagio consentire possumus adnotanti: *Unde apparet in cubiculo quidem, at non sine communicantibus fidelibus Eucharistiam esse confectam*, de suo enim addidit, ac sibi finxit, fideles in Nazianzeni cubiculo Eucharistiam sumpsisse: ait quidem Nazianzenus junior hæc narrans, eum populum benedixisse; at absentem, & in Ecclesia congregatum, quare addidit etiam *cum populo & ante populum mysteria peragit*, cum populo scilicet vinculo charitatis, ante populum vero, quia nondum hora advenerat, qua cum populo solemniter mysteria Gregorius alter celebraturus erat, quare cum communicantibus fidelibus Eucharistiam tunc confecisse Gregorium, aut vigilans somniavit Basnagius, aut incautos fallere imprudens voluit. De Oratoriis privatis vide Gattici commentarium, ubi plurima alia ejuscemodi exempla occurrunt.

JESU CHR. AN. 374. *Basnag. an. 374. n. 9.*

17. Funebri orationi, quam in patris laudem Nazianzenus recitavit, aderat ejusdem fere ætatis uxor, quam in viduitate consolatur: *Restat*, inquit, *ut cum spirituali Sara magni nostri patris Abrahæ conjuge, atque ejusdem ætatis, de iis quæ ad funus spectant philosopher, non est, mater, eadem Dei, & hominum natura &c.* Quandiu post obitum Gregorii senioris ea superstes fuerit non constat, non diu tamen supervixisse, inde conjicitur, quod paulo post Gregorius junior, utriusque parentibus orbatus ex Nazianzena *Ecclesia se proripuit, Seleuciamque profectus, in virgineo S. Theclæ cœnobio commoratus est*, ut in vita sua Nazianzenus narrat:

Gregorii Nazianzeni oratio funebris in laudem patris.

Nazianz. vita p. 14.

Ast ut parentes, ultimo functi die
Tenuere sedes expetitas, perditus
Liber relictus, sumque plane incommode:

Greg. carm. de vita sua to. 2. p. 7. 8.

De recessu vero suo in monasterium S. Theclæ, & de cura, ut Nazianzenæ Ecclesiæ quamprimum Episcopus eligeretur, subdit:

Non desinebam dicere gregi Præsulum, idest provinciæ Episcopis
Magni hoc ab ipsis muneris poscens loco,

JESU CHR. AN. 374.

Episcopum quemdam oppido ut præponerent.
Illudque vere dictitans nullam mihi
Datam esse Sedem publico præconio;
Ac rursus istud pectori jam olim meo
Sedisse amicos linquere & negotia.
Cum non moverent hæc eos, vel quod mei
Amor hos teneret, vel quod hoc factus gravis
Primum fuga me confero Seleuciam.
Ubi virgo Thecla fanum habet celebre admodum.
Sic forte, dicens, temporis fessi mora
Tradent habenas cuipiam, hoc sperans fore,
Illic peregi tempus haud sane breve.
Reversus &c.

17. Hæc de fuga sua Nazianzenus post parentum obitum, ne Nazianzenæ Ecclesiæ Episcopus fieret. Nazianzum deinde post Valentis obitum reversus, cum adhuc Nazianzena Sedes pastore viduata esset, ab Episcopis Constantinopolim missus est, ad erigendam eam Ecclesiam, sub Ariano Imperatore longa persecutione afflictam. Sed de his infra suo tempore.

De gestis Basilii hoc anno *Nazian. orat. 19. pag. 283.*

18. Nazianzeni senioris funeri adfuit Basilius, ad quem Nazianzenus junior hæc habet: *At tu quid censes, o sermonum meorum, & agitationum judex? Si hæc sat commode, & copiose, atque ut cupiditate tua dignum erat, dicta sunt, hoc calculo tuo confirma, & accipimus, nam profecto Dei calculus tuus calculus est. Sin autem longe infra ipsius gloriam, & spem tuam substitimus, in promptu est, qui suppetias ferat. Vocem tuam maturæ pluviæ instar expectatam illius laudibus immitte. Ac sane ipse maximis te nominibus sibi obnoxium, & obstrictum habet, nempe & ut pastor pastorem, & ut pater filium, quod quidem ad gratiam attinet. Quid vero mirandum, si qui terrarum Orbi per te intonuit, idem nunc fructum quoque aliquem ex tua voce capiat.*

Amphilochius Iconii Episcopus ordinatur. *Basil. ep. 138.*

19. Hoc etiam anno ab Iconiensibus rogatus Basilius, ut sibi Episcopum daret, Amphilochium ibidem ordinavit: *Iconium civitas*, inquit, *ipsa nos invitat, ut se invisamus, ut Episcopum ei demus, mortuus est enim Faustinus &c.* Ad Amphilochium extat Basilii epistola hoc anno data, qua eum, sub pastorali pondere titubantem, confirmat, ac consolatur,

ro-

rogatque, ut ad se longo morbo debilitatum veniat; post plurima subdit: *Age viriliter, corroborare, & pro populo, quem credidit dexteræ tuæ Altissimus. Quod si nos jam longa ægritudine properantes ad necessarium exitum invisere cupis, nec tempus, nec a nobis signum expectes, quippe cum scias nullum tempus paternis ei visceribus commodum non esse ad dilecti filii complexum &c.* Hæc, aliaque benevolentiæ indicia, ac salutis monita ad Amphilochium Basilius.

Amphilochius Basilium ægrotantem adit. *Basil. ep. 163.*

20. His acceptis epistolis, post Paschatis festum Basilium Amphilochius adiit, gravissimæque infirmitatis, qua Basilius tenebatur, testis fuit, unde Jovino Comiti scribens Basilius: *Quandoquidem coram conveniendi spem abstulit corporis infirmitas, quæ quanta sit dicet tibi religiosissimus Episcopus Amphilochius, qui & rem novit, eo quod multum nobiscum fuerit, & quæ vidit, verbis exprimere potest.* Et in alia epistola ad Amphilochium hoc anno ante mensem Septembrem data, eum iterum ad Festum, quod die quinta Septembris Cæsareæ celebrabatur, invitat, testaturque, Cæsariensem populum, *nullius præsentiam ita desiderare ut tuam, tantum ei amoris aculeum brevi illo congressu immisisti*, cum primo illuc adfuit.

Basilii epistolæ canonicæ ad Amphilochium. *Basil. ep. 188. & ep. 199. 217*

21. Cum vero Ecclesiam sibi commissam piis moribus ornare sanctisque legibus instituere cœpisset, de rebus ad disciplinam spectantibus, Basilium semel, & iterum consulendum censuit, in quam rem tres extant Basilii epistolæ canonicæ, in quibus de pœnitentia variis peccatorum generibus imponenda, de hæreticis in Ecclesiam admittendis, de jurejurando, ac de matrimonio propositas quæstiones solvit, quas singulatim exscribere, aut exponere longum esset.

Mavia Saracenorum Regina Moysem suæ gentis episcopum sibi dari impetrat. *Ruffin. li. 2. 6.*

22. Cum Fides catholica Valentis Imperatoris perfidia toto Oriente exturbaretur, inter barbaras, efferatasque gentes mirifice propagata est: *Dum Lucius*, quem anno elapso, Valentis jussu, Alexandrinæ Ecclesiæ Præfectum fuisse diximus; itaque *dum Lucius*, ait Ruffinus, *omni arrogantia, atque sævitia ageret, Mavia Saracenorum gentis Regina vehementi bello Palæstini, & Arabici limitis oppida, atque urbes quatere, vicinasque simul vastare provincias cœpit, cumque frequentibus bellis Romanum attrivisset exercitum, & plurimis peremptis, reliquos vertisset in fugam, orata, pacem non aliter se amplexuram promittit, nisi Moyses quidam nomine Monachus, gentis suæ ordinaretur Episcopus, qui in eremo partibus*

JESU CHR. AN. 374. *tibus suis propinqua vitam solitariam ducens merito, & virtutibus, ac signis, quæ faciebat Deus per illum, magnifice innotuerat.* Quare Valentis Imperatoris jussu Alexandriam perductus est, ut Episcopus ordinaretur, cui cum Lucius manus imponere vellet, Moyses præsentibus Ducibus, Valente Imp. & populo: *Ego quidem me*, ait, *non esse dignum tanto Sacerdotio judico, verumtamen si aliqua in me, licet indigno, divina dispensatio putatur explenda, Deum nostrum cæli ac terræ Dominum testor, quod Lucius sanctorum sanguine pollutas, & cruentas super me non injiciet manus.*

Moyses a Lucio Ariano se ordinari recusat.

23. Lucius tam gravi injuria affectus: *Quare*, inquit, *o Moyses, tam facile condemnas eum, cujus fidem ignoras? Aut si tibi aliquis de me [illegible]ter indicavit, audi fidem meum, & tibi ipse magis, quam aliis crede. At ille: Desine inquit, o Luci, dolosis tuis me quoque imaginibus aggredi: Bene mihi nota est fides tua, quam protestantur Servi Dei per metalla damnati, Episcopi in exilium trusi, Presbyteri, & Diaconi extra christiani nominis habitacula relegati, bestiis alii, alii etiam ignibus traditi. Numquid potest verior esse fides, quæ auribus capitur, quam quæ oculis pervidetur? Apud me certum est, quod qui Christo recte credunt, ista non faciunt.* Atque, ita Lucio majore dedecore obmutescere coacto, ab iisdem Episcopis, quos ipse in exilium ejecerat, Moyses Sacerdotium suscepit. *Quo suscepto, & gentis ferocissimæ pacem tenuit, & Fidei catholicæ custodivit intemerata consortia*, ait Ruffinus, eademque Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. Cum Romanis initam pacem, nuptiarum etiam vinculo firmatam fuisse Socrates tradit, dum Maviæ Reginæ filia Victori Romanorum Duci desponsata fuit, quem Victorem equitum Ducem fuisse Ammianus tradit.

Socrat. lib. 4. 36. Sozom. lib. 6. 38. Theodor lib. 4. 23. Amm. lib. 26., & 30.

Quomodo apud Saracenos catholica [illegible]es sit propagata.

24. Hæc quidem de Moysis ordinatione hoc anno, quo Lucius Arianorum Episcopus Alexandrinam Ecclesiam vastabat. Qua autem ratione, & a quibus inter Saracenos catholica Fides propagata fuerit, tantoque ardore suscepta, ut eorum Regina Moysem gentis suæ Episcopum ordinari petierit, his verbis narrat Sozomenus: *Traducti sunt autem ad Fidem Christi colloquiis Sacerdotum, & Monachorum, qui per finitimas ipsis solitudines Philosophiæ operam dabant, vitaque sanctimonia, & miraculis refulgebant.*

Sozom. ut sup.

JE-

JESU CHRISTI AN. 375. DAMASI PAPÆ 10.
VALENTIS IMP. 12. GRATIANI IMP. 9.
VALENTINIANI JUNIORIS IMP. I. POST CONSUL.
GRATIANI AUG. III. ET ÆQUITII.
OLYMP. 288. AN. 3. URBIS AN. 1128.

1. Periculosum, ac fatale bellum adversus Quados Valentinianus hoc anno suscepit, quo cum esset, non Quadorum armis, sed immensa emota bile occubuit: *Post hæc*, ait Marcellinus, *cum Valentinianus in Quados trajecto amne exercitum eduxisset, Quadorum venere Legati, pacem cum præteritorum obliteratione, suppliciter obsecrantes*. Quos cum Æquitius in Consistorium introduxisset, ac causam dicere jussisset, dum factum excusarent, quod in Romanos arma sumpsissent, Valentinianus vehementi ira perculsus, nationem omnem, ut beneficiorum immemorem, & ingratam durioribus increpavit verbis, statimque tamquam ictus e cælo, vitalique via, voceque simul obstructa suffocari visus est, ita ut erumpente sanguine, lethali sudore perfusus, ne laberetur concursu adstantium facto, in cubiculum delatus, quoniam viscerum flagrante compage, necessario erat vena aperienda, vix repertus est, qui sanguinem eliceret & sæpius tentata venæ ne guttam emisit. Quare urgente morbo, *animam diu colluctatam efflavit, ætatis quinquagesimo anno, & quinto Imperii minus centum dies secundo, & decimo*, ait Ammianus. Hieronymus vero de Valentiniani obitu: *Valentinianus vastato genitali solo, & inultam patriam derelinquens vomitu sanguinis extinctus est in Castello* Bergitione decimo quinto *Kal. Decemb.* Quem etiam 17. Novembris obiisse, Socrates tradit, eademque Idacius in Fastis: *Diem functus Valentinianus senior XV. Kal. Decemb. in Castello Bergitione, & levatus est Valentinianus junior Aug. Valentinianis ab exercitu in Tribunali die X. Kal. Decemb. in civitate Acinco*, quam Budam nunc dicimus, teste Cellario. Defuncti corpus anno sequenti Constantinopolim translatum est quinto Kal. Januarii, quod postea anno 382. Antonio, & Syagrio Coss. die IX. Kal. Martii Theodosii Imperatoris jussu, magnificentiori sepulchro reconditum fuit, ut narrant Historici.

Valentiniani in Quados expeditio, ejus obitus. Amm. Marcel li. 30. cap. 5. 6.

Hieronym. ad Heliod. ep. 60.

Socrat. li. 4. 31

Duos

Jesu Chr. An. 375. Valentinianus junior Imperator creatur.

2. Duos post se superstites filios Valentinianus reliquit; Gratianum scilicet, & Valentinianum juniorem. Horum primum, idest Gratianum, Imperii consortem jam fecerat pater, ac Treviri reliquerat; Valentinianus vero junior, paucos post dies non exspectato Gratiani consensu, aut Valentis, qui Orientale obtinebat Imperium, ab exercitu Imperator est salutatus: *Valentinianus puer defuncti filius, tum quadrimus, qui cum Justina matre tum degebat in Villa, quam muro cinctum appellant, sexto die post patris obitum Imperator legitime declaratus, Augustus nuncupatur more solemni*, ait Ammianus, cui consentit in Fastis Idacius, qui addit, 10. Kal. Decembr. in civitate Acinco Valentinianum juniorem levatum fuisse, & Imperatorem ab exercitu dictum. Gratianus vero, fratrem, absque consensu suo, sibi Imperio sociatum fuisse, non solum patienter, sed æquo tulit animo, & *consanguineum pietate nimia dilexit, & educavit*. Ægre tamen utrosque, idest Valentem, & Gratianum id tulisse, Socrates tradit, *non quod Valentinianus junior, qui alterius frater*, idest Gratiani, sed ex altera uxore, *alterius nepos ex fratre erat, Imperator factus fuisset, sed quod inconsulto utroque renunciatus fuisset, quem ipsi erant renunciaturi*. Occidentale deinde Imperium in duas partes divisum fuit, ac Gellicæ nationes cum Hispania tota, & Britannia Gratiano datæ sunt. Valentinianus Italiam, Illyricum cum Africa retinuit. Valentinianum juniorem, non quadrimum, sed novennem saltem fuisse, utpote anno 366. Coss. Gratiano, & Dagalaipho natum tradit Baronius, aliique, quos Socrates in errorem traxit, dum alterum Valentinianum, Valentis filium eo anno natum, & ab aliquot annis jam extinctum, cum Valentiniano Gratiani fratre confundit, ut Pagius, & Valesius adnotant ad annum 366., & ad caput 10. lib. 4. Socratis.

Zoz. li. 4. 19. Socrat. ut sup.

Zoz. loc. cit.

Themistii oratio ad Valentem de hominibus ad fidem non cogendis. *Soz. li. 6. 36. Socr. lib. 4. 32.*

3. Cum hæc in Occidente gererentur, in Oriente Valens Imp., majori semper in Catholicos exæstuans odio, exagitare eos non cessabat, quem oratione sua placare Themistius hoc tempore studuit: *Interim Valens Antiochiæ* in Syria degens, ait Sozomenus (narrata Valentiniani junioris inauguratione) *adversus eos, qui aliter, quam ipse de Deo sentiebant, majore in dies odio æstuabat, eosque acerbissime vexare, ac persequi non cessabat. Quo quidem tempore Themistius*

stius Philosophus oratione coram eo habita monuit eum, mirandam non esse ecclesiasticorum dogmatum dissensionem, quippe quae longe minor sit, ac levior ea, quae in Gentilium dogmatibus reperitur. Hac oratione aliquantisper mitigatus Imperator, minori quidem acerbitate in puniendo usus est, quam antea; iram tamen adversus Sacerdotes Dei conceptam nunquam penitus abjecit, nisi supervenientes curae publicorum negotiorum eum ab ejusmodi studio retraxissent, idest Bellum Gothicum, de quo infra. Hanc Themistii orationem nondum in lucem editam, videre non potuit Baronius; unde ajebat: *Hanc, quam citat Sozomenus, orationem non licuit invenire*. Themistius autem etsi Ethnicus esset, Imperatoribus tamen Constantio, ejusque successoribus, usque ad Theodosium Magnum carissimus fuit, multisque honoribus auctus, quem etiam in Catholicos propensiorem fuisse, non solum oratio ad Valentem habita testatur, sed & epistolae Nazianzeni ad eum datae, quibus eum laudibus celebrat, & amicorum negotia eidem commendat: *Spartiatas lancea indicat, humerus Pelopidam, eruditio magnum Themistium*, ait in epistola, qua eidem Eudoxium quemdam commendat, & in altera, in qua pro Amphilochio rogat: *Qui cum nihil iniqui admisisset, negotia, & molestias habet*; unde ad Themistium post aliqua Nazianzenus: *Tu vero id, quod a tuo Platone dictum, confirma, nempe civitates non ante malorum finem habituras esse, quam philosophia cum potentia conjuncta sit. Utraque enim re polles, egenti manum porrige &c.*

JESU CHR. AN. 375.

Nazianz. ep. 139. 140.

4. Tanta autem acerbitate hoc tempore Catholicos divexabat Valens, ut ne Monachis quidem parceret, quos etiam lege lata ad militiam revocare praesumpsit, ut auctor est Hieronymus his verbis: *Multi Monachorum Nitriae per tribunos, & milites caesi; Valens enim lege lata ut monachi militarent, nolentes fustibus interfici jussit*. Orosius vero post Valentiniani obitum: *Valens illico velut effraenata libertatis audacia legem dedit, ut monachi, hoc est christiani, qui ad unum fidei opus dimissa secularium rerum multimoda actione se redigunt, ad militiam cogerentur*. Tribuni itaque monachorum cellulas, & deserta loca perlustrantes, monachorum plurimos, eo quod militare recusaverint, interfecerunt, ut eodem loco pluribus persequitur; eademque Socrates libro quarto

Valens monachos exagitat & ad militiam cogit.

JESU CHR. AN. 375.

Greg. Nazian ep. 166. 167. 168. t. 1. p. 835

Quam fæva effet in monachos perfecutio.

Basil. ep. 256. 257.

cap. 22. Graviffimis etiam tributorum exactionibus catholicæ Ecclefiæ clericos, & monachos fub Valente Imp. vexatos fuiffe, Nazianzeni querelæ teftantur.

5. Quam luctuofum effet monachorum ftatus hoc tempore ex Bafilii epiftolis hoc, vel proximo anno, ad Monachos datis patet, in quarum una hæc habet: *Ego cum audiffem vehementem illam perfecutionem, quæ in vos excitata eft, & ftatim poft Pafcha eos, qui ad judicia, & pugnas jejunarunt, veftris tabernaculis fupervenientes, igni tradidiffe labores veftros, vobis quidem domicilium in cœlis non manufactum præparantes, fibi vero ignis thefaurum comparantes &c.* Ac fe iis quacumque ratione adfuturum promittit, quorum etiam orationibus fefe commendat. Alia etiam epiftola monachos ab Arianis vexatos pluribus hortatur, ut forti animo pro pietate dimicent, nec minui mercedem putent, eo quod a Chriftianis perfecutionem fuftinerent; hortatur etiam, ne aut exiliis Epifcoporum, vel aliorum perfidia, aut prævaricatorum multitudine moverentur, ut ibidem videre eft. Porro hi monachi Acacius, Ætius, Paulus &c. ad quos extat Bafilii epiftola, inter monachos celeberrimi fuerunt, & monachorum Archimandritæ in Syria, quorum non fine elogio Theodoretus in vitis Patrum meminit; iidemque funt, qui anno fuperiori ad Epiphanium fcripferant, rogantes ut de hærefibus librum ad fe mitteret, ut ibidem adnotavimus.

Vitalis Antiochenus Epifcopus ab Apollinari ordinatur.

Sozom. lib. 6. 25.

6. Orientalis ecclefiæ diffidia, ac præfertim Antiochenæ, Vitalis ordinatio in immenfum auxit, itaut quæ inter Meletium, & Paulinum Epifcopos divifa erat, graviori impofterum fchifmate perturbaretur, dum Apollinaris Laodicææ Epifcopus Vitalem Antiochenæ quidem ecclefiæ presbyterum, ac Apollinarifticæ hærefis fectatorem Epifcopum Antiochiæ ordinavit. Hic porro Vitalis inter Meletii clericos primum cooptatus, eo relicto, ad Apollinariftarum fectam tranfierat, quam etiam inter Antiochenos propagaverat, vir inter cæteros ob difciplinæ feveritatem illuftris, & in regendis iis, quibus præerat fedulus; eaque de caufa plebi venerabilis, ita ut qui Antiochiæ Apollinaris communionem, & hærefim fectabantur, cognomentum ab eo fortiti fint, & *Vitaliani etiamnum ab Antiochenfibus appellentur*, ait Sozomenus. Epiphanius etiam de eodem: *Vitalis*, inquit, *homo vita, moribus, & inftituto religiofiffimus*.

Epiph. hær. 77. n. 20.

Ut

7. Ut Antiochenam Sedem Vitalis obtineret, non solum sanctioris vitæ fama in causa fuit, sed etiam Damasi Romani Pontificis communio, quam anno elapso Romam profectus, catholica simulata Fide, promeruerat, ut indicat Damasus in epistola hoc anno Paulino Antiocheno scripta, una cum fidei formula ab iis subscribenda, qui ab hæresi revertebantur: *Per filium meum Vitalem*, inquit, *ad te rescripta direxeram, tuæ voluntati, & tuo judicio omnia derelinquens*. Et altera epistola: *Et per Petronium Presbyterum breviter indicaveram me in articulo jam profectionis ejus* (idest Vitalis) *aliqua ex parte commotum*, quod Vitalis scilicet fraudulenter, & simulata catholica Fide, communionem obtinuisset: *Unde ne aut tibi scrupulus resideret, & volentes forsitan Ecclesiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, idest nobis, per te voluerint sociari, dilectissime frater. Quapropter si supradictus filius meus Vitalis, & ii, qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere, quæ apud Nicæam pia Patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæresis eradicanda est, quæ postea in Oriente dicitur pullulasse, idest confitendus ipse sapientia, sermo, filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, idest integrum Adam, & ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem*. Et iterum: *Si quis autem dixerit Verbum pro humano sensu*, seu anima, quæ Apollinaristarum hæresis erat, *in Domini carne versatum, hunc catholica Ecclesia anathematizat, nec non & eos, qui duos Filios in Salvatore confitentur, idest alium ante incarnationem, & alium post assumptionem carnis ex Virgine, & non eumdem Dei Filium, & ante, & postea confitentur. Quicumque huic epistolæ subscribere voluerit, hunc debebis absque ulla ambiguitate suscipere*. Hactenus ad Paulinum Damasus, post damnatam in Romana synodo Apollinaristarum hæresim. Hanc Damasi epistolam anno 373. Baronius recitat, alii anno 378. aut altero ex sequentibus eam scriptam fuisse tradunt, quam labente hoc eodem anno 375. a Damaso Papa scriptam fuisse, inde verosimilius redditur, quod dum hæc scribebat Damasus, Vitalem episcopum hoc anno ordinatum fuis-

Vitalis Romam proficiscitur, Damasum decipit.

Coutan. pag. 507.

Baron. an. 375.n.5.

JESU CHR. AN. 375. se ignorabat, quem ideo Filium suum bis dixit, alioquin non filium, sed fratrem pro more dixisset, si Episcopum novisset.

Vitalis a Damaso Papa per fraudem in communionem acceptus. Greg. Naz. orat. 52. to. 1. p. 676.

8. Cæterum Vitalem Damaso illusisse, ut ab eo communionem obtineret, testis est Nazianzenus oratione 52., seu epistola secunda ad Cledonium: *Ne autem*, inquit, *nos hoc nomine accusent, quod Vitalis viri nobis carissimi fidem, quam ita postulante B. Damaso Romæ Episcopo litteris consignatam edidit, prius quidem probaverimus, nunc vero repudiemus*, cum impia eum de Christo docere novit, *quod etiam in causa fuisse reor, cur ipse quoque Damasus, cum postea rectius edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perstare audiisset, eos ab Ecclesiæ cœtu abdicavit, Fideique libellum a Vitale Romæ sibi oblato, cum anathematismo deleverit*. Hæc Nazianzenus de simulata Fidei professione a Vitale Damaso oblata. De Vitali Antiocheno episcopo narrat Hieronymus in epistola ad Damasum anno 377. scripta, eum quoque Damasi communionem sibi usurpasse, hinc ajebat: *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc unus, nunc vero aut duo mentiuntur, aut omnes*. Et altera epistola ad eumdem Damasum: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum*.

Coutan. p. 551

Vitalis dissidia cum Paulino. Epiph. hær. 77. 70.

9. Cum Antiochenam Sedem invasisset Vitalis, gravior inter eum, & Paulinum exarsit dissensio, ut narrat Epiphanius: *Habebat nonnihil cum Episcopo religioso Paulino discordiæ, vicissimque Paulinus a Vitali*; Paulino etenim Sabellii hæresim objiciebat Vitalis, cujus causa Epiphanius cum Paulino communionem suspenderat, donec oblata fidei professione sese catholicum esse probavit. Quare Epiphanius Vitalem, ejusque socios hortatus est, ut pacem cum Paulino servarent, Paulinus tamen Vitalem ejusque asseclas accusabat, quod negarent, Christum hominem perfectum fuisse; Vitalis vero respondit, imo fatemur, *Christum perfectum hominem induisse*, quin, & animam a Christo susceptam fuisse, aperte testatus est; at mentem suscepisse negavit, addens: *Eatenus perfectum hominem fuisse dicimus, si Divinitatem illi loco mentis adscribamus, & carnem, atque animam adjungamus*, in quo præcipuus Apollinaristarum error versabatur. *Insuper & ritibus ab Ecclesia Catholica alienis utebantur, præter sacros hymnos, qui in Ecclesia cani solent, cantica quædam numeris*

ris adstricta psallentes, quæ ab Apollinare erant excogitata, inquit Sozomenus. JESU CHR. AN. 375.

10. Ob Vitalis ordinationem Apollinaristarum factio audacior facta, latius serpere, ac propagari cœpit, latiusque adhuc virus suum extendisset, ni Apostolica falces ex agro Dominico tamquam zizaniam excidisset; nam Damasus coacto Romæ Concilio, uno, aut altero abhinc anno, cui & Petrus Alexandrinus sua Sede exul interfuit. *Primus autem Damasus Episcopus Urbis Romæ*, inquit Sozomenus, *& una cum illo Petrus Alexandrinus Antistites, cum hanc hæresim serpere intellexissent, Concilio Romæ congregato, eam ab Ecclesia Catholica alienam esse decreverunt*. Sozomeno consentit Ruffinus, qui de Concilio Romæ habito scribit: *Apollinaris assertio primo in Urbe Roma a Damaso, & Petro Alexandrino Episcopo, Concilio congregato, tali sententia depulsa est, ut decerneretur, si quis Filium Dei, qui sicut vere Deus fuit, vel humanitatis aliquid, vel deitatis minus diceret habuisse, alienus ab Ecclesia judicaretur, quæ sententia & apud Alexandriam confirmata est, & apud Constantinopolim*; hinc libellus Syriodicus apud Labbeum de hoc Concilio: *Petrus* (Alexandria pulsus) *Romam contendit, eoque recepto, Papa Damasus Romæ divinam, & sanctam synodum convocavit, quæ amentem illum Apollinarem, Stephanumque*, Timotheumque legendum esse nos monet Coutantius, *& latronem Lucium* (qui Alexandrinam Sedem, pulso Petro, invaserat) *anathemate damnavit*. Quid plura? ipse Damasus in epistola ad Orientales, aliquot abhinc annis scripta, posterisque a Theodoreto transmissa, cum ab Orientalibus rogaretur, ut Timotheum damnaret, jam olim a se una cum Apollinario damnatum fuisse testatur: *Scitote igitur*, inquit, *quod profanum olim Timotheum Apollinarii hæretici discipulum, cum impio ejus dogmate damnavimus*; & in fine epistolæ iterum: *Quid igitur depositionem Timothei a me denuo postulatis, qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinæ Urbis Episcopo, depositus est una cum magistro suo Apollinario*.

Sozom. lib. 6. 25.
Rom. Synodus Apollinarem, ejusque hæresim damnat.
Sozom. ibid.
Ruffin. hist.li. 2.20.
Labb. Concil. to.2.p.899.
Coutan. pag. 491.
Theodor. lib. 5.10. Coutan. pag.571.

11. Quantæ autem temeritatis esset hic Timotheus, a Damaso cum Apollinario damnatus, testantur Petrus Alexandrinus in epistola Episcopis, Presbyteris, & Diaconis pro vera fide exulantibus apud Facundum, qua eum eousque temeri-

Timotheus Alex. Episcopus a Damaso Papa damnatur.
Facund.l.4.2

Jesu Chr. an. 375. ritatis progressum fuisse adnotat, ut non solum Petrum Alex. Episcopum anathematizare præsumpserit, sed etiam Basilium Cæsariensem, Paulinum Antiochenum, & Diodorum, aliosque. Quo anno Damasus Papa Apollinarem cum Timotheo damnaverit, certo definiri non potest. Quia tamen Romanæ Synodo Petrus Alexandrinus Episcopus adfuit, ante annum 374., quo idem Romam pervenit, celebrari non potuit, nec post annum 378., quo Alexandriam rediit. Synodi acta Dorotheus in Orientem rediens detulit, eaque Orientales Episcopi Antiochiæ congregati subscriptione sua confirmarunt, ut infra videbimus, unde factum est, ut in Apollinaristarum hæresim condemnationem Oriens, Occidensque una mente conspiraret.

Pag. not. ad Bar. 373. Cen. tau. pag. 491.

Ambrosii ep. ad Basilium, & Basilii ad Ambrosium. Ambrof. ep. 82.

12. Ambrosii ordinationem universus Orbis probaverat, itaut ad Vercellenses scribere potuerit: *Ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probaverunt*. Inter Orientales Episcopos Basilius gratulatorias ad eum litteras dederat, Basilio quippe Ambrosius scripserat, ut corpus Beati Dionysii decessoris sui, qui pro fide Catholica exul in Cappadocia obierat, Mediolanum transferendum curaret, selectosque e Clero suo viros ad Basilium legatos cum epistolis suis miserat, quæ etsi interciderint, Basilii tamen adhuc supersunt ad Ambrosium litteræ, quibus se Terasium presbyterum Cæsariensem, una cum Ambrosii Legatis ad locum, ubi Dionysii corpus sepultum fuerat, misisse narrat, operamque suam præstitisse, ut Ambrosius voti sui compos fieret, eademque epistola de Ambrosii laudibus plurima commemorat, tum ex generis nobilitate petita, cum ex perfunctis ab eo in Reipublicæ administratione officiis, ac divino potius, quam humano judicio ad pastorale munus exercendum vocatum fuisse adnotat; quare *Glorificavimus*, inquit, *Deum nostrum, qui singulis ætatibus eligit eos, qui ipsi placent &c. Nunc autem*, subdit post aliqua *ex regia urbe, gentis totius rectorem, animo sublimem, generis claritate, opum splendore, dicendi facultate omnibus in sæculo degentibus conspicuum, ad Gregis Christi curam pertraxit*. Tandem post plurima in ejus laudem dicta: *Age igitur, o homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti, aut edoctus es Evangelium Christi, sed ipse te Dominus ex Terræ Judicibus ad Cathedram Apostolorum tran-*

B sil. ep. 197.

transtulit: certa bonum certamen: infirmitates populi cura, si quem forte Arianæ insaniæ labes attigit, renova Patrum vetera vestigia, ac, ut sæpius ad se epistolas daret, excitat.

Corpus B. Dionysii Mediolanum transfertur.

13. De translatione autem corporis B. Dionysii Mediolanensis olim episcopi & martyris, post plurima subdit: *Notum facimus tuæ in Christo charitati, optimos fratres, qui a tua pietate ad boni operis ministerium electi fuerunt, primum quidem toti Clero laudem conciliasse morum suorum concinnitate; siquidem sua ipsorum modestia, communem omnium gravitatem indicabant, deinde vero omni studio, ac diligentia usos, hyemem imperviam non reformidasse, ac omni constantia fidelibus beati corporis custodibus persuasisse, ut ipsis suæ ipsorum vitæ præsidium concederent. Noveris autem, nunquam futurum fuisse, ut hominum Potestates vim hominibus illis afferre possent, nisi horum fratrum animi firmitas eos flexisset, ut cederent.* Quibus opem auxiliumque præstasse Theralium presbyterum adnotat, cujus præsentia & auctoritate ejusdem loci incolæ vix ægre tulerunt, ut S. Dionysii reliquias Ambrosii legati auferrent, secumque Mediolanum deferrent, quare: *Vos tanto cum gaudio suscipite, quanto cum mærore prosequuti sunt illarum custodes. Nemo ambigat: hic ille est invitus Athleta &c.* ac delata ossa, eadem Beati Dionysii esse certiorem reddit. Nam *una arca erat, quæ venerandum illud corpus excepit: nullus prope ipsam jacuit, insigne fuit sepulchrum Martyris honor ei delatus. Christiani, qui ipsum hospitio exceperant, tunc & suis manibus deposuerunt, & nunc extulerunt &c.* Hactenus ad Ambrosium Basilius.

Simplicianus Ambrosium adjuvat.

14. Interea Ambrosius ex laico repente Episcopus ordinatus continua sacrorum Codicum meditatione, & SS. Patrum lectione, tum etiam sanctorum virorum societate & consuetudine, Ecclesiæ doctrinam & disciplinam didicit. Inter eos primum obtinuit locum Simplicianus Mediolanensis ecclesiæ Presbyter, vir multæ eruditionis, & probatæ fidei, quem Ambrosius non solum uti monitorem, atque doctorem habuit, sed etiam uti patrem venerabatur, cujus in docendo scientiam, in agendo dexteritatem, non uno in loco commendat. Inter cætera, cum is utpote presbyter Ambrosio Episcopo inferior esset, ita Ambrosium ad Scripturarum studia incitabat, ut difficilioribus aliquando quæstionibus propositis, tam-

quam

Jesu Chr. An. 375. Ambrof. ep. 2.

quam difcipulus Ambrofium interrogaret, ac quafi pullum ad volandum provocabat; unde Ambrofius: *Quid eft, inquit, quod ipfe dubites, & a nobis requiras? cum fidei, & acquirendæ cognitionis divinæ gratia totum Orbem peragraveris, & quotidianæ lectioni, nocturnis, ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præfertim ingenio etiam inintelligibilia complectens, utpote qui etiam Philofophiæ libros, quam a vero fint devii demonftrare foleas*. Hæc de Simpliciano Ambrofius.

Ambrofii epifcopi vitæ inftitutio. *Ambrof. in or. funebri fratris.*

15. Simpliciano itaque duce, ni dicam præceptore, perfectioris vitæ ac paftoralis officia tam cito didicit, ut aliis quoque exemplo effet; nam ftatim ac Epifcopus eft ordinatus domefticarum rerum curam Satyro fratri reliquit, viro in agendis, componendifque rebus peritiffimo, ipfeque rebus facris tantum vacavit. Ad Sacrificium celebrandum ità affiduus, ut quotidie fumma animi devotione offerret, diebus feftis, & præcipue Dominico in Ecclefia pro concione populum docebat: cætera vero Epifcopi munera fic ftrenue folus obibat, ut circa baptizandos ipfe folus impleret, quod poft ejus obitum, vix quinque Epifcopi explere poterant, ut in ejus vita narrat Paulinus. Ecclefiaftica autem tam follicite exercens, fecularia non negligebat, ac litigantium caufas, & diffidia audiens continuo facileque componebat, cunctis femper fe adeuntibus paratus, ut nemini ad eum aditus prohiberetur, ut auctor eft S. Auguftinus, fancti viri patientiam admiratus. Corpus vero ea difciplina coercuit, ut jejunium cuftodiret affiduum, nunquam prandendi (ut Paulinus ait) ufum admittens, nifi religio, Ecclefiæque illius confuetudo exegiffet ut jejunium folveretur; iifque diebus non folum pauperes reficiebantur, fed viri clariffimi ad prandium excipiebantur, iis officiis eos fibi demereri fatagens, nunquam tamen Ambrofius ad convivium invitatus acceffit, ab eoque hæc tria Auguftinum didiciffe narrat Poffidius, nimirum ut nemini uxorem quæreret, militiam fuaderet, aut ad convivium invitatus accederet.

Ambrofii indulgentia in pœnitentes.

16. Cum Mediolanenfis Ecclefia ab Auxentio Arianorum Epifcopo fœdata hactenus fuiffet, multique Ariana labe, aut communione polluti ibidem effent, ad catholicam fidem eos revocare, ac cum Ecclefia reconciliare Ambrofius conatus eft, ob

ob quam causam in multorum invidiam incidit, quasi indulgentior in eos fuisset, & Ecclesiæ disciplinam plus æquo relaxaret; unde Ambrosius: *Vos indignamini*, inquit, *& contra Ecclesiam congregatis Concilium, qui videtis mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccatorem, indulta venia, resuscitari. Itaque quod in vobis est, per invidiam rursus vultis interficere suscitatos &c.* Inferius vero iis, qui præposteram ejusdem ordinationem calumniabantur, maxima animi modestia respondens: *Dicetur*, subdit, *ecce ille non in Ecclesiæ nutritus sinu, non edomitus a puero, sed raptus a Tribunalibus, abdu-ctus a vanitatibus hujus Sæculi, a præconis voce ad Psalmistæ assuefactus canticum, in Sacerdotio manet non virtute sua, sed Christi gratia, & inter convivas Mensæ cælestis recumbit. Serva Domine munus tuum, custodi donum, quod contulisti etiam refugienti. Ego sciebam, quod non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me sæculo huic, sed gratia tua sum id, quod sum, & sum quidem minimus omnium Episcoporum, & infimus merito. Tamen quia & ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocasti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris, ac primum ut condolere noverimus peccantibus affectu intimo.* Hæc ipse, cui cumulate quidem Deus petita concessit, nam ut Paulinus narrat, quotiescumque aliquis ad promerendam peccatis suis veniam eadem Ambrosio confitebatur, adeo intima cordis commiseratione afficiebatur, ut ad secum flendum pœnitentis provocaret affectum. Hanc vero peccatorum confessionem secretam fuisse, idem Paulinus his indicat verbis: *Crimina ab illis accepta, nulli nisi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur, relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Dominum sint magis, quam accusatores apud homines.* Hactenus de his Paulinus.

Ambr. de pænit. lib. 2. c. 8.

Paulini ep.

Jesu Chr. an. 375.

JESU CHRISTI AN. 375. DAMASI PAPÆ 11.
VALENTIS IMP. 13. GRATIANI IMP. 10.
VALENTINIANI IMP. 2. COSS. VALENTE AUG. V.
ET VALENTINIANO JUNIORE AUG.
OLYMP. 288. AN. 4. URBIS AN. 1129.

Gratianus hæreticorum conventicula vetat. Cod. Theodos. l. 1. de Hæreticis.

1. Hoc Christi anno 375. Gratianus Imp. hæreticorum conventicula prohibuit, eorumque Templa Fisco addixit, ad Hesperium Præfectum Prætorio in hæc verba rescribens: *Olim pro religione Catholicæ sanctitatis, ut cœtus hæreticæ usurpationis conquiescerent, jussimus, sive in oppidis, sive in agris extra Ecclesias, quas nostra pax obtinuit, conventus agerentur, publicari loca, in quibus falsæ religionis obtentu altaria locarentur, quod sive dissimulatione judicum, seu profanorum improbitate contigerit, eadem erit ex utroque pernicies*: Data 10. Kal. Maji Treviris, Valente, & Valentiniano Coss. Hæc autem Judicum dissimulatio sub Valentiniani Senioris Imperio talis, tantaque fuit, ut non solum hæretici sacra facerent, sed quod detestabilius erat, Ethnici etiam altaria erigerent, ac sacrificia offerrent, extantque adhuc inscriptiones sub Consulatu Valentis V., & Valentiniani, quibus id probatur, ut apud Baronium, & Gruterum videre est. Hanc cujuslibet exercendæ religionis libertatem in Valentiniano Seniore laudavit Ammianus, utpote Gentilitiæ superstitioni, cui ipse inserviebat, accomodam: *Postremo hoc moderamine Principatus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur, imperavit, aut illud, neque interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod ipse voluit, inclinavit, sed intemeratas reliquit has partes, ut invenit*. Tam effrænem religionum omnium libertatem coercendam censuit Valentinianus junior hoc anno, non solum Hæreticorum conventicula prohibens, sed & multo magis Idolorum superstitionem. Unde de Gracco Romanorum spectatissimo, qui hoc anno Urbis Præfecturam gessit, narrat Hieronymus in ipsa Urbe, in Idolis dejiciendis, egregiam navasse operam: *Ante annos paucos propinquus vester Graccus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum Præfecturam gereret Urbanam, nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simula-*

Baron. 376. 3. Gruter. tom. 1.

Hier. ep. 7.

sacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helias, Bronius pater initiantur, subvertit, fregit, exussit, & his quasi obsidibus ante præmissis, impetravit baptismum Christi? Gracchi in idolis evertendis zelum versibus quoque suis celebravit Prudentius:

Prudent. adverf. Symm. lib. 1.

Jam quod Publicolas percurram a carmine Graccos,
Jure potestatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, simulacra Deum jussisse revelli,
Cumque suis pariter Lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse r .

De Foro Ecclesiastico lex Gratiani. Cod. Theodos. l. 18. de Episc. & Clericis.

2. Lege vero altera Ecclesiasticas causas in Foro Ecclesiastico agendas jussit Gratianus in hæc verba: *Imppp. Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. Artemio, Euridicio, Appio, Gerasimo, & ceteris Episcopis: Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendus est, ut si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia locis suis, & a suæ Diæceseos Synodis audiantur, exceptis, quæ actio criminalis ab Ordinariis, extraordinariisque Judicibus, aut illustribus Potestatibus audientia constituit. Datum XVI. Kal. Junii Treveris, Valente V., & Valentiniano AA. Coss.* idest hoc anno. Sicuti enim tractant fabrilia Fabri, ita quæ fidem, aut Ecclesiæ Disciplinam spectant, ab Ecclesiæ Ministris tractanda esse, vel ipsa naturalis ratio suadet, veteris, novique Testamenti auctoritas confirmat, ac perpetua Ecclesiæ disciplina docet, Apostolorum etiam exemplo firmata, dum ex rta circa Legis Mosaicæ observantiam, & circumcisionis necessitatem quæstio, ad Apostolos & ad Hierosolymitanum Concilium delata est; in quam rem Nectario regiæ Urbis Præfecto scribebat Nazianzenus de Bosphorii causa: *Illud autem minime ferendum tuæ reverentiæ videatur, quod nostra publicis Prætoriis traducantur, nam etsi sint Christiani, ut certe Dei benignitate sunt, ejusmodi negotiorum Judices, quid commune gladio, & spiritu?* Ambrosius vero ad Valentinianum: *Augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa Fidei, vel Ecclesiastici Ordinis aliquius eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis;*

Greg. Naz. ep. 227.

JESU CHR. AN. 376. *hæc enim verba Rescripti sunt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quia etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinandus causa, etiam hanc voluit ad episcopale judicium pertinere.*

Gothi ab Hunnis pulsi, in Thraciam transeunt.

3. Gravissimam Orientale Imperium cladem hoc anno accepit, cum Hunni Meotide trajecta, in Alanos, & Gothos irrumpentes, eosdem suis sedibus ejecerunt. Ii vero finibus suis pulsi per Legatos Valentem rogarunt, ut citra Danubium reciperentur, quieto se victuros pollicentes, & auxilia cum opus fuisset daturos, finesque Romani Imperii contra Barbarorum incursiones ros; quare in Romanum solum recepti, Danubio ratibus, .. ,e trajecto, Thraciæ partem occuparunt. De hac Barbarorum in Romanum Imperium irruptione pluribus agit Ammianus, ac fatalem Imperio fuisse adnotat, ut ex dicendis inferius constabit. Hinc Ambrosius aliquot abhinc annis in Lucam commentaria scribens, de cladibus tunc ingruentibus: *Quanta*, inquit, *prælia, & quas opiniones accipimus præliorum! Hunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos, & Sarmatas insurrexerunt. Nos quoque in Illyrico exules, paria Gothorum exilia fecerunt, & nondum est finis &c.* Sed de Barbarorum incursione hoc anno jam satis.

Ambros. in Lucam li. 9. 21

Ulphilas Gothorum gentem in Arianam perfidiam trahit.

August. de civit. Dei li. 18. 52.

4. Nunc adnotare juvabit, hanc Barbarorum in Romanum solum irruptionem, non solum Imperio, sed Ecclesiæ quoque infaustam fuisse. Nam cum hactenus Gothica gens in Catholicæ Fidei professione perseverasset, martyresque cœlo transmisisset, uti narrat Augustinus, cujus verba supra retulimus; postquam in Romanum solum recepta fuit, ut Valentis Imp. gratiam promereretur, Eudoxio CPolitano Arianorum Episcopo ad id impellente, in Arianam perfidiam cum Ulphila Episcopo delapsa e[illegible] uti pluribus rem narrant Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. De eodem Ulphila Gothorum Episcopo Socrates, & Sozomenus adnotant, apud eam Gentem in tanta veneratio[illegible] eum fuisse, ut in iis, quæ ad religionem spectabant, cur[illegible] pecudum more parerent: *Quippe qui primus apud eos inventor extitit litterarum, & sacros Libros in patrium sermonem convertit.* Cum tamen Nicæno Concilio Theophilus Gothorum Episcopus interfuerit, difficile est, Gothos tunc primum ab Ulphila sacras Litteras didicisse,

Socrat. li. 4. c. 33. 34. Sozom. li. 6. cap. 37. Theod. lib. 4. 37.

se, unde aut Scripturarum partem in Gothicam linguam transtulit Ulphilas, aut novam sacræ Scripturæ translationem digessit, Ariano forsitan dogmati magis accommodatam.

Jesu Chr. an. 375.

5. *Eodem tempore*, ait Socrates, *Euzojus Arianæ partis apud Antiochiam Episcopus extremum diem obiit, Consulatu Valentis Aug. quinto, Valentiniani junioris primo*, idest hoc anno, *ejusque in locum substitutus est Dorotheus*. Sic Antiochena Ecclesia in quatuor partes divisa perseverabat, nam Catholicorum Episcopi duo erant, Paulinus, & Meletius, Apollinaristarum Vitalis, ut anno proximo adnotavimus, Arianorum Euzojus, cui successit Dorotheus, vanissimus homo, ut adnotat Philostorgius, atque ex Heraclea Thraciæ in eam Sedem translatus, decessori suo simillimus fuit.

Mors Euzoji Antioch. cui succedit Dorotheus.

Philost.li.9.14.

6. Basilium interea, non solum adversa valetudo hoc tempore vexabat, sed & Arianorum, aliorumque dissidia. Inter cætera cum Eusthatio Sebasteno Episcopo mutua hactenus intercesserat amicitia, quæ postmodum in apertum dissiluit odium. Ut etenim supra adnotavimus, cum dubiæ hactenus fidei Eusthatius esset, simulatione tandem deposita, Arianis patrocinari, ac Basilio insidiari, compertum est. Quamobrem ex affeclis duos, sub specie communionis fovendæ, ad Basilium misit, Sophronium scilicet, & Basilium, revera tamen, ut illius gesta notarent, ac calumniarentur. Hos Basilius hospitio receptos, omni officiorum genere excepit, & apud se retinuit, de iis, aut de Eusthatio subdole nil cogitans; at repente e Basilii domo aufugientes, virum sanctum injuria affecerunt, ut idem in epistola adversus Eusthatium paulo post scripta conqueritur. Inconsulto tamen Eusthatio improbos ascætas id pertentasse Basilius credidit: cumque in dies Eusthatii fides magis magisque suspecta redderetur, variique de eo rumores spargerentur, Fidei formulam subscribendam Basilius eidem exhibuit, quam absque hæsitatione Eusthatius, utpote ad simulationem promptus, subscripsit. Interea, ut Basilium inter & Eusthatium pax, & amicitia pene disrupta firmaretur, ut certa die, & loco simul convenirent, ac colloquerentur, statutum fuerat: stata die Basilius adfuit, at Eusthatius contra datam fidem adesse recusavit, ac cum Basilio amicitiam, & communionem abrumpens, cum Arianis iniit societatem, & in Ciliciam profectus cum Gelatio quodam

Eusthatii Sebasteni Episc. cum Basilio dissidia.

Basil. ep. 223.

Basil. ep. 125.

JESU CHR. AN. 376. quodam Ariano Episcopo societatem iniit, ac cum Basilio communionem abrupit: ruptæ autem communionis has prætexebat causas, quod Apollinario olim scripsisset, quod cum Diodoro Presbytero communicaret, quem etiam multis variisque injuriis lacessere non desinebat: quæ etsi Basilio ignota non essent, nihilominus patienter omnia sustinuit, adversario suo nihil præter silentium objiciens, ut plures epistolæ a Basilio in eamrem scriptæ testantur; at ubi vidit Basilius silentio suo ad calumniarum confirmationem nonnullos abuti, in sui defensionem plurimas epistolas dedit, ad Episcopos scilicet maritimos, qui Dazimonem præcipue incolebant, ad Episcopos Ponti, ad Neocesarienses, ad Monachos suos, aliosque plures, quas exscribere longum esset.

Gregorius Nissenus ab Arianis depositus.

7. Postquam Eusthatius cum Arianis societatem iniit, in Ecclesiarum Cappadociæ, & Basilii perditionem communi suffragio conspiratum est, iisque operam suam Demosthenes Ponti Vicarius præbuit, qui cum Cappadociæ gubernacula suscepisset, a Basilio laudari meruit, quod patriam commissam videret, *primum quidem christiano, deinde moribus recto, & legum accurato custodi*. Conceptam tamen spem omnino fefellit, nam tum Episcopos, cum fideles, variis multisque modis vexavit, quem ideo Basilius paulo post Angelum Satanæ, hæresis defensorem, obesum cetum appellare non dubitavit in epistola ad Amphilochium. Inter cætera congregato hoc tempore Arianorum Episcoporum concilio, Gregorium Nissenum Basilii fratrem, a Philocare quodam ignobili viro accusatum, quod sacras pecunias dissipasset, quodque in ejus ordinatione sacri Ecclesiæ Canones violati fuissent, militari manu abreptum exilio destinavit, cumque e militari custodia se subtraxisset Nissenus, ad Demosthenem Basilius scribens, fratris latebras excusavit his verbis: *Nostrum fratrem, ac comministrum Gregorium, commota tua potestas ob Philocaris calumnias, abripi jussit, ac ille quidem mandato obtemperavit (qui enim non obtemperasset); at lateris dolore correptus, ac præterea ob frigus, quod collegit, consueta infirmitate renum ei superveniente, coactus est inexorabilibus militibus eum detinentibus, corporis curandi causa, & leniendorum intolerabilium dolorum, in quietum aliquem locum transferri, ea de causa venimus omnes amplitudini tuæ supplices, ut ne tibi occursus dilatus indi-*

Basil. ep. 225.

Basil. ep. 225.

dignationem moveat. Nam nec publicæ res pejus se habuerunt ex nostra dilatione, neque inde Ecclesiasticæ quidquam detrimenti acceperunt. Quod si de Ecclesiæ pecuniis ageretur, quasi dissipatæ fuissent, de iis, earum custodes & Ecclesiæ œconomos rationem reddituros esse spondet; si vero ob violatos in ejusdem ordinatione Ecclesiæ canones argueretur; hæc ab Episcopis provinciæ in unum congregatis pertractanda esse Demosthenem admonet, ac ne sibi fratrique suo ultra molestiam inferat, suo & Episcoporum Cappadociæ nomine precatur. Quare post plurima: *Venimus omnes amplitudini tuæ supplices*; eademque Eusebio Samosateno scribens narrat. Quem etiam in exilio positum Gregorius Nazianzenus, ut exilii incommoda patienter ferret, epistolis suis hortatus est.

JESU CHR. AN. 376.

Greg. Naz. ep. 34. 35.

Basilius Demosthenis vitia exponit.

8. Quanta autem animi perversitate improbisque moribus præditus esset Demosthenes, eadem ad Eusebium epistola non dissimulat Basilius; *Advenit*, inquit, *nobis Vicarius primum & maximum malorum nostrorum homo, an a sententia hæreticus nescio (arbitror enim illum omnis expertem esse doctrinæ, nec habere studium ullum, aut usum ejusmodi rerum, nam in aliis illum video animo, & carne, noctu, & interdiu occupatum), at certe hæreticorum amicus, nec magis eos diligens, quam nos odio habens. Coegit enim synodum impiorum media hyeme in Galatia, & ejecit quidem Hypsinum, ejus autem loco Ecdicium constituit.* Fratrem quoque suum per vim sua sede ejectum narrat. Ac Cæsaream transiens iram cædemque spirans, clericos Ecclesiæ Cæsariensis curiæ tradidit; idemque Sebastiæ egit. Rursus Nissæ Synodum Galatarum, & Ponticorum celebrari præcepit, quo cum convenissent Ariani Episcopi, alium in locum Gregorii Nisseni Episcopum ordinarunt: *Qui qualis sit nolim ego dicere, sed conjicere licet prudentiæ tuæ, qualem illum esse verisimile sit, qui talibus hominum voluntatibus ministrat.*

Quis Gregorio Nisseno successerit.

9. Quis vero fuerit is, quem in Nissena sede Gregorii loco locarunt, his verbis describit: *Hi nunc*, idest Ariani, *fratrem meum Nissa expulerunt, & ejus loco introduxerunt hominem, vel potius mancipium paucis obulis venale, sed quod ad fidei corruptelam attinet, his, qui constituere, non inferius.* Deinde post plurima: *Accepit ab illis Episcopatus dignitatem, ut existimat, sed Dei gratia factus est communis exe-*

Jesu Chr. an. 376. *execratio totius Armeniæ. Sed tamen nec quidquam est, quod non audeant, nec destituuntur dignis adjutoribus. Cæterum reliquas Syriæ res accuratius, quam nos, & novit, & enarrabit Frater Antiochus.* Hæc aliaque plurima Basilius de Fratris sui exauctoratione, & de Arianorum persecutione in Ecclesiam C tholicam, quæ longum esset exponere. Hactenus tamen dicta, quis esset Orientalis Ecclesiæ status, satis aperte demonstrant.

Dorotheus, & Sanctissimus Presbyteri in Occidentem Legati mittuntur.

10. Cum Orientalium legationes ad Occidentales, de quibus anno 372. egimus, non eum, quem Orientales speraverant, fortitæ sint effectum, ut afflictis rebus remedium aliquod quærerent, hoc tempore legatos iterum ad Occidentales mittere Orientales Episcopi cogitarunt, ac difficilem provinciam Dorotheo, & Sanctissimo Presbyteris delegarunt, qui hactenus de Orientalis Ecclesiæ pace solliciti, pro ea fovenda, aut revocanda, laboribus, aut periculis subeundis non pepercerant. Orientalium tamen consilium vix probavit Basilius, cum exasperato aliquatenus in Occidentales animo esset, ob epistolas paulo ante a Damaso Pontifice ad Paulinum scriptas, contempto Meletio, cujus causam pro viribus ipse tuebatur; unde factum est, ut ad Eusebium Samosatenum de eadem legatione scribens, quædam sancto viro exciderint, quæ ipsius iratum animum in Occidentales indicarent, cujusmodi inter cætera: *Quæ igitur per ipsos scribendæ sint litteræ, aut quomodo cum scribentibus consilia conjungenda, equidem dubito, sed si cito reperias, qui ad nos proficiscantur, nobis exponere ne graveris. Mihi enim venit in mentem illud Diomedis usurpare: Utinam precatus non esses, quoniam, inquit, vir est superbus. Nam revera animi elati, dum obsequio coluntur, solito arrogantiores fieri solent. Etenim si nobis placatur Dominus, quonam alio adminiculo indigemus? Sin autem perseveret ira Dei, quale nobis præsidium supercilii Occidentalis? Qui veritatem neque nor [illegible]t, neque discere volunt, sed falsis suspicionibus præocc[illegible], eadem nunc faciunt, ac prius in Marcelli causa, in qua cum hominibus veritatem sibi nuntiantibus delitigarunt, hæresim vero per seipsos confirmarunt. Ego ipse citra communem formam ad eorum Coryphæum scribere volebam, de rebus quidem Ecclesiasticis nihil, nisi quatenus subobscure insinuassem, neque illos de rebus nostris vera nosse, neque viam,*

qua

qua addiscere possint, amplecti, ac generatim admonuissem hominibus, quos tentationes afflixerunt, insultandum non esse, neque dignitatem æstimandam superbiam, quod peccatum vel unicum id valet, ut inimicos Deo efficiat. Hactenus de legatione in Occidentem mittenda Basilius, quem præoccupata de Occidentalium & de Damasi Papæ fastu opinio fefellit, ut exitus ipse demonstravit.

JESU CHR. AN. 376.

Orientalium epistolæ ad Occidentales Episc.

11. Interea etsi in ea opinione esset Basilius, ut ab Occidentalibus vix quidquam ingruentibus malis sperandum censeret; Orientalium tamen Episcoporum consiliis non restitit, quin præter communes epistolas, privatas quoque ad Episcopos Galliæ, & Italiæ ea de causa dedit. Orientales autem inter cætera, gravissimas hactenus persecutiones forti animo se sustinuisse, narrant, ac in extrema malorum collapsi, in Deo spem omnem collocasse testantur: *Unde ad vos quoque, Fratres nobis perquam colendi, nunc respeximus, quos sæpe quidem ærumnarum tempore nobis in conspectum prodituros speravimus, sed ea spe dejecti, nos etiam diximus ad nosmetipsos: Expectavi, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni. Sunt enim ejusmodi calamitates nostræ, ut ad vestri etiam Orbis terminos pervenerint*; & paulo post, cur hactenus aut consolatorias litteras ab iis non acceperint, nec a fratribus opem, se ignorare fatentur, & gravissimis calamitatibus, quibus Orientalis Ecclesia ab Arianorum persecutione affligebatur, expositis, tandem ut vel sero opem ferant, enixe rogat. Quare post plurima: *Obsecramus itaque, ut vel nunc tandem porrigatis manum Orientalibus Ecclesiis jam in genua inclinatis, & mittatis, qui admoneant de reservatis ob mala pro Christo tolerata præmiis. Non enim tantum consueta oratio efficere, quantum peregrina vox solet afferre solatii, præsertim ab hominibus veniens ubique præclarissimam in partem Dei gratia cognitis, quales vos fama omnibus hominibus annuntiat, ut qui permanseritis fide illæsi, apostolicumque depositum inviolabile servaveritis &c.* Hactenus Orientales Episcopi ad Occidentales, auxilium vel consolationem expectantes, cum quibus, quod præconcepta spe frustrati hactenus fuerint, conqueruntur.

JESU CHR. AN. 376. Basilii epist. ad occidentales. 12. Longior adhuc est epistola altera, quam suo nomine ad Episcopos Galliæ, & Italiæ Basilius scripsit, in qua quæ fuerit Orientalis Ecclesiæ facies, luctuosusque status pluribus narrat, ac jam alias se legatos misisse addit, unde: *Jam quidem & alias clamavimus ad dilectionem vestram, ut nobis opem, & commiserationem impenderetis, sed profecto quia non impleta erat vindicta, concessum vobis non fuit ad auxiliandum exsuscitari. Illud enim maxime exquirimus, ut ipsi quoque Orbis vestri Imperatori, vestræ pietatis opera, innotescat rerum nostrarum perturbatio, aut si id difficile fuerit, saltem a vobis veniant, qui visitent, & consolentur afflictos, ut oculis suis subjiciant Orientis miserias, quæ nequeunt auribus accipi, quia nulla invenitur oratio, quæ res nostras clare vobis exprimat*. His multa subdit de Arianorum persecutione in Ecclesiam catholicam, unde eosdem rogat, ut tandem opem ferant: *Ne voratis Ecclesiis nostris*, inquit, *hæreseos malum serpat postea usque ad sanam partem vestræ Parœciæ &c.* Dorotheum deinde Presbyterum eisdem commendat, qui plura etiam in litteris prætermissa sua ipsius narratione supplebit.

Legationis exitus felix. 13. Legationis autem exitus Orientalium votis optatissimus fuit, nam Occidentales Episcopi, audito Orientalis Ecclesiæ periculo, ad ferendam opem prompti, alacresque sese obtulerunt. Hinc cum Orientales Episcopi paulo post Dorotheum iterum in Occidentem misissent, amplissimas gratias Occidentalibus agunt. Interea cum desinente hoc eodem anno in Orientem rediissent Dorotheus, & Sanctissimus, maximam lætitiam toti Orienti attulerunt, cum & sententias Occidentalium, & eorum desiderium in procuranda Orientalibus Ecclesiis pace retulerunt, cujus lætitiæ ipse Basilius testis est in epistolis post reditum datis. Inter cætera Antiochenis Presbyteris scribens hæc habet: *Sollicitudinem, quam pro Dei Ecclesiis habetis, partim quidem sedabit desideratissimus, ac religiosissimus frater noster Sanctissimus presbyter totius Occidentis erga nos amorem, ac studium exponens: partim vero exsuscitabit, ac magis exacuet, quantum studii res præsentes requirant, clare vobis per se ipse demonstrans. Nam omnes alii veluti ex dimidio nuntiaverunt nobis & sententias Occidentalium, & rerum statum: ipse vero cum idoneus sit, qui & homi-*

Basil. ep. 253.

minum consilia perspiciat, & rerum statum accurate investiget, narrabit vobis omnia, ac bonum vestrum studium ad omnia quasi manu ducet. Et in altera epistola Pelagio Episcopo Laodiceno, de Orientalium concepta lætitia ex legatorum reditu: *Cum adsit desideratissimus, ac religiosissimus frater Sanctissimus compresbyter, ipse tibi omnia narrabit, tum nostr[illegible] tum quæ ab Occidente, ac per hæc quidem gaudio te afficiet.* Et Vito Carrhorum Episcopo scribens de iisdem rebus: *Ex adventu*, inquit, *fratris nostri Sanctissimi compresbyteri, qui multum perpessus in conficiendo itinere laborem, omnia tibi accurate exponet, quæcumque in Occidente observavit; ob quæ debemus & Domino grates rependere, & eum adorare, ut det & nobis pacem eamdem, nosque invicem cum libertate suscipiamus.* Sed de legatione in Occidentem missa hæc anno, ejusque exitu jam satis. JESU CHR. AN. 376.

JESU CHRISTI AN. 377. DAMASI PAPÆ 12.
VALENTIS IMP. 14. GRATIANI IMP. 11.
VALENTINIANI IMP. JUNIORIS 3.
COSS. GRATIANO AUG. [illegible] ET MEROBAUDE.
OLYMP. 289. AN. 1. U[illegible] AN. 1130.

1. Ad Imperii perniciem Gothorum gentem in Romanum solum admiserat Valens, ut anno proximo diximus, quorum feritatem hoc ipso anno experti sunt Romani, cladibusque affecti. Sæviendi occasionem Gothis præbuit Lupicini Comitis, & Maximi Ducis avaritia, dum *traducti Barbari victus inopia vexarentur*, ait Marcellinus, eaque conditione famem exsatiare cogebantur, si filios in servitutem traderent. Quamobrem primo murmurare cœperunt, deinde ad rebellionem, urgente fame, incitati, sumptis armis obvia quæque vastarunt, Romanosque Duces aggressi, strages, cædesque ubique perpetrarunt, ut pluribus idem Marcellinus, aliique Historici narrant: *Gratiano IV., & Merobaude coss. Gens Gothorum, qui pro misericordia suscepti sunt, rebellaverunt adversus Romanos*, habent Idaciani. Tristibus nunciis de Bello Gothico acceptis, Valens Antiochia egressus, Victorem Magistrum militum ad Persas misit, ut res Armeniæ componeret, & præmissis Profuturo, & Trajano cum legionibus, quas

Gothi adversus Romanos rebellant, eosque cladibus afficiunt. *Marcellin. li. 31.4.*

Marcell. lib. 31.4.5.6.7.

JESU CHR. AN. 377. quas ex Armenia duxerant, ipse Constantinopolim properavit, ut inde adversus Gothos validiora auxilia inferret.

Terentii Ducis pietas commendatur. *Theodor. lib. 4.32.*

2. Inter Valentis Duces & armis, & pietate eminebat Terentius, de cujus in Deum pietate, & catholica tuenda Fide, egregium facinus his verbis narrat Theodoretus: *Reversus tunc erat ex Armenia, devictis hostibus, Terentius Dux præstantissimus, & pietate insignis. Huic Valens poscendi quidquid vellet, liberam facultatem concessit. At ille petiit, quod pietatis Alumnum decebat: Non enim aurum, aut argentum, non prædium, aut potestatem, non domum postulavit, sed Ecclesiam unam iis concedi petiit, qui Apostolicam Doctrinam tuerentur. Imperator vero accepto precum libello, cum quid in eo contineretur didicisset, indignatus eum discerpsit, jussitque Terentio, ut alia quæpiam postularet. At ille, collectis libelli sui fragmentis: Accepi, inquit, o Imperator, & habeo donum, quod petii, nec aliud petiturus sum. Judex enim est consilii mei is, qui Judex est universorum.* Eadem dicendi libertate adversus Imperatorem usus est Trajanus Magister militum, nam cum ei Valens Imp. ignaviam exprobrasset, eo quod a Barbaris victus fuisset: *Non ego*, inquit Trajanus, *victus sum, o Imperator, sed tu victoriam projicis, qui contra Deum pugnas, ejusque auxilium Barbaris concilias &c.*

Gratiani Imperatoris victoria de Barbaris. *Theodor. lib. 4.31.*

3. Alia omnino Gratiani sors fuit, nam sicuti impietas Valentem perdidit, ut anno sequenti videbimus, ita Gratiani in Deum pietas victorem fecit. In Gothici belli societatem Gratianum adsciverat Valens: *Tum vero demens ille*, idest Valens, ait Theodoretus, *imbecillitatem suam agnoscens, misit ad fratrem* (melius dixisset ad Nepotem), *militares copias ab eo petens, at ille nefas esse rescripsit, suppetias ferre homini, qui Deo bellum inferret, sed ejus potius comprimendam esse temeritatem.* Nihilominus si vera narrat Marcellinus, legiones aliquot eidem misit, quas Frigeridus, & Richomeres Domesticorum Comites duxerunt. Militum tamen pars maxima, aut sponte, aut a Gratiano revocata in Gallias rediit, nam ut Leutienses Germaniæ populi Rhetis finitimi audierunt Gratianum ad Patrui auxilium legiones destinasse, media hyeme, idest Februario ineunte, Rhenum transgressi in Gallias irrupere; quod ut Gratianus audivit, revocatis, quas in Pannonias præmiserat cohortibus, convocatisque, quas in Gal-

Marcellin. lib. 31.7. ad 10.

Galliis retinuerat, Nannieno Duci rem commisit, cui & Mallobaudem adjunxit, qui Barbaros prope Argentariam aggressi, ad internecionem fere deleerunt, ita ut vix pauci precibus obtinuerint, ut ad suas terras redire possent. Ejusdem victoriæ meminit Victor his verbis: *Gratianus apud Argentariam Oppidum Galliæ triginta Alemannorum millia in bello extinxit.* Jesu Chr. an. 377.

4. Hoc etiam anno Gratianus, rescripto suo ad Flavianum Africæ Vicarium dato, Donatistarum temeritatem repressit, his verbis: *Eorum condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta sortitos alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lavacri nomine polluentes. Eos igitur auctoritas tua erroribus miseris jubebit absistere, Ecclesiis, quas contra fidem retinent, restitutis Catholicæ &c.* Duo itaque jubebat Gratianus, primum ne Donatistæ Baptismum iterare præsumerent, ac Ecclesiis, si quas hactenus retinuerant, ejicerentur. Flavianus tamen Africæ Vicarius, cui rescriptum Gratianus dederat, Donatistarum parti favisse indicat Augustinus: *Quid ergo*, ait, *Flaviano quondam Vicario partis vestræ homini, quia legibus serviens, nocentes, quos invenerat, occidebat, non communicastis?* Unde an Imperatoris voluntati plenissime obsecutus sit Flavianus, dubitari potest.

Gratiani rescriptum adversus Donatistas. *Cod. Theod. lib. 16. leg. 2.*

Augustin. ep. 87. vel 164.

5. Eximium Virginitatis præconem fuisse Ambrosium, nemo ignorat. Cumque de ea servanda, ad populum sibi commissum plures sermones habuisset, non solum Mediolano, sed & alibi, quo ejus sermones a Notariis excepti delati fuerant, effecerunt, ut quamplurimæ Virgines, virginitatis servandæ desiderio incensæ, ad eum properarent, & virginitatis velum ab eo acciperent, quarum aliæ ex Placentino, aut Bononiensi agro, & remotioribus etiam regionibus advenerant. Quare Ambrosii soror Marcellina, quæ, jamdiu virginitatem professa, Romæ degebat, cum amantissimo fratre gratulata est, eumque rogavit, ut quæ viva voce recitaverat, sibi scripto mitteret. Quare, ut justæ petitioni satisfaceret, sermones de Virginitate in tres libros collegit, eosque de Virginibus nuncupavit, atque ad Marcellinam misit. Quorum primo Virginitatis dignitatem exponit & merita, secundo Virginum mores describit, exemplisque confirmat, & maxime Virginum omnium primæ, idest ejus, quæ Virgo, & Mater fuit. Libro ter-

Ambrosius Libros de Virginibus ad Marcellinam mittit. *Ambros. oper. edit. Venet. tom. 3.*

JESU CHR. AN. 377. tertio Marcellinam, quid sequi, quid fugere debeat, edocet, eademque Virginibus omnibus communia esse declarat. Tempus, quo hæc vulgavit, ipse Ambrosius indicat, dum ait, se eos digessisse, cum nondum triennalis Sacerdos esset, hoc scilicet anno, cum vix tertium Sacerdotii sui annum attigisset: *Hæc ego vobis sanctæ Virgines nondum triennalis Sacerdos munuscula paravi, licet usu indoctus, sed vestris edoctus moribus.*

Quanto cum fructu Ambrosius virginitatem prædicaverit.

Ambros. tom. 3. de Virg. lib. 1. 10. p. 191.

6. Quanto autem cum fructu Ambrosii sermones de Virginitate vulgati fuerint, ipse testatur, cum narrat, apud exteros magis profuisse, quam apud suos: *Dicet aliquis, tu nobis quotidie Virginum canis laudes. Quid faciam, qui eadem quotidie cantito, & proficio nihil? sed non mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ Virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur. Magnam rem videtis. Hic tracto, & alibi persuadeo: si ita est, alibi tractemus, ut vobis persuadeamus.* Eodemque loco matres arguit, quæ filias hæc audire, aut virginitatem profiteri prohibebant, unde addit: *Quid quod etiam, qui me non audiunt, sequuntur, qui audiunt non sequuntur? Nam plerasque virgines cognovi velle, & probiberi etiam prodire a matribus, & quod est gravius, viduis, cum quibus hic mihi sermo est. Nempe si hominem vellent amare filiæ vestræ, per leges possent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? Contuemini, quam dulcis pudicitiæ fructus sit, qui barbaricis quoque inolevit affectibus. Ex ultimis infra ultraque Mauritaniæ partibus deductæ Virgines hic sacrari gestiunt, & cum sint omnes familiæ in vinculis, pudicitia tamen nescit esse captiva. Profitetur Regnum æternitatis, quæ mæret injuriam servitutis. Nam quid de Bononiensibus Virginibus loquar, fœcundo pudoris agmine, quæ mundanis se deliciis abdicantes, Sacrarium Virginitatis incolunt.*

Ambrosius librum de Viduis scribit.

7. Tribus de Virginibus libris alterum paulo post addidit de Viduis, quo viduitatis commoda, Viduarumque mores, & officia describit, ac Viduæ prædiviti, & multorum filiorum matri dicavit, ut eam ad secunda vota properantem revocaret. Libri autem initio hæc præfatur, ex quibus intelligimus, eodem fere tempore & de Virginibus, & de Viduis libros vulgasse: *Bene accidit*, inquit, *fratres, ut quoniam tribus*

Ambros. tom. 3. p. 227.

tribus libris superioribus de Virginum laudibus disseruimus, Viduarum tractatus incideret, neque enim inhonoras debuimus praeterire, quas Apostolica sententia cum Virginibus copulavit, juxta quod scriptum est: Et mulier innupta, & virgo cogitat, quae sunt Domini &c. Et ad Viduam, cui hunc librum destinaverat, ut a secundis nuptiis deterreret: *Sed & patrimonium vis tueri, majus pudoris est patrimonium, quod melius regit Vidua, quam nupta. Servus peccavit, ignosce, melius est enim alterius culpam feras, quam prodas. Sed vis nubere, licet*; non decere tamen omne quod licet adnotat, viduae praecipue, quae filios filiasque habet; ac earum praetextum refellit, quae ideo secundis nuptiis transvolabant, ut filios generarent, cum jam ex defuncto marito filios generassent. Unde *tibi quid consilii tribuam, quae liberos habes, quae tibi causa nubendi? Forte levitatis error, & intemperantiae usus, & saucii cogit pectoris conscientia &c.*

Jesu Chr. an. 377.

Ambrosius quartum de Virginitate librum scribit.

8. His addendus est Liber alter, quem de Virginitate inscribendum censuerunt Maurini Editores, scriptus anno proximo 378. qui etiam in antiquis editionibus, ut Appendix, aut pars librorum de Virginibus, aut de Viduis habebatur. In eo Virgines iterum, ac Viduas ad Virginitatem, & castitatem servandam pluribus hortatur. Obtrectatoresque Virginitatis oratione sua castigat, ac se ipsum tuetur ab eorum calumniis, qui eum reprehendebant, eo quod castitatem praedicaret, virginitatemque suaderet; hinc ait: *Accusati sumus, & nisi fallor, accusatores nostri plerique de vobis sunt. Horum ergo affectus redarguere malo, quam personas prodere, criminis autem invidia haec est, quia suadeo castitatem: qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit. Virginitatem, inquit, doces, & persuades plurimis. Utinam convincerer, utinam tanti criminis probaretur affectus! Non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque utinam me exemplis potius argueretis, quam sermonibus caederetis! Sed vereor, ne praevaricatores mihi apposuisse videar, qui me alienis commendent laudibus. Initiatas, inquit, sacris mysteriis, & consecratas integritati puellas nubere prohibes. Utinam possem revocare nupturas, utinam possem flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine! An indignum videtur, ut sacratae Virgines a Sacrosanctis Altaribus non abducantur ad nuptias? Et quibus licet*

JESU CHR. AN. 377. *cet sponsum eligere, non licet Deum præferre? In me ergo facti conditio mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat, quod semper spectavit ad gratiam Sacerdotum, jacere femina integritatis, & virginitatis studia provocare.* Pluribus deinde probat, nec novum, aut inutile esse virginitatem suadere.

Cœlibatus ecclesiæ gloriosus, Reipublicæ utilis. Ambr. de vir. cap. 7.

9. Q. in Ecclesiæ gloriosum, ac Reipublicæ utile esse demonstrat, quamplurimos in virginitate per totum Orbem consenescere; ac ibidem civium majorem numerum fuisse adnotat, ubi Virginitatis status magis floreret, quod etiam ex Alexandrina, totiusque Orientis, & Africanæ Ecclesiæ exemplo confirmat, ubi quamplurimæ singulis annis Virgines Deo dicabantur, atque ex ipsius Orbis terrarum usu non inutilem esse virginitatem edocet. Quod si quis virginitatem ideo prohibere censet, ne homines nasci prohibeantur, prohibeant etiam, addit, pudicas uxores degere, quia frequentius possunt parere incontinentes. Nulla peregrinanti marito fidem servet, ne damnum faciat prolis futuræ, & partus frequentioris amittat ætatem. Sed difficilior fit via adolescentibus ad nuptias impetrandas. At qui uxores habent, timere non debent, uxores enim eorum jam virgines esse non possunt; qui vero non habent, non sibi injuriam faciant, quod ejus tantum nuptias speraverint, quæ nuptura non esset. An fortasse patres pro filiarum conjunctione solliciti, moleste ferunt Virgines consecrari? *Nec hi, quod vereantur, habent, si sequantur consilium, inter paucas suæ citius eligentur.*

Virginitatis detractores confutantur.

10. Hæc aliaque Ambrosius in Virginitatis detractores, quorum utinam protervia aliquando obmutesceret, aut saltem apud Novatores, & Hæreticos tantum blateraret: nunc vero, proh nefas! ex iis etiam, qui se Catholicos esse gloriantur, Lutheri, aut Calvini exemplo, Virginitatis, & castitatis propositum impugnare, aut Clericorum cœlibatum non cessant. Ex his obscurus & ignotus quidam Anonymus Clericorum cœlibatum, & virginitatem impugnare non dubitavit, uti peccatorum fomitem, aut Reipublicæ obnoxiam in tractatu Italico idiomate vulgato, cui hunc titulum præfixit: *De præjudiciis Cœlibatus, tractatus theologico-politicus*, Constantiæ editus anno 1766. Impiorum opus Joviniani stylo editum, confutavit Ferdinandus Comes de Abdua Mediolanensis Presbyter, pietate non minus, quam doctrina, & nobilitate clarissimus, Opusculo Italico Lugani

gani edito anno 1757., quod inscripsit: *Considerationes in Libellum, cui titulus est de præjudicio cœlibatus*; quo in opusculo Clericorum cœlibatum, ejusque antiquitatem, dignitatemque egregie vindicat, ac Latinæ Ecclesiæ disciplinam ex Patrum antiquissima traditione tuetur. Idem argumentum fusiori stylo multaque eruditione iterum pertractavit Romæ anno 1774. Franciscus Zaccaria, quo veteres, recentioresque Virginitatis obtrectatores, eorumque putidas, rancidasque in cœlibatum objectiones disjecit, confutavitque. Ambrosii zelum pro virginitate tuenda & prædicanda, imitati sunt sancti Ecclesiæ Patres, quotquot Ambrosium aut præcesserant, aut subsequuti sunt; cujus consilia S. Eusebius Bononiensis tunc Episcopus, qui his Ambrosii sermonibus præsens adfuit, sententia sua confirmabat, unde Ambrosius: *Alest*, inquit, *Piscator Ecclesiæ Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus, da Domine pisces, quia dedisti adjutores*.

Ambros. de Virginitate l. 3. p. 302. c. 20.

11. Ambrosii zelum in Fide catholica tuenda, & castitate prædicanda multis miraculis Deus testatum voluit. Inter cætera, cum Romam venisset, aliquot ab ejus ordinatione elapsis annis, quo etenim anno id acciderit, ignoratur: *Per idem tempus* (ut ait Paulinus in ejus vita) *cum transtyberim, apud quamdam clarissimam fœminam invitatus Sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralitica in lecto jacebat, cum cognovisset ibidem esse Domini Sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus adierat, portari fecit, atque oranti, & imponenti manus vestimenta attigit, quæ cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit, ut impleretur illud Dominicum dictum ad Apostolos: Etiam majora his facietis, credentes in nomine meo. Quod tamen signum sanitatis ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum, nam ego post annos plurimos, sanctis viris referentibus, positus in urbe cognovi*. Hæc Paulinus de Ambrosii gestis, seu potius de Dei potentia, qua Ambrosii sanctitatem testatam voluit, ex quibus etiam patet, eo tempore in privatis domibus Episcopos aliquando Sacrificium offerre consuevisse.

Ambrosius Fœminam paralysi laborantem sanat. *Paulin. Ambros. vita tom. 4. p. 3.*

12. Ad hæc tempora pertinet Iconiense Concilium ab Amphilochio celebratum, qui interrogatus a remota quadam Ecclesia, Pastore suo viduata in exilium fortasse ejecto a

Iconiense Concilium ab Amphilochio celebratum.

JESU CHR. AN. 377. Valente Imperatore, quid de Spiritu Sancto credendum esset, suo, & Episcoporum nomine rescripsit, una cum Patre, & Filio, Spiritum quoque Sanctum pari honore, & gloria colendum esse, quos etiam ad Basilii Libros de Spiritu Sancto nuper editos transmisit, atque ad majorem de ea quæstione elucidationem, & intelligentiam. Hæc omnia constant ex synodica Amphylochii epistola, quam Cotelerius publici juris fecit, in qua eorum in fide sinceritatem, & ad pericula perferenda constantiam commendat. Deinde exponit, cur Nicæna Synodus de Spiritus Sancti Divinitate quæstionem non attigerit, cum nondum nata esset, sed ex iisdem fontibus, quibus Filii Divinitas, & cum Patre consubstantialitas dimanat, ex iisdem & Spiritus Sancti Divinitatem comprobari testatur, quod etiam ex Christi præcepto confirmat, quo Apostolis præcepit: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. (Matt. 28. 19.) Hæc, aliaque in eamdem rem Amphylochii epistola synodica circa hunc annum data.

JESU CHRISTI AN. 378. DAMASI PAPÆ 13.
GRATIANI IMP. 12. VALENTINIANI JUNIORIS IMP. 4.
COSS. VALENTE AUG. IV. ET VALENTINIANO AUG. II.
OLYMP. 289. AN. 2. URBIS AN. 1131.

Valentis pugna cum Gothis, ejusque interitus.

1. Ingravescente bello Gothico, fugatisque Romanis ducibus, Antiochia relicta, Constantinopolim Valens redierat, ut inde adversus Gothos exercitum duceret, quo in prælio miserrime interiit, ut in fastis ad hunc annum Idacius narrat: *His Coss. ingressus est Valens Aug. ab Oriente Constantinopolim die tertio Kal. Junii, & ipso anno profectus est Valens Aug. ex urbe ad Fossatum die tertia idus Junii, & pugna magna fuit cum Romanis, & Gothis milliario duodecimo ab Hadrianopoli, die quinta idus Augusti, ex ea die Valens Aug. nunquam apparuit, & toto anno per Diœcesim Thraciarum, & Scythiæ, & Mæsiæ Gothi habitaverunt, simul & eas prædaverunt, deinde usque ad Portas Constantinopolis venerunt*. In lugubri historia aliquantisper est immorandum, ac nonnulla sunt adnotanda de iis, quæ Constantinopoli acciderant, dum ibidem Imperator esset. Valens itaque Constantinopolim ingressus

Jesu Chr. An. 378.

fus die tertio Kalendas Junias, populum ingenti perturbatione & mœstitia affectum invenit, eo quod Barbari Thraciam depopulati, ipsa Regiæ urbis suburbana vastabant, cum nullæ tunc ad resistendum eis adessent copiæ. Ubi vero ad ipsa urbis mœnia propius accessere Gothi, adversus Principem CP. cives murmurare cœperunt, quasi ipse hostes eo adduxisset, ac bellum ex industria in longum traheret. Hinc cum equestre certamen ageretur, omnes una voce exprobrarunt, quod Imperator nullam Reipublicæ curam gereret; clamabantque acrius: *Da nobis arma, & ipsi pugnabimus*. His auditis ad iracundiam provocatus Valens, die tertio Idus Junii urbe egreditur, minatus, se de Constantinopolitanis pœnas sumpturum, si rediisset incolumis, tum ob convicia, quibus ipsum tunc affecerant, tum quod antea tyrannidi Procopii favissent; Urbem igitur eversurum, & aratrum solo ejus ducturum minatus est.

Isaces Monachus Valenti interitum nunciat.

2. Proficiscenti ad bellum imminens certum exitium eidem prædixit Isaces Monachus, ad quem inclamasse fertur: *Quo pergis Imperator, qui Deo bellum intulisti, nec illum habes adjutorem? Ille enim est, qui contra te Barbaros concitavit, quia tu quoque prior multorum linguas ad blasphemiam contra ipsum excitasti, eos vero, qui ipsum laudabant, Ecclesiis expulisti. Desine ergo bellum ei inferre, & ipse bellum comprimet &c.* Pastores Gregibus suis redde, & victoriam de hostibus reportabis. Si autem in perfidia sua perseverasset, ab ea expeditione nequaquam reversurum fore prædixit. At Valens: *Revertar*, inquit, *teque interficiam, & falsi vaticinii pœnas a te exigam*. *Tum ille minus neutiquam reformidans*: *Interfice*, inquit, *si in verbis meis mendacium fuerit deprehensum*. Hæc Isacius ad Valentem. Hieronymus tamen, eum Fidei exules suis sedibus restituisse in Chronico scribit: *Valens de Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exiliis revocat*. Quæ si vera sunt, dicendum est, Valentis legem de exulibus revocandis Isacio ignotam fuisse.

Valentis pugna cum Gothis, qua obiit.

3. Interea cum Hadrianopolim pervenisset, Gratianum expectans, qui cum auxiliaribus copiis ad eum properabat, aliquandiu substitit, ut conjunctis viribus Gothos facilius debellaret. Mutata tamen paulo post sententia, ne triumphi gloriam cum Gratiano divideret, *spretis optimis illis consiliariis*,

JESU CHR. AN. 378. *Theodor. lib. 4. 36. Marcell. li. 3. 13. Orosi. li. 7. 33. Socrat. lib. 4. 38. Sozom. li 6. 40. Theod. ut sup.*

ut ait Theodoretus, *exercitum præmisit ad prælium*, quo ipse Imperator inter gregarios milites pugnans, sagitta percussus, in agrestem domum cum paucis delatus, ibidem una cum domo igne consumptus est, ut pluribus narrant Marcellinus, Orosius, Victor, Zosimus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus. Ex eadem domo *quidam de Candidatis per fenestram lapsus, captusque a Barbaris prodidit factum, & eos mœrore afflixit, magna gloria defraudatos, quod Romanæ rei rectorem non cepere superstitem, is ipse juvenis occulte postea ad nostros reversus, hæc ita accidisse narravit*, ait Marcellinus, cui & alii consentiunt Historici. Sic Dei judicio factum est, ut flammis periret Valens, qui pro Arianorum causa adversus Catholicos persecutionis incendium excitaverat, unde de Valentis interitu hæc Hieronymus: *Valens Gothico bello victus in Thracia eumdem locum mortis habuit, & sepulchri*. In Chronico etiam *Lacrymabile*, inquit, *bellum in Thracia, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ Legiones a Gothis cinctæ, usque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse Imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo levaretur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est, quo persequentibus Barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit*. S. Joannes vero Chrysostomus Valentis infaustum casum enarrans, addit propheticam indignationis divinæ pœnam incurrisse: *Sicut ignis, qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in furore tuo conturbabis eos*. Obiit itaque Valens anno ætatis suæ quinquagesimo, Imperii vero decimoquarto, cum mensibus quatuor, diebus tredecim.

Hier. ep. 3. in chron.

Post Valentis obitum Gothi ubique fugati.

4. Post insignem victoriam Hadrianopolim Gothi convolarunt, ut reconditos ibidem thesauros occuparent, at repulsam passi Perinthum aggrediuntur, sed frustra. Cumque Constantinopolim usque accessissent, & suburbana vastassent, immisso Saracenorum cuneo, ibidem quoque fugati sunt, itaut qui antea ubique victores fuerant, Valente sublato, ubique victi sint, & ad propria digressi. Cum Valente perierunt præstantissimi Valentis Duces, inter eos Trajanus, & Sebastianus. Valentis cladem, & interitum *non admodum mæsto tulit animo Gratianus*, ait Zozimus, *quod inter eos suspicio quædam intercederet*.

Gratianus CP. pergit.

5. Cum filios superstites non reliquerit Valens, con-

confestim Gratianus CPolim convolavit, ut Valentis Imperium suo adjungeret; quo cum pervenisset una cum *juniore Valentiniano Imperii summam adeptus, damnata Valentis patrui sui in Christianos crudelitate, cunctos, qui ab illo in exilium ejecti fuerant, revocavit. Lege praeterea sanxit, ut omnes cujuscumque religionis homines absque ullo discrimine in Ecclesiis convenirent, soli autem Eunomiani, Photiniani, & Manichaei pellerentur Ecclesiis*, ait Socrates, eademque Sozomenus, & alii.

Petrus Alexandriam rediit, Lucius inde ejicitur.

6. Ex Romanorum strage, ac Valentis interitu, id Ecclesia commodi cepit, ut a dirissima persecutione, & Arianorum jugo liberaretur, quae bello Gothico vigente respirare jam coeperat. Ut enim Gothorum incursiones ad Valentis aures perlatae sunt, *Homousianos in exilium mittere destitit*, ait Socrates, ac bellum, quod contra Christianos Antiochiae hactenus gesserat, sedatum est. Alexandriae quoque Catholicorum res in melius mutatae sunt, eo quippe tempore ab urbe Roma reversus erat Petrus cum litteris Damasi, quibus ille Consubstantialis fidem, & Petri ordinationem confirmabat. Quare Alexandrini, resumpta fiducia, Lucium quidem exturbarunt, Petrum vero in ejus locum substituerunt. Et Lucius quidem statim conscenso navigio Constantinopolim perrexit, auxilium a Valente imploraturus. At cum paulo post obierit Valens, sua spe frustratus Lucius illic substitit usque ad annum 380., quo una cum Demophilo a Theodosio Imperatore inde ejectus est.

Altera Orientalium ad Occidentales Episcopos legatio.

7. Sanctissimus, & Dorotheus presbyteri post initam anno 376. apud Occidentales Episcopos legationem, cum in Orientem vix rediissent, alteram hoc anno legationem suscipere coacti sunt, qua Orientales ob acceptas ab Occidentalibus epistolas gratias egerunt, atque ut Orientali Ecclesiae opem ferant enixe rogarunt: *Dominus Deus noster, in quem speravimus*, inquiunt, *tantam cuique vestrum gratiam largiatur, ut ad propositam spem perveniatis, quanto ipsi gaudio corda nostra implevistis, tum ex litteris, quas nobis per optatissimos Compresbyteros scripsistis, tum ex commiseratione, quam aerumnis nostris impendistis, ut induti viscera misericordiae, quemadmodum praedicti viri nobis annunciaverunt. Etsi enim vulnera nostra eadem permanent, aliquod tamen solatium est, paratos habere medicos, qui possunt, si tempus nanciscantur* ce-

Jesu Chr. an. 378.

celerem afferre nostris doloribus medelam. Quare Occidentales rogant, ut illorum aliquem ad se mittant, aut saltem in tantis calamitatibus constitutos litteris suis recreent, ac in servanda catholica Fide confirment. Deinde narrant, se non tam ab Arianis, utpote ab Ecclesiæ communione alienis, molestiam pati, quam ab iis, qui sub ovina pelle Christi gregem dilaniabant; præceteris Eustathius Sebastenus, & Apollinaris Laodicenus notantur, quorum impia dogmata describuntur, & quomodo Eustathius sæpe depositus, & suæ sedi restitutus fuerit, ob Liberii Romani Pontificis epistolas Tyanensi Synodo exhibitas. Hinc rogant, ut cum a Romani Pontificis auctoritate suæ Sedi restitutus fuerit, ab eodem etiam ab Ecclesiæ communione repellatur, eo quod impia dogmata prædicare non cessaret: *Hic nunc*, ideft Eustathius, *depopulatur Fidem illam, ob quam susceptus est, atque una cum iis est, qui Consubstantiale anathematizant, seque ducem præbet Pneumathomachorum*. His subdunt, quoniam: *Istinc evenit facultas lædendi Ecclesias, ac data vobis fiducia utitur, ad subversionem multorum, necesse est, istinc quoque venire & emendationem, ac per litteras Ecclesiis significare, quibusnam conditionibus susceptus sit, & quomodo nunc immutatus, irritum sibi faciat beneficium concessum a Patribus, qui tunc erant. Secundus post ipsum est Apollinaris, non parum & ipse Ecclesias contristans*, hæresim suam non ex divinis Scripturis, sed ex philosophia confirmans.

Orientalium querelæ adversus Paulinum Antioch. Episc.

8. Cumque Paulinum Antiochenum Occidentalium communione frui scirent, ad quem Damasus Pontifex epistolas dederat, Orientales vero utplurimum cum Meletio sociarentur; hinc adversus Paulini ordinationem, utpote post Meletii ordinationem peractam, nonnulla subdunt: *Paulinus autem utrum aliquid, & circa ordinationem reprehensioni obnoxium habeat, ipsi dixeritis: Nos sane mærore afficit, quod in Marcelli dogmata propendit, ac illius sectatores sine discrimine ad suam communionem admittit*. Suspecta ob id etiam Orientalibus erat Paulini fides, eo quod etsi recte de Trinitate sentiret, unam tamen in Trinitate hypostasim prædicandam esse cum Occidentalibus censeret, cum Basilius, ceterique Orientalium tres hypostases in Trinitate prædicarent, de quibus jamdiu maxima quæstio erat, non solum Occidentales inter, & Orien-

Orientales, sed & inter ipsos Orientales Episcopos, ut infra videbimus. Paulinum vero unam hypostasim in Trinitate prædicantem cum Marcello sentire ajebant, qui *neque Filium in propria hypostasi confitetur, neque Paracletum hypostasim propriam habere concedit*. Alia tamen erat Paulini, aliorumque fides, qui etsi unicam hypostasim in Trinitate prædicarent, hypostasis tamen nomine, naturam, & substantiam designabant, quæ unica in Trinitate revera est. Marcellus vero Ancyranus unicam in Trinitate hypostasim prædicans, distinctionem quoque Personarum in Trinitate negabat. Quapropter Orientales Episcopi Occidentales rogant, ut *omnibus Orientis Ecclesiis denuncient, ut aut rectam viam ingressi sincere versentur nobiscum, aut si in sua permaneant perversitate, damnum intra se solos contineant, nec possint ex incauta communione morbum suum cum proximis communicare: necesse est autem horum nominatim meminisse, ut & ipsi cognoscatis eos, qui turbas apud nos movent, eosque nostris Ecclesiis manifestos facite, nam sermo noster suspectus est pluribus, quasi ob privatas quasdam simultates, exili atque jejuno animo in illos simus. Vos vero quanto ab illis longius degitis, tanto majorem apud populos habetis auctoritatem, præterquamquod Dei etiam gratia vos adjuvat, ad succurrendum iis, qui vexantur*; & in fine epistolæ iterum in eamdem rem: *A vobis, ut horum curam suscipiatis, eflagitamus, suscipietis autem si omnibus Orientis Ecclesiis scribere non gravemini, eos, qui hæc depravant, si corrigantur, admittendos ad communionem, sin autem pertinaciter novitatibus adhærescere voluerint, ab Ecclesiis abscindendos*. Hæc, aliaque Orientales Episcopi ad Occidentales.

JESU CHR. AN. 378.

9. Legationis hujus quis fuerit exitus, ignoratur. Id unum constat, Apollinarem, præsente Petro Alexandrino, in Romana Synodo damnatum fuisse, ut in epistola ad Orientales circa annum 383. scripta Damasus narrat. Occidentales autem ad subveniendum Orientalibus paratos promptosque fuisse ex epistola Romanæ Synodi ad Orientales data scimus, in qua hæc leguntur: *Ceterum, quod ad removendas vestræ dilectionis spectat injurias, nec frater noster Dorotheus presbyter explicare omnia vivaciter prætermittit, nec nixus nostri, ut ipse testis est, defuerunt*. Quominus tamen optatam Orienta-

Quis fuerit hujus legationis exitus. *Damasi ep. 14 apud Coutan. p. 574. Coutan. pag. 498.*

ta-

Jesu Chr. an. 378. talibus Ecclesiis pacem procurarent, Orientalium dissidia obstiterunt, cum non solum ab Arianis, Macedonianis, Apollinaristis vexarentur, sed quod magis dolendum erat, ipsi etiam Catholici inter se dissiderent, mutuisque suspicionibus laborarent, ut supra adnotavimus.

Petrus Alex. & Dorotheus inter se dissident Meletii causa.

10. Id præ cæteris Sanctissimo, & Dorotheo Orientalium Legatis injunctum fuerat, ut Occidentalium favorem, & communionem Meletio promererentur. Hinc accidit, ut cum Meletii causam Dorotheus coram Damaso Romano Pontifice, & Petro Alexandrino, qui Romæ tunc erat, patrocinarentur, Meletium una cum Eusebio Samosateno inter Hæreticos Petrus Alexandrinus Episcopus recenseret, quod ægre Dorotheus ferens, in ipsum Petrum quædam irato animo addidit, quare post reditum suum apud Basilium Petrus conquestus est, Basilius vero Petro scribens, etsi Dorothei imprudentiam damnaverit, Meletii, Eusebiique famam tueri non dubitavit. Unde ait: *Nos autem in tristitiam conjecit frater Dorotheus, quod ut ipse scripsisti, non omnia leniter, & mansuete dixerit dignitati tuæ &c.* deinde post aliqua: *Is reversus mihi narravit, quod coram Damaso Episcopo reverendissimo cum tua præstantia sermones habuisset, ac dolorem mihi afferebat, cum diceret numeratos in Arianis fuisse religiosissimos fratres comministros nostros Meletium, & Eusebium. Quorum rectam doctrinam, etiamsi nihil aliud commendaret, saltem illatum ab Arianis bellum, non exile rectæ fidei indicium apud æquos rerum æstimatores haberet.*

Basil. ep. 266.

De Hieronymi ortu, & patria.

11. Orientalium dissidia Hieronymum quoque in Oriente commorantem conturbarunt, de quibus antequam agamus, tanti viri initia, & studia breviter recensenda sunt. Patre Eusebio natus est Hieronymus Stridone, Dalmatiæ oppido. Quo autem anno in lucem editus fuerit in obscuro est, ac de ea quæstione pluribus Martianus, ac Valarsius agunt. Prosperi Chronicon anno 330., aut 331. imperante adhuc Constantino, Hieronymum in lucem venisse tradit, cum ad annum 420., Theodosio Aug. IX., & Constantino III. hæc habet: *Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis suæ 91. pridie Kal. Octob.*, neque a Prosperi Chronologia multum abest. Gennadius in libro de viris illustribus, a Mabillonio editus, de Hieronymo adnotans; *Nonagenarius ferme, ut perhibent, postea*

Mabill. Analect. to. 2. p. 42.

Jesu Chr. An. 378.

postea in Domino requievit. Auctor autem vitæ Hieronymi, qui etiam a plerisque Gennadius dicitur, biennio fere a Prospero dissidet, dum ait: *Dormivit autem B. Hieronymus anno Imperii Theodosii junioris duodecimo* (idest anno Christi 419., aut 420.); *omne vitæ suæ tempus implevit octoginta octo annis, mensibus sex, dormivit pridie Kal. Octobr.* Quin tamen Prosperi Chronologia adoptetur, nonnulla obstant, quæ cum Hieronymi gestis componi vix possunt. Exemplo sint ea, quæ in Juliani obitu accidisse, idem Hieronymus narrat, se scilicet tunc puerum fuisse grammaticis disciplinis intentum, cum vulgato repente Juliani interitu, ex Ethnicis quidam dixit: *Quomodo* Christiani dicunt *Deum suum patientem?* Juliani autem obitus 363. contigit, quo juxta Prosperi Chronologiam annos 33., aut 34. Hieronymus habuisset, quæ sane ætas puerilis dici vix poterat. At si quis Hieronymi ingenium attente perpenderit, hæc de se ipso dixisse non mirabitur, cum alia ejusdem generis occurrant exempla, quibus eum exagerasse constat. Hinc ad Nepotianum scribens, adolescentem se ac pene puerum lascivientis ætatis impetus duritia eremi refrenasse narrat, quo tempore quadragenarius erat, aut saltem trigesimum annum excesserat; & iterum cum de Orientis cladibus, & terræmotu agit, quo urbes nonnullæ sunt obrutæ, dum infans esset, ea accidisse narrat, commentario in Isaiam. Hæc autem circa annum 365. acciderunt, cum Hieronymus juxta Prosperi chronologiam annos triginta quinque haberet, aut saltem vigesimum longe excesserat, unde ex tam exagerata dicendi ratione, qua usus est Hieronymus, certa ejus ætas erui non potest: quapropter a Prosperi chronologia vix discedendum putamus, qua saltem ultimum Hieronymi annum certo scimus, tot caracteribus insignitum, idest anno 420. Coss. Theodosio IX., & Constantino III.; sed ad Hieronymi gesta redimus.

Tom. II. ep. Hier. p. 230.

Hier. in Abacuch li. 1. 10.

De Hieronymi studiis, & peregrinationibus.

12. Sororem habuit Hieronymus, cujus meminit in epistola sexta, & septima, fratrem etiam minorem Paulinianum, piis itaque parentibus natus, pie quoque educatus fuit, & *ab incunabulis catholico lacte nutritus*; ex illustri autem familia genitum fuisse, hæc verba indicant, *memini me puerum cursitasse per cellulas servulorum, diem feriatum duxisse lusibus*. Cum vero bonis artibus discendis aptus fuit, Romam mis-

Hier. ep. 82. ad Theoph.

Jesu Chr. an. 378. missus est una cum Bonoso vitæ suæ collactaneo, quem non semel in epistolis suis laudat, de quo *idem nos nutricum sinus iidem amplexus foverint bajulorum*; in Grammatica Romæ præceptorem habuit Donatum, eademque in urbe Rhetoricæ, & Philosophiæ operam dedit, quo tempore christianæ religionis officia nequaquam præteriit, unde de se ipso: *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi diebus dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum circumire, & crebro cryptas ingredi, quæ in profunda terrarum defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes haberent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes.* Hæc Hieronymus de sua in Martyrum reliquias veneratione.

Hier. ep. 3. In Ezech. c. 40

Hieronymus baptizatur.

13. Interea pubertatem ingressus, ac lubricum adolescentiæ iter, lapsum se fuisse humillime confitetur, ac libidini aliquando inserviisse indicat, quare ad Pammachium: *Virginitatem*, inquit, *in Cælum fero, non quia habeam, sed quia magis mirer quod non habeo.* Si quid tamen lascivienti adolescentiæ concessit, ad modicum tempus id fuit, nam suscepto paulo post Baptismate, peccata juventutis abluit, unde eadem epistola, qua amissam virginitatem deflet, subdit: *Prima est virginitas a prima nativitate*, quam amisisse lugebat, *secunda virginitas a secunda nativitate*, idest a baptismate, quam servasse indicat. Cum vero secundi baptismatis purgatione, idest pœnitentia, se indiguisse testatur, hæc demissi quidem animi indicia sunt, non vero capitalium criminum confessio.

Hier. ad Damasum ep. 18.

Hieronymus in Gallias proficiscitur.

14. In rectam itaque viam cito reversus, Romæ baptismum suscepit, ut idem testatur in epistolis ad Damasum Papam: *Inde*, ait, *nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi*; & iterum: *Ego igitur, ut ante jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor.* Sacro itaque fonte renatus, & sæcularibus litteris Romæ eruditus, una cum Bonoso perpetuo studiorum & vitæ comite in Gallias perrexit, ut idem testatur, cum narrat se rem nefandam in Galliis vidisse, dum adolescentulus esset, idest *Attacotos gentem Britannicam humanis vesci carnibus*; & ad Florentium scribens: *Prolixum valde de synodis librum S. Hilarii apud Treviros manu mea ipse descripseram*,

Hier. advers. Jovin. li. 2.

ram; in patriam deinde reversus, ut domesticas res curaret, Aquilejæ aliquandiu substitit, ut amicorum ibidem degentium consuetudine frueretur.

15. Perfectioris tamen vitæ desiderio æstuans patriam, & Italiam deserens, comitibus aliquot ejusdem propositi viris, idest Innocentio, Heliodoro, Nicæa, Hyla, &. Evagrio in Orientem profectus est. Iter suum Hieronymus ad Ruffinum scribens, his verbis describit: *Postquam me a tuo latere subitus turbo convulsit, postquam glutino charitatis hærentem impia distraxit avulsio, tunc mihi cæruleus supra caput astitit imber, tunc maria undique, & undique cælum. Tandem cum in incerto peregrinationis erranti cum me Thracia, Pontus, atque Bithynia, totumque Galatiæ, atque Cappadociæ iter, & fervido cilicum terra fregisset æstu, Syria mihi velut fidissimus portus occurrit.* Cum Antiochiæ substitit, Hierosolymam inde petiisse, eruditorum plurimi scribunt, quod an verum sit, in incerto relinquimus; ac tunc Hierosolymam tantum perrexisse, tradunt Veronenses Hieronymi editores, cum iterum Roma excedens, post Damasi Papæ obitum, in Orientem rediit.

Hieronymus in Orientem transit.

16. Quamplurimas tunc temporis urbes, & provincias eum peragrasse alibi indicat, Athenas scilicet, Ancyram Galatiæ Metropolim, Tarsum in Cilicia, in qua provincia Theodosium magni nominis, & eximiæ sanctitatis Monachum convenit, cujus mores, ceterorumque Anachoretarum curiose inquirens, ad eorumdem vestigia sectanda, se inflammatum fuisse in epistola ad Theodosium testatur. Antiochiæ etiam Evagrii presbyteri consuetudine usus est, atque in Maroniæ vico prope Antiochiam in Evagrii domo aliquando moratus est, ubi sanctissimum illum Malchum monachum, cujus vitam postea conscripsit, vidit: *Maronia*, inquit, *triginta fere millibus ab Antiochia urbe Syriæ haud grandis ad Orientem distat viculus, hic post multos vel Dominos, vel Patronos, dum ego adolescentulus morarer in Syria, ad Papæ Evagrii necessarii mei possessionem devolutus est, quem idcirco nunc nominavi, ut ostenderem, unde nossem, quod scripturus sum de Malchi vita.* Evagrium vero Papam Hieronymus appellat, eo quod dum hæc scriberet, Antiochenus Episcopus erat. Antiochiæ etiam Apollinarem sacras Scripturas exponentem sæpe audisse in

Variæ Hieronymi peregrinationes, & studia.

Hieron. vita Malch. tom. 2.

Jesu Chr. an. 378. in epistola ad Pammachium, & Oceanum narrat, ac subdit: *Nunquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi.* Antiochiæ

Hier. ep. 84. cum esset, variis tribulationibus vexatus fuit, adversa scilicet valetudine laborans, *quidquid morborum esse poterat expertus*. His accessit inopinata mors duorum ex sociis suæ peregrinationis, Innocentii scilicet, & Hylæ; quorum alterum *repentinus febrium ardor abstraxit, alter vero necdum obductam illius*

Hier. ep. 41. *morte, morte sua rescidit cicatricem*.

Hieronymus solitudinem petit, quid in ea egerit.

17. Antiochia vero excedens circa annum 375. in solitudinem, ad quam omni studio rapiebatur, transiit, in Chalcide scilicet Syriæ, ubi Syri ab Agarenis disterminantur[1], quæ *exusta solis ardoribus horridum Monachis præstabat habitaculum*. Quæ ibidem egerit Hieronymus, quive cum teterrimo hoste, & cum carne sua conflictationes sustinuerit, his

Hier. ep. 22. verbis narrat: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, qui amaritudine plenus eram, horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum: pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat, in frigido corpore, & ante hominem sua jam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam; & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meæ miseriam, quin potius plango, me non esse quod fuerim. Memini me clamantem crebro diem junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas &c.* Hæc aliaque de seipso Hieronymus.

Hieronymi studia in solitudine.

18. Nec jejunia solum, aliasque afflictationes, ad carnis petulantiam frangendam adhibebat, sed continuo etiam labore domabat, in libris scribendis, & in addiscenda Hebraica lingua

gua apprime intentus, ut facilius intelligere sacras Scripturas posset, qua de re ad Rusticum scribens: *Dum essem juvenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram, quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat, ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursum inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Deo meo, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo.* Eo etiam spectant, quæ alibi de eo labore addit: *Quo labore, quo pretio Baraminam nocturnam habui præceptorem. Timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Cumque se sacris litteris addiscendis totus dedisset, Gentilium Scriptorum libris eo tempore valedixit.

JESU CHR. AN. 378. Hier. ep. 125.

19. Interea cum graviter ægrotaret, ut jamjam exequiæ pararentur: *Subito raptus in spiritu, ad Tribunal Judicis pertrahor*, ait Hieronymus ad Eustochium scribens, *ac tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, christianum me esse respondi; & ille, qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare tamen cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad Præsidentis genua provoluti, qui astabant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si Gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, & nomen ejus obtestans dicere: Domine, si unquam habuero codices sæculares, si legero, Te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superos; & mirantibus*

Hieronymi infirmitas, & somnium.

JESU CHR. AN. 378. *tibus cunctis, oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus saepe deludimur. Testis est Tribunal illud, ante quod jacui, testis Judicium triste, quod timui, ita mihi nunquam contingat in talem incidere quaestionem. Liventes, fateor, habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio divina legisse, quanto non antea mortalia legeram.* Haec Hieronymus de visione tunc habita, quam quidem somnium fuisse, idem alibi testatur; cum etenim sacrilegii, & perjurii a Ruffino postularetur, quod Gentilium libros continuo pervolveret, eorumque sententias opusculis suis frequentissime insereret, Ruffini simplicitatem deridet, quod somnia quoque in crimen verteret: *Quaeso te*, inquit, *amice dulcissime. qui tam curiosus es, ut etiam somnia mea noveris, omniaque, quae per tot annos absque metu futurae scripsi calumniae, in accusationem vocas &c.*

Ruff. lib. 2. adverf. Hier. to. 2. p. 636. Hier. adverf. Ruff. li. 2. pag. 528.

Hieronymus ab Antiochenis vexatus, ad Damasum scribit.

20. Ad rem quod attinet, in eremum Hieronymus ea mente se abdiderat, ut ibidem a saeculi insidiis longe positus, anteactae vitae sordes vitae asperitate, & jugi divinarum Litterarum meditatione abstergeret: verum quam speraverat in eremo pacem, velut ex navigatione portum, nequaquam invenit, quin & acerbiores conflictationes sustinere coactus est, & ut eas praetereamus, quas ab humani generis hoste, & carnis concupiscentia sustinebat, ita ut *ineffabilis hostis*, ut ajebat, *post tergum sequutus, majora in solitudine* bella gereret; ex Antiochenae Ecclesiae schismate, in cujus ditione Calchidis solitudo erat, quotidie vexabatur, cum & Meletius, & Paulinus, & Vitalis in suam quisque partem trahere conaretur, & ut tres in Trinitate hypostases fateretur, Meletius cum tota Graecia exigebat, alioquin Marcelli, & Sabelli haeresi insimulabatur, quasi unicam in Trinitate personam admitteret. Paulinus vero, cui Latini consentiebant, Hypostasis nomine, non personam, sed substantiam intelligens, tres in Trinitate hypostases dicere, ore & animo refugiebat, atque unicam praedicabat; unde fiebat, ut quotidie Hieronymus de fide interrogaretur, & quotidie argueretur, cum utrique parti satisfacere non posset. In hisce ergo angustiis suum de Hypostasis quaestione judicium, suamque communionem suspendens, Romanam Ecclesiam omnium Matrem, & Magistram, ad

quam

quam *propter principalitatem*, ut ait Cyprianus, omnes convenire debent, & *ad quam perfidia locum habere non potest*, confugit, & Damasum Romanum Pontificem consulendum censuit, quid de ea quæstione tenere, & cum quibus communicare deberet, in quam rem ad eum hæc, inter cetera, habet: Jesu Chr. an. 378. *Cyprian. epist. ad Cornelium Pontif.*

21. *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi*, & post aliqua: *Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.* Quare in tanta Orientalium de fidei quæstionibus dissensione, se nec Vitalem, nec Meletium, aut Paulinum sequi protestatur, sed fidem Romanæ Ecclesiæ; obstinatas ineptasque de Hypostasis voce quæstiones pluribus narrat, ac tandem, quid credere, aut docere debeat, Damasum Pontificem humiliter, enixeque precatur, quem, ut epistolas suas Evagrio presbytero dirigat, admonet. Hieronymi ep. ad Damasum Papam. *Hier. epist. 15 n. 1.*

22. Non multo post cum nondum a Damaso Papa responsum accepisset Hieronymus, & acrius a Meletianis, & Paulinianis, urgeretur, ut de Hypostasis quæstione fidem suam & sententiam proderet, secundas ad Damasum Pontificem dedit epistolas, quibus hoc est exordium: *Importuna in Evangelio mulier, tandem meruit audiri, & clauso cum servis ostio, media licet nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipse qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas, quæ peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio &c.* Ac multa, quæ in epistola altera dixerat, iterum inculcat, ac se a Meletio, a Paulino, & Vitali Antiochiæ Episcopis urgeri narrat, ut in suam unusquisque communionem traheret, se vero cui se sociaret, incertum esse addit. Quare post plurima: *Obtestor Bea-* Secunda Hieronymi epist. ad Damasum. *Hier. ep. 16.*

Jesu Chr. An. 378. *Beatitudinem tuam, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.* Quantas autem ea de causa molestias pertulerit, ita ut & eremum deserere cogeretur, in altera epistola ad Marcum presbyterum scripta testatur, in qua post præfationem: *Primo quidem antequam de fide mea, quam optime nosti, tecum loquar, de barbarie istius loci cogor clamare vulgato:*

Hier. ep. 17.

Æneid li. 1.

Quod genus hoc hominum, quæve
Hunc tam barbara morem
Permittit patria, hospitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant consistere terra,

deinde: *Hæreticus vocor, homousion prædicans Trinitatem, Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes veras integras perfectasque Personas indefessa voce pronuncians*; plura deinde addit, quibus sibi ex eremo excedendum esse, adnotat.

Hieronymus presbyter ordinatur.

23. Ex eremo itaque Antiochiam transiit Hieronymus, & in Paulini Episcopi communione sociatus, in clerum ab eodem primo cooptatus, presbyter deinde ordinatus fuit, invitus non solum, sed & addita etiam conditione, ne unquam ad ministrandum, aut Ecclesiæ inserviendum cogeretur, in eoque proposito toto vitæ suæ tempore perseveravit Hieronymus. Unde ut altari ministraret numquam adduci potuit, ut de eodem narrat Epiphan.: *Propter verecundiam, & humilitatem, nolle debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ christianorum præcipua salus est.* Hæc de Hieronymo Epiphanius anno 394. cum prope senex jam esset Hieronymus.

Epist. 51. inter Hieronym.

Hieronymus Dialogum adversus Luciferianos scribit.

Hier. Dialog. adver. Lucif. tom. 2.

24. Eodem tempore, idest hoc, vel labenti anno, dum Antiochiæ adhuc esset Hieronymus, Elladii cujusdam Luciferianæ sectæ disputationem cum orthodoxo habitam scripsit, biduo res transacta est, primo quidem die conviciis potius, quam argumentis; *ut dum audientium, & circulum, luntina jam in plateis accensa solverent, & inconditam disputationem nox interrumperet, consputa fere invicem facie recesserint. Hoc tamen his, qui adfuerunt, statuentibus, ut in secretam porticum primo mane conveniretur.* Die altera cum iterum convenissent, orthodoxo tam feliciter cessit, ut Luciferianus ad me-

meliora proficiens deseruerit, quod male tenebat; quam disputationem a Notariis exceptam Hieronymus non solum descripsit, sed & exornavit; alii etiam opus illud in catholicæ veritatis gratiam ad Dialogi formam a Hieronymo contextum, & expolitum fuisse tradunt, sed de Hieronymi gestis usque ad hunc annum, quo Sacerdos est ordinatus, hæc sufficiant. Cætera inferius dicenda reservamus.

Concilium Rom. contra Ursicini factionem.

25. Valentiniani rescripto ad Ampelium urbis Præfectum anno 372. dato Ursicini temeritas repressa fuerat, atque cautum, *ne ad urbem Romanam, vel certe suburbicarias regiones pedem inferret*; is tamen Principis jussa spernens, in Italiam reversus novos, gravesque tumultus, tum Romæ, cum in Italia excitaverat, quos Romana Synodus in sua epistola ad Gratianum, & Valentinianum data exponit. Ac primo cum ex tota Italia congregati Episcopi quærerent: *Quid pro Ecclesiarum statu poscendum esset a vobis, nihil melius potuimus reperire, quam quod spontanea vestri providentia contulistis &c.* Cum scilicet Ursicinianæ factionis temeritatem olim repressetant, dum Ursicinum cum sociis tota Italia exulare jusserant. Quare ad tollendas turbas, quas Ursiciniana factio iterum in pluribus Italiæ locis excitaverat, ut quæ alias statuta fuerant, integra servarentur, Imperatorem rogant; unde post aliqua: *Statuti Imperialis non novitatem*, inquiunt, *sed firmitudinem postulamus*. Indignum quippe esse addunt, ut Parmensis Episcopus synodali judicio damnatus, Ecclesiam tamen suam adhuc retineret, ac Florentius etiam Puteolanus a Romano Concilio damnatus post sextum annum in suam civitatem irrepserit, & in Ecclesia multas suas seditiones concitaverit. Ad Restitutum quoque in Africa Episcopum, ut causam apud Episcopos diceret Valentinianus jusserat, at Restitutus insolentium manu stipatus, Episcoporum judicium declinaverat. Per Africam quoque sacrilegos rebaptizatores ab Ecclesiis oppidisque ejici jusserant Imperatores. Sed ab expulsis Claudianus ordinatus fuerat, *& ad perturbandam Urbem Romam, quasi Episcopus destinatur, &c.* Post plurima, ne Damasum Pontificem Synodali sententia, & Imperiali rescripto absolutum, iterum inquietari permittant, enixe rogant: *Non fiat*, inquiunt, *inferior his, quibus etsi æqualis est munere*, (idest aliis Episcopis) *prærogativa tamen excellit Apostolicæ Sedis, ut Judiciis pu-*

JESU CHR. AN. 378. *publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra summovit, in quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam a vobis honorificentiam flagitare*. His etiam addunt, quod si Synodi sententiæ non credatur, *apud Concilium se Imperiale defendat, nam & Sylvester Papa a sacrilegis accusatus, apud Parentem vestrum Constantinum, causam propriam prosequutus est &c.* Hæc, aliaque pro Damasi causa Rom. Synodus ad Imperatores, quibus acceptis Gratianus, & Valentinianus Aug. ad Aquilinum Urbis Vicarium rescripto suo jusserunt, ut quæcumque Rom. Synodo sancita fuerant, aut ab Imperatoribus petita, executioni mandarentur. Si etenim, inquiunt, ordinariorum judicum sententiæ labefactari non licet, multo minus quæ Imperiali rescripto definita jam fuerant.

Imperatoris rescriptum pro Damaso. 26. *Nonne absurdum est*, inquit Valentinianus Imperator, *quod Ursicini jussit amentia, quam quod serenitas nostra mitibus persuasit edictis, ut omnes, qui impios cœtus profanata Religione tentarent, vel ad centesimum Urbis milliare pellerentur, ubi pertinax furor ab obsequentibus destitutus, in ejus tantum perniciem rueret, qui solus erraret, & ut condemnati judicio recte sentientium Sacerdotum, reditum postea vel ad Ecclesias, quas contaminaverant, non haberent, vel redintegrationem Judicii frustra a nobis imprudenti pervicacia precarentur*. Quapropter ut jam alias adversus schismaticos statuta, & ad Simplicium quondam Vicarium urbis directa exequi faciat, Aquilinum admonet. Quæ deinde in synodali epistola exposita fuerant adversus Ursicinum, adversus Isaacem Hispanum, adversus Parmensem, & Puteolanum Episcopos, & Claudianum Donatistarum Episcopum, quem Romæ Episcopum Donatistæ destinaverant, enarrat, ac ut juxta synodalem sententiam suamque jussionem ecclesiis, urbibusque ejicerentur imperat. Quare post plurima: *Volumus*, inquiunt, *ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque, vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui Catholici sunt, judicio, vel concilio condemnatus fuerit, si injuste voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad Sacerdotale Judicium per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, sive a Proconsulibus, vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad Episcopale Judicium remittatur, vel ad Urbem Romam*

mam sub prosecutione perveniat. Qui vero in longinquis ab urbe provinciis constituti erant, ut apud Metropolitanos eorum causa finiatur jubet, Metropolitanus vero a Rom. Pontifice judicabitur, aut a judicibus ab eodem delegatis; ita tamen, ut quicumque dejecti fuerint, ab ejus tantum urbis finibus segregentur, in quibus fuerint Sacerdotes, ut leniorem, quam mereantur, pœnam sustineant. Quod si vel Metropolitani Episcopi, vel cujuscumque Sacerdotis suspectum erit judicium, ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium quindecim Episcoporum finitimorum accersitum provocare licebit. Sed de Gratiani, & Valentiniani rescripto hactenus, quod labenti anno vulgatum fuisse, ex eo arguunt viri docti, quod Valentis, ac Theodosii Imperatorum nomen desideretur; unde cum ineunte anno Valens perierit, ut supra diximus, & sequentis initio Theodosius Augustus nuncupatus fuerit, ut suo loco videbimus, hinc nonnisi hoc anno labente hoc rescriptum in lucem prodiisse constat, alioquin aut Valentis nomen legeretur, si eo superstite emissum fuisset, aut Theodosii.

Fidei professio a Romana synodo in Orientem missa. Coustan. pag. 507. Theodor. lib. 5. 11.

27. Ad eamdem Romanam Synodum, de qua agimus, pertinet Fidei professio, quam *Damasus Papa destinavit ad Paulinum Episcopum in Macedonia, qui fuit Thessalonicæ*, ut in ejus inscriptione legitur, seu, ut habet Theodoretus: *Confessio Fidei, quam Papa Damasus misit ad Paulinum Episcopum, cum esset Thessalonicæ in Macedonia* pro catholica Fide exul, ad quem alias Damasus litteras suæ communionis testes dederat. De eadem Fidei confessione Auctor Synodici audiatur: *Cum Valens in Thracia periisset ... Gratianus filius ejus* (idest nepos, ex fratre filius) *Occidentis, & Orientis Imperator factus, pios Episcopos ab exilio revocavit, quo tempore Beatus etiam Damasus sacram Romæ convocavit Synodum adversus Arianos, Pneumathomacos, & alios plurimos hæreticos, expositamque definitionem Divinorum capitum Thessalonicam ad Paulinum misit, quæ ex Divina ubique dispensatione maxima perfecit, ut Trinitatem Homousion adorandam esse omnibus persuasit*. Qua fidei professione, quam Theodoretus quoque recitat, non solum Nicænam Fidem servandam esse statuit, sed & hæreses omnes, quæ vel Trinitatem, vel Filii Dei veram incarnationem evertebant, condemnat, & inter eas Macedonianorum, & Apollinaristarum, quæ tunc temporis in

Lab. tom. 2. p. 899.

Theod. li. 5. 11

JESU CHR. AN. 378. Oriente maxime serpebant: *Anathematizamus Macedonianos*, inquit Damasus, *qui ex Ariana radice derivati non impietatem, sed vocabulum mutaverunt*. Et paulo post: *Anathematizamus & eos, qui pro rationali anima confirmant, quia Verbum Dei in humanam carnem conversum est. Ipse namque Filius Verbum Dei, non pro rationali anima, & intelligibili in suo corpore factus est, sed nostram, hoc est rationabilem animam sine peccato assumpsit, atque salvavit*. Post Fidei decreta, eorum etiam Sacerdotum, vel Clericorum temeritatem arguit, qui propria relicta Ecclesia, ad alias transibant, aut, qui vivente adhuc Episcopo, ordinari se patiebantur, aut se ordinari curabant cum spe successionis, quos idcirco a communione alienos esse statuit, donec ad proprias Ecclesias redierint, aut donec successor ejus quiescat in Domino. Sed de Damasi synodo, & epistola, seu Fidei professione hactenus, quam aliis annis Eruditorum plurimi alligant; Baronius anno 373. Harduinus anno 379. Merenda anno 380. At Pagi, Tillemontii, aliorumque opinio magis arridet, quæ hæc labente anno contigisse probant.

Bar. an. 373. n. 4. ad 12. an. 381 n. 2. Harduin. Concil. to. 1. pag. 802. Merenda de scriptis, & gestis Damasi c. 15. 16.

JESU CHRISTI AN. 379. DAMASI PAPÆ 14.
GRATIANI IMP. 13. VALENTINIANI 5.
THEODOSII I. COSS. AUSONIO, ET
CLODIO HERMOGENIANO OLYBRIO.
OLYMP. 289. AN. 3. URBIS AN. 1132.

De Ausonio Consule.

1. Consulum primus, idest Ausonius, pro adepto consulatu Kal. Januarii orationem versibus recitavit, cujus hic erat titulus: *Precatio Ausonii Consulis designati pridie Kal. Januarii, fascibus sumptis*, qua inter cætera, ait.

Jam veni novus anne, veni renovate, veni Sol.

Cumque vertente anno Gratianus ex Illirico in Gallias transiisset, ac Treveris esset, panegyricam orationem coram Gratiano recitavit, qua multa in ejusdem laudem dixit, ut ibidem videre est.

Theodosius Imperator eligitur, de ejusdem genere.

2. Hoc etiam anno Gratianus etsi fratrem haberet, idest Valentinianum impuberem, quinquennem scilicet, cum se ultro-

utroque Imperio, a Barbaris undique irrumpentibus tuendo, imparem esse cognosceret, Theodosium in Imperii societatem adscivit, virum ob Christianam pietatem, praeclarasque animi dotes clarissimum, quique ob res praeclare gestas Magni cognomen promeruit. De Theodosii parentibus, & patria Historici dissident, quem in Hispania, ac Italicae lucem vidisse, narrat Marcellinus in Chronico; Caucae in Gallicia Idacius, & Sozimus scribunt, consanguineus tamen Gratiano erat, si Prospero fides habenda: *Gratianus post mortem patrui Theodosii, Theodosium filium in consortium assumit Imperii*. Patruus tamen proprie esse non potuit, sed lato modo, eo quod Thermantia Theodosii Imperatoris mater, Valentiniani soror erat. Anno 354. natus erat Theodosius, ac trigesimo tertio aetatis suae Imperio sociatus fuit, cum plurima antea fortitudinis indicia dedisset: *Accito ab Hispania Theodosio, cunctis faventibus, agenti annum a trigesimo tertium, Imperium committit* Gratianus, ait Victor in Epitome. De rebus vero ab eo gestis plura habent Marcellinus, & Pacatus in Panegyrico. Theodosii inaugurationem Sirmii factam innuit Sidonius in Majorani panegyrico vers. 109. *Nam Theodosius, quo tempore Sirmii Augustum sumpsit nomen*, ac decimo septimo Kal. Febr. id accidisse, Socrates, quem Baronius sequitur, narrat. At Idacius in Fastis, cui alii Chronologi, & eruditi consentiunt: *Ausonio, & Olybrio Coss. levatus est Theodosius Aug. ab Augusto Gratiano XIV. Kal. Febr. in civitate Sirmio*. Quod autem vix fidem invenit, nec satis in Theodosio laudari potest, illud est, quod Imperium invitus fere susceperit, unde Pacatus in Panegyrico: *Dies ille communis is boni auctor, quo tu cum ad suscipiendam Rempublicam vocareris, oblatum Imperium deprecatus es, nec dans speciem tantum cogi videreris, sed obnixe, & diu, & velut impetraturus egisti*, quod & confirmat Claudianus in oratione pro quarto Honorii Consulatu, dum ait:

Jesu Chr. an. 379.

Marcell. lib. 29. 6.

Socrat. li. 5. 2. Baron. 379. 3.

Haec sunt innumeris per se quaesita trophaeis,
Non generis dono, non ambitione potitus:
Digna legi virtus, ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

Au-

Jesu Chr. An. 379. Augustinus etiam, ob Theodosium Imperio sociatum, Gratianum celebrat: *Gratianus Theodosium Regni participem fecit, cum parvulum haberet & fratrem, avidior fide societatis, quam nimiae potestatis.*

Aug. de Civit. Dei li. 5. 25.

De Theodosii moribus, & virtutibus.

3. De Theodosii dotibus animi, & corporis audiatur Victor in Epitome: *Fuit Theodosius moribus, & corpore Trajano similis, quantum scripta veterum, & picturæ docent. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries &c.* Quæ tamen Trajanum turpaverant, viuolentiam, luxuriam, & bellorum cupiditatem, ut triumphos obtineret, eo usque detestatus est Theodosius, ut bella non moverit, sed invenerit; pudoris vero, ac continentiæ sic studiosus fuit, ut lasciva ministeria, psaltriasque comessationibus adhiberi prohibuerit, eademque de causa consobrinarum nuptias vetuit. Litteris vero mediocriter eruditus erat, sagax nihilominus, ac diligens ad cognoscenda majorum gesta. In affines vero adeo blandus, ut patruum, tanquam patrem coleret, Fratris sororisque liberos, tanquam filios diligeret. Hæc, aliaque de Theodosio Victor, quem quidem improbis fuisse moribus, ac voluptarium inertem, immanisque avaritiæ, scribit Sozimus, quæ sane christianæ Religionis odio, cui summopere Theodosius favebat, eum vulgasse, non solum alii Historici testantur, sed & ipsius Theodosii gesta demonstrant.

Theodosii de Gothis victoria.

4. Quanto autem Reipublicæ bono hæc Theodosii ad Imperium nuncupatio futura esset, statim patuit; nam Imperium vix adeptus de Gothis insignem hoc anno victoriam retulit, ut Theodoretus, aliique scriptores narrant: *Ille* (idest Theodosius) *fide munitus iter arripuit, ingressusque in Thraciam, & Barbaros infestis signis irruentes conspicatus, milites suos instruxit ad prælium, commissaque pugna, Barbari, cum impetum nostrorum ferre non possent, ordines deseruerunt, & in fugam versi, ipsi quidem terga dabant, Romani vero fugientibus acriter instabant. Magna tunc facta est strages Barbarorum. Non enim a Romanis solum, verum etiam a suis ipsi cædebantur. Ita plurimis interfectis, paucisque, qui se occultare potuerunt, Istrum transgressis, statim Dux præstantissimus cum per vicinas urbes exercitum suum dispersisset, ipse, contento cursu, ad Imperatorem Gratianum perrexit, victoriæ suæ futurus nuntius &c.* Tanta porro victoria incredibilis adeo Gratiano

Theod. li. 5. 5.

visa

visa est, ut delectos viros ad Barbarorum castra miserit, qui rem sibi referrent, ut eodem loco narrat Theodoretus, ejusdemque victoriæ ad hunc annum meminit Idacius in Fastis.

Ascholius Thessalonicensis Episc. Gothos fugat

5. Theodosii victoria celebrior ea fuit, quam de Gothis Macedoniam vastantibus, & Thessalonicam usque irrumpentibus, Ascholius Thessalonicensis Episcopus retulit, dum spiritualibus tantum armis, idest orationibus munitus pugnavit, hostesque fugavit, ut narrat Ambrosius in epistola, quam post ejus obitum ad Thessalonicensem clerum, & populum dedit. Inter cætera: *Itane ergo raptus est nobis murus fidei, gratiæ, & sanctitatis, quem toties ingruentibus Gothis, nequaquam tamen potuerunt barbarica penetrare tela, expugnare multarum Gentium bellicus furor, denique in cæteris populatores locis, illic pacem rogabant, mirantibusque quis sibi sine milite ullo obsisteret*; post plurima adnotat, quod sicuti Eliseus in Samariam captivas acies Syrorum induxit, ita Ascholius precibus suis fecit, ut de Macedonia victores Gothos fugaret, ac ubi nullus miles erat, pellerentur sine milite, quos Ascholius non gladiis, sed orationibus, non telis, sed meritis vincebat. Hæc aliaque de victoria Gothica cœlitus a S. Ascholio obtenta Ambrosius, in cujus laudem plura habet sequenti epistola ad Anisium ejusdem in Episcopatu successorem, quem non virtutum fama sibi notum fuisse, sed facie etiam, & sermone, nam cum Ascholius in Italia esset, Ambrosium ægritudine laborantem visitaverat. *Ambros. ep. 16* *Ambros. ep. 16*

De Gratiani Imperatoris victoria, & gestis.

6. Gratianus interea, cum Theodosium Imperio sociasset, eique Orientales provincias regendas tradidisset, in Gallias rediit, quo frequentes Barbarorum incursiones eum vocabant. Ejus iter Ausonius in oratione pro Consulatu suo coram Gratiano Treviris recitata, describit. De victoria contra Barbaros a Gratiano habita, hæc narrat Sozomenus: *Sub idem tempus cum Alemanni crebris incursionibus Gallias infestarent, Gratianus ad occiduas paterni Imperii partes reversus est, quas ipse sibi, ac fratri regendas retinuerat, cum Illyricum, & Orientis partes Theodosio tradidisset, & ipse quidem ex animi sui sententia rem gessit adversus Alemannos &c.* *Sozom. lib. 7. 4*

Gratiani epistola ad Ambrosium, & Ambrosii ad Gratianum.

7. Dum ex Illyrico Gallias Gratianus properaret, Italiam pertransiens, ad Ambrosium epistolas dedit, quibus, ut ad

JESU CHR. AN. 379. Ambrof. ep. 1. tom. 3.

ad se veniret, perhumaniter invitavit: *Cupio valde*, inquit, *ut quem recordor absentem, & cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim præsenti. Festina igitur ad me, religiose Dei Sacerdos, ut doceas doctrinam vere credentem, non quod contentioni studeam, aut velim magis Deum verbis, quam mente complecti, sed ut magis aperto pectori revelatio Divinitatis insideat*. Et post aliqua in fine epistolæ: *Rogo te, ut mihi des ipsum tractatum, quem dederas*, duos scilicet de Fide libros, quos ab Ambrosio petierat Gratianus anno 378., cum Valenti auxilia ducturus in Orientem properaret, ut iis Libris tanquam antidoto adversus Arianam pestem muniretur. Cumque eos accepisset, Ambrosium iterum rogavit, ut cum iis Jesu Christi Divinitatem omni argumentorum genere demonstrasset, idem de Spiritu Sancto probaret: *Rogo te*, ait, *ut mihi des ipsum tractatum, quem dederas, augendo illic de Spiritu Sancto fidelem disputationem, Scripturis, atque argumentis Deum esse convincas. Divinitas te servet per multos annos parens, & cultor Dei æterni, quem colimus Jesu Christi*. Ambrosius his litteris ab Imperatore acceptis, quod eidem non occurrerit, primo se excusavit; Spiritu tamen, & mente præsentem se ei ubique fuisse profitetur, libros vero quos exquisierat, iterum mittit, atque de Spiritu Sancto in posterum se tractaturum, pollicetur, dilationem tamen petit, ut in eadem epistola pluribus narrat. Hinc subdit: *Si Dominus faverit, huic etiam Clementiæ tuæ satisfaciam*.

Ambrosius libros de fide ad Gratianum mittit.

8. Cur autem dilationem petierit, id maxime in causa fuit, quod de Fide, seu de Verbi divinitate tres alios libros digereret, cum etenim Ariani nil haberent, quod duobus prioribus libris objicerent, ne victi cederent, brevitatis prætextu præcipuas ipsorum objectiones ab Ambrosio consulto prætermissas fuisse, effutiebant. Qua de causa, tres alios libros prioribus addidit, quos etiam ad Gratianum Imperatorem misit, cui hæc præfatur: *Quoniam, clementissime Imperator, instruendi tui gratia aliqua de Fide mihi scribenda mandaveras, & verecundantem coram etiam ipse fueras adhortatus, ideo quasi in procinctu positus, duos tantum conscripsi libellos, quibus vias quasdam Fidei, & semitas demonstrarem. Sed quoniam mens prava quorumdam serendis intenta quæstionibus stylo lacessit, ube-*

Ambrof. ... de II. 3. p. ... to. 3.

uberiore confici, tuæ quoque pia me cura clementiæ ad cætera vocat, volens in pluribus experiri, quem in paucis probasti, ea quæ perstricta paucis superius sunt, placuit mihi paulo latius exsequi, ne ea quasi diffidentia adsertionis deseruisse potius, quam securitate fiduciæ proposuisse videamur. Hæc ad Imperatorem Ambrosius, quem sæpe in operis decursu alloquitur, & maxime in cujusque libri proœmio. In præfatione vero ad quintum librum, cum aliqua de Spiritus Sancti divinitate inseruisset, sine dispendio plenioris tractationis se fecisse testatur: *Quinto igitur libro de Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti inseparabili Divinitate digerimus, sequestrata interim pleniore de Spiritu Sancto disputatione*, cui pollicitationi anno 381. tandem satisfecit, ut suo loco videbimus.

9. Post Valentis obitum lege lata sanxerat Gratianus: *Ut omnes cujuscumque religionis homines, absque ullo discrimine in Ecclesiis convenirent*, Eunomianis, Photinianis, & Manichæis exceptis; quam legem hoc anno, dum Mediolani esset, mutata in melius sententia revocavit, omnesque hæreticos lege ad Hesperium data, Ecclesiis ejiciendos esse jussit. Hanc legem, Ambrosio hortante, dedisse, vix dubitamus; eodemque tempore Arianos Ambrosio insultantes, ac Mediolanensem Ecclesiam turbantes, auctoritate sua Gratianus repressit, quare in supracitata epistola ad Gratianum gratias agens: *Reddidisti mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atque utinam & corda, clausisti, & hoc non minore fidei, quam potestatis auctoritate fecisti.*

Gratiani Lex contra Hæreticos.

Ambrof. ep. 1.

10. Quam de Gratiani Imperatoris benevolentia conceperat lætitiam Ambrosius, in luctum paulo post conversa est, ob carissimi fratris obitum, cujus mortem, etsi alii ad annum 383., vel 384. differant, labenti tamen anno 379. contigisse, multis argumentis probant Maurini editores. Factus Episcopus in Satyrum domesticæ rei curam Ambrosius transtulerat, eaque de causa anno proximo hyeme instante, *negligens frigoris, patiens injuriæ* in Africam navigaverat, ut pecuniam a Prospero quodam Ambrosio debitam exigeret, quam *Sacerdotii occasione redditurum se, quæ abstulerat, non putabat.* Ab ea navigatione, quantum potuit, fratrem revocare curavit Ambrosius: *Præsagæ mentis*, ajebat, *agnosco formidinem, dum repeto sæpe, quæ scripserim, revocabam te Frater, ne ipse A-*

Satyri Ambrosii fratris iter.

Ambrof. vita 1.10.4. & p.

fricam peteres, ac potius aliquem destinares, sed peregrinationem explicuisti, & rem ordinasti, & sentinoso, ut audio, navigio iterum te fluctibus credidisti. Quod timebat, pene accidit, nam soluta navi Satyrus vix salvus evasit, & quidem fidei merito magis, quam humanis viribus, de quibus hæc idem Ambrosius:

Satyrus e naufragio Dei ope liberatus.

11. *Priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis* (cum scilicet catechumenus, & nondum baptismate ablutus) *in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur, navis scopuloso illisa vado, & urgentibus hinc atque hinc fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysteriis exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud Fidelium Sacramentum poposcit, ut non curiosos oculos inferret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in Mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum, atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit, & primus servatus ex undis, etiam cæteros servulos suos, vel ipse liberavit, vel liberatos comperit.* Satyrum fratrem Marcellinæ sororis precibus periculo ereptum tradit Ambrosius, quæ pro ejus salute votum Sancto Laurentio fecerat, de quibus hæc habet:

Sanctorum invocatio utilis probatur.

12. *Putabamus redditum, quem videmus dilatum, tuis enim votis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse, nunc cognoscimus commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi. Et quidem tibi, Omnipotens æterne Deus, gratias ago, quod vel hæc nobis suprema solatia non negasti, quod amantissimi fratris, ex Siculis Africanisve regionibus exoptatum nobis redditum contulisti, ita enim mature, postquam venit, ereptus est, quasi propter hoc solum videretur esse dilatus, ut ad fratres rediret.*

Reali Christi præsentia in Sacramento.

13. Nec prætereundum est, ex Ambrosii narratione Ecclesiæ fidem de reali Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ, & disciplinam sub unica tantum specie servandi, vel sumendi, mirifice confirmari; nam Satyrus in periculo positus, cum adhuc catechumenus esset, ab his, quos initiatos noverat, quique una secum sacramentum ferebant: *Divinum illud*

illud fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inferret arcanis, quod catechumenis illicitum erat, *sed ut fidei suae consequeretur auxilium*. Ex his autem constat, quod christiani Eucharistiae sacramentum secum sub unica tantum panis specie deferrent, illud pro opportunitate sumpturi; hinc Satyrus Sacramentum *ligari fecit in orario*, seu linteo, *& orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare satis munitum se credens*; in qua narratione si quis Ecclesiae fidem circa Eucharistiae sacramentum non agnoscit, aut caecus omnino, aut pervicax est, dum Lutheri, aut Calvini deliramenta praefert Ecclesiae fidei a patribus traditae, & maxime hoc saeculo ab Ambrosio, Augustino, Hieronymo, ab utrisque Gregoriis Nysseno, & Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo, caeterisque Ecclesiae Patribus; quibus Calvinum, Lutherum, aliumve ex Reformatorum choro praeferre, vel etiam comparare, nemo nisi insanus audebit. Attamen quot sunt, proh dolor! qui se sapere dicunt, & eruditione clarescunt, qui Calvini, aut Lutheri deliramentis praeoccupati, catholicae Ecclesiae dogmati subscribere recusant? Utinam det illis Deus aliquando meliora sapere, & intelligere, & ad lumen veritatis venire.

JESU CHR. AN. 379.

14. Ad Satyrum redimus, qui periculo ereptus, ut gratiam Servatori referret, baptizari illico voluit: *Nam qui tantum Mysterii caelestis involuti in orario fuisse expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano*, ut divini Sacramenti particeps esse posset, *advocavit ad se Episcopum*, cujus loci ignoratur; *nec ullam veram putavit, nisi verae fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrum nam cum Episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret, & forte ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat*; idest Luciferianae sectae, ut narrat Ambrosius, quapropter alio transiens, *ubi primum copia liberior Ecclesiae fuit, implere non distulit*, cum scilicet catholicum Episcopum invenit, *gratiam & accepit desideratam, & servavit acceptam*.

Satyrus ab haereticis baptizari recusat.

15. Interea confecto feliciter negotio, cujus gratia in Africam transierat, cum ad Ambrosium vix rediisset, immatura morte ereptus est, unde Ambrosius: *Ita enim immature, postquam venit, ereptus est, quasi propter hoc solum videretur*

Satyrus Mediolano redux, obiit.

JESU CHR. AN. 379. *esse dilatus, ut ad fratres rediret*. Defuncti fratris oculos Ambrosius ipse clausit, & suppositis humeris ad sepulchrum detulit; hinc in oratione funebri: *O dura oculorum lumina, quæ potuistis fratrem videre morientem! O immites, & asperæ manus, quæ clausistis oculos! O durior cervix, quæ tam lugubre onus, consolabili licet obsequio, gestare potuisti &c.* Coram frequentissimo populo eam Ambrosius orationem habuit, cui alteram die septima ad Satyri tumulum rediens recitavit, quam de fide resurrectionis inscripsit, eaque quidquid solatii in propinquorum excessu afferri potest, sub oculos ponit. Inter cætera quis orationis scopus fuerit, his verbis exponit: *Nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, a fratre paululum ad communem humani generis cohortationem juvat derivare mentem, intentionemque transfundere &c.* Tandem si Dungalo fides, ipse Ambrosius Epitaphium fratri suo his versibus posuit:

Ambros. de fide resurrect. l. 2. to. 4. p. 199.

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad Lævam detulit Ambrosius.
Nec meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Hæc Dungalus in commentario contra Claudium Taurinensem, Ludovico Pio, & Clotario ejus filio inscripto, sed de Satyri excessu jam satis, cujus memoria 14. Kal. Octobris Martyrologio Rom. recolitur, nunc lætiora sequantur.

Meletius ab exilio Antiochiam redit. Theodor. lib. 5. 2.

16. Quotquot sub Valente Imperatore exulaverant, ad suas Ecclesias revocaverat Gratianus anno proximo, ædesque sacras iis tradi jusserat, *qui cum Damaso Romano Pontifice communicarent*, ait Theodoretus, qui & addit, Saporem eodem tempore magistrum militum misisse, ut Arianæ blasphemiæ prædicatores tanquam feras quasdam a sacris ædibus ejiceret, catholicos autem Episcopos constituendos curaret, aut exules revocaret, quod quidem sine controversia executioni mandatum est. At Antiochiæ, quæ Metropolis est Orientis, non tam facile res componi potuerunt, eo quod diro schismate ea Ecclesia jamdiu scissa esset, cum præter duos Episcopos hæreticos, Euzojum scilicet Arianorum, vel Dorotheum, qui eidem successerat, ut ait Socrates, & Vitalem Apollinaristarum,

rum, duo quoque Catholici essent Paulinus scilicet, & Meletius. Quare cum Antiochiam Sapores magister militum advenisset, & Imperatoris legem protulisset, Paulinus quidem affirmabat se cum Damaso communicare; idem quoque asserebat Apollinaris, hæresim suam occultans. Meletius interea, qui Antiochiam tunc redierat, contentionem illorum tacitus sustinebat. Flavianus vero, qui in Presbyterorum ordine adhuc erat, primum quidem ita Paulinum allocutus est, Magistro militum audiente. Si Damasi communionem amplecteris, o amice, doctrinæ nobis manifestam similitudinem ostende. Nam ille quidem unam, eamdemque Trinitatis substantiam confitens, tres hypostases diserte prædicat; tu contra Trinitatem tollis hypostasium: ostende igitur consensionem doctrinæ, & ecclesias accipe, ut lex jubet. Deinde ad Apollinarem conversus: *Miror te*, inquit, *tam impudenter repugnare veritati*. Nam cum probe scias Damasum asserere, perfectum hominem a Deo Verbo assumptum esse: *Tu contrarium affirmare non cessas, mentem enim nostram a salute excludis. Quod si falsa sunt, quæ tibi objicimus, nunc saltem renuntia novitati, quam excogitasti, & Damasi doctrinam amplectere, ac tum demum sacras ædes obtine*.

JESU CHR. AN. 379. Socrat. li. 5. 5.

17. Inter hæc Meletius vir omnium mortalium mitissimus Paulinum his verbis compellavit: Quandoquidem & mihi & tibi hujus gregis curam Dominus commendavit, ovesque inter se in religione consentiunt, jungamus greges, o amice, & contentionem de primatu deponamus, gregemque in commune pascentes, communem iis curam ex æquo impendamus. Quod si cathedra in medio posita contentionem facit, eam ego auferre conabor. Posito enim super illa Evangeliorum libro, nos ex utraque parte sedeamus. Ac si quidem ego prior ex hac vita discessero, tu solus, o amice, præsulatum totius gregis obtine. Si vero id tibi prius contigerit, tum ego, prout potero, gregis curam geram. Cum hæc Meletius dixisset, Paulinus vero oblatam conditionem respuisset. Tunc Sapor magister militum, quæ dicta fuerant, attente considerans: *Ecclesias Meletio tradidit. Paulinus autem gregis illius, qui ab initio separatus fuerat, Antistes permansit*. Ait Theodoritus. Paulo aliter rem narrant Socrates, & Sozomenus, Paulinum scilicet cathedræ societatem cum Meletio, utpote

Meletii ad Paulinum allocutio.

Socrat. lib. 5. 5. 5.
Sozom. lib. 7. 3

JESU CHR. AN. 379. pote ab Arianis ordinato recusasse, ac populum in suburbana Ecclesia collegisse.

Qua conditione inter Paulinum & Meletium pax inita sit.

18. At paulo post mutato consilio, *populus ad concordiam rediit, pactis inter se hujuscemodi conditionibus*. Cum omnes, qui ad Episcopatum gerendum idonei videbantur, in unum collegissent, erant autem sex numero, atque inter eos erat Flavianus, sacramento eos adegerunt, ut altero e duobus Episcopis mortuo, nemo ipsorum Episcopalem sedem ambiret, sed alter, qui superstes esset, demortui locum retineret. Atque præstito juramento populus ad unitatem rediit, nec ulterius inter se divisus est. Hæc de inita inter Paulinum, & Meletium, eorumque sectatores concordia Socrates, & Sozomenus; unde etsi verum sit Paulinum oblatam conditionem primo respuisse, ut narrat Theodoretus, postea tamen, sive populi instinctu, qui ad seditionem usque commotus erat, sive synodi auctoritate, quæ tunc Antiochiæ celebrata fuit, oblatis conditionibus subscripsit Paulinus, & cum Meletio in concordiam rediit. Hujus pacti, ut nullus in demortui locum subrogaretur, mentio est in epistola Concilii Aquilejensis anno 381. ad Theodosium Imperatorem data, his verbis: *Oblatas pietati vestræ opinamur preces nostras, quibus juxta partium pactum poposcimus, ut altero decedente penes superstitem Ecclesiæ permanerent, nec aliqua superordinatio attentaretur*. Et iterum epistola Concilii Italiæ ad eumdem Theodosium, de eadem concordia inter Meletium, & Paulinum inita: *Scripseramus dudum, ut quoniam Antiochena civitas duos haberet Episcopos Paulinum, & Meletium, quos sibi concinere putabamus, aut inter ipsos pax, & concordia, salvo ordine Ecclesiastico, conveniret, aut certe si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstite altero gigneretur*. Quapropter Flaviani ordinationem in Meletii defuncti locum, irritam, & contra pacta conventa factam asserunt, de quibus infra suo loco. Cæterum Meletii reditus non solum Antiochiæ profuit, sed & aliis Ecclesiis, quibus viros & pietate, & doctrina celeberrimos præfecit, Diodorum scilicet Tarsensi Ecclesiæ, cui *& Ciliciam provinciam commendavit*. *Apameæ vero pontificatum Joanni tradidit, quem divinus Meletius ad alia quoque certamina transtulit, nam cum urbem Germaniciam Eudoxiani erroris labe corruptam*

a. lib. 5. 4

ruptam esse didicisset, hunc salutarem medicum eo misit ... nec Meletium sua spes fefellit, spiritus enim doctrinam adhibens, lupos in oves mutavit. Sed de Meletio hactenus. Jesu Chr. an. 379.

19. Meletio celebrior adhuc fuit Eusebius Samosatenæ Ecclesiæ Episcopus ob innumera pro Fide inita certamina, sub Constantio, & Valente Imperatoribus, pro qua etiam martyrium subiit, ut mox videbimus. Hic exilio ob Gratiani rescriptum solutus, Orientis ecclesias visitans, illustres ob catholicam Fidem viros præfecit, Bereæ scilicet Acacium, Hierapoli Theodotum, Eusebium Chalcidi, & *Isidorum Cyro nostræ Antistites dedit*, ait Theodoritus; Eulogium etiam, qui pro Apostolica doctrina fortissime certaverat, uti paulo ante adnotavimus. Eusebii Samosateni Episcopi gesta.

20. Postremo cum Dolichæ Marim Episcopum constituere vellet, dum urbem ingreditur, ab Ariana muliere percussus tegula e tecto immissa, martyrium subiit, ut pluribus narrat Theodoretus: *Moriens autem Eusebius eos, qui aderant, jurejurando obstrinxit, ne a muliere pœnas hujus facti ullas exigerent. Imitari enim studebat Dominum suum, qui pro illis, a quibus crucifixus fuerat, dixit: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*. Sed de Eusebii martyrio hactenus, cujus memoria Martyrologio Romano recolitur. Quanti eum fecerint sanctissimi viri Basilius, & Gregorius Nazianzenus, eorumdem epistolæ testantur, ad quem plusquam viginti Basilius dedit, quas longum esset recensere. Eusebii Samosateni martyrium. *Martyr. Rom. die 11. Junii.*

21. Restituta Gratiani rescripto Ecclesiis pace, cum catholici Episcopi aut ad sua redirent, aut viduatis Ecclesiis catholici præficerentur, urbs Regia præ cæteris, quæ Arianorum furore longo tempore vastata fuerat, optimum meruit habere Episcopum, idest Gregorium Nazianzenum, qui potens opere, & sermone, ad eam Ecclesiam erigendam, & ad catholicam Fidem in ea restituendam, ab Episcoporum Synodo illuc missus fuit, ut in vita sua his versibus testatur; Gregorius Nazianzenus CP. mittitur.

Me misit almus Spiritus vocantibus
De plebe multis, atque item Pastoribus,
Plebem ut juvarem, pro fide arma sumerem.

Et paulo post:

Sic

JESU CHR. AN. 379.

Sic sum profectus, sponte non certe mea,
Verum coactus, ut fidem defenderem.

Quod & Theophanes in Chronico his verbis indicat: *Tum etiam Gregorius Theologus, Basilii, Meletii, & aliorum pietatis propugnatorum industria, Constantinopolitanæ Ecclesiæ regimen suscipit.* E Seleuciensi itaque solitudine, ubi post patris obitum in Theclæ monasterio delituerat, ereptus, Constantinopolim perrexit, cui stimulos jam properanti magnus Basilius addidit, ut ait Gregorius Presbyter in ejus vita; Ruffinus vero: *Reddita Ecclesiis pace*, ait, *Gregorius Constantinopolim, ad Ecclesiam docendam venire exhortatus non abnuit. Ubi brevi tempore tantum, ad emendandum populum a vetustis Hæreticorum infectum venenis, proficit, ut tunc primum christiani sibi fieri viderentur, & novellam lucem veritatis, cum religionis Doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis.* Triennio autem Constantinopoli Nazianzenus substitit, de se ipso etenim Nazianzenus ad Episcopos habet:

Ruff. li. 2. 9.

Quid improbum, quid vobis contrarium, quid noxium
Vel verbis protuli, vel re designavi toto hoc triennio?

Greg. Naz. carm. tom. 2. p. 893.

Quapropter tota erravit via Gregorius presbyter, & post eum Nicephorus, dum tradunt per annos duodecim Constantinopolitanæ Eclesiæ eum præfuisse, cum certum sit, labenti anno illuc advenisse, & anno 381. dum Constantinopoli œcumenica synodus celebraretur, discessisse, ut suo loco ibidem videbimus.

Gregorius Nazianz. CP. pi- ...

22. Constantinopolitanæ autem Ecclesiæ status infelix adeo erat, ut tunc temporis, ne minimam quidem Ecclesiam in urbe Nazianzenus haberet, ubi catholicos congregaret; tanta quippe anctoritate Ariani ibidem erant, ut etsi eos ecclesiis pelli, easque Catholicis tradi, paulo ante jussisset Gratianus, ne unam quidem Ecclesiam Catholicis hactenus concesserant, unde in privatam domum Gregorius hospitari coactus est apud pios viros sanguine sibi conjunctos, in qua domo catholicæ Fidei semina jecit, eademque domus, crescente in dies Fidelium numero, in Ecclesiam postea conversa, Anastasia, idest

idest resurrectio dici meruit, eo quod ibidem catholica Fides, quæ extincta quodammodo erat, postliminio revocata revixit, de quibus hæc idem Nazianzenus: *Hujus rei si causam quæritis, domus quædam pia, Deique amore flagrans, non secus ac Eliseum Sunamitidis domus, nos refocillavit, hominum spiritus, corporisque cognatione mecum conjunctorum, ac singulari liberalitate præditorum, apud quos hic quoque populus compactus est, cum exagitatam, & vexatam Fidei pietatem adhuc surriperet, nequaquam libere, nec sine periculo*. Quinque ibidem orationes habuit, de Theologia inscriptas, quibus Theologi nomen adeptus est, in quibus Anomeos, Arianos, & Macedonianos omni argumentorum genere, & efficacia profligavit, ut ibidem videre est, tom. 1. pag. 467., & sequentibus. Nec solum catholicæ Fidei prædicatione inclaruit Gregorii domus, sed etiam miraculis; nam inter causas, cur ea domus Anastasia dicta fuerit, hanc etiam recenset, quod in ea mulier gravida ex superiori porticu delapsa, Fidelium orationibus ad vitam una cum fœtu revocata fuerit: *Hic* (idest Nazianzenus) *in exigua quadam domo, quæ per quosdam ejusdem fidei homines, tum ipsi, tum iis, qui eamdem Religionem sequebantur, in Ecclesiæ speciem commutata fuerat, collectas agebat*. Sequenti vero tempore præcæteris regiæ urbis ecclesiis illustris evasit, tum ob structuræ elegantiam, & amplitudinem, cum ob divinas virtutes, quæ ibidem paragebantur, ut Sozomenus narrat. De Anastasiæ vero nomine subdit: *Porro hanc Ecclesiam Anastasiam nominant, ob id mea quidem sententia, quod Nicænæ Synodi doctrina per potentiam hæreticorum oppressa jam, utque ita dicam intermortua, Gregorii concionibus in eo loco suscitata revixerit*, quæ vera utique causa fuit, ut testis est ipse Gregorius. Sed & aliam ex miraculo ibidem peracto causam alii afferebant: *Si ve, ut ex aliis audivi*, addit Sozomenus, *qui se verum dicere asseverabant, eo quod dum populus collectas ibi celebraret, mulier quædam prægnans ex superiori portucu delapsa exspiravit. Facta autem ab omnibus oratione super ejus funere, confestim revixit, & una cum fœtu servata est. Ex miraculo igitur, quod divinitus illic contigerat, locus hic deinceps appellationem istam sortitus est*. Hæc ille.

Nazianz. or. in Maximum p.427.

Sozom. li. 7.5.

Jesu Chr. an. 379. Anastasiæ forma describit. & sedendi, aut standi ritus. Greg. Naz. in somnio tom. 2. p. 66.

23. Et sane e superiori loco Virgines, Matronasque Gregorium concionantem audisse, ipse Gregorius indicat, dum Anastasiæ formam his versibus describit:

Somno ego me dulci dederam, cum luce cupita
Ante meos oculos venit Anastasia,
Hærentem quæ prima fidem radicibus imis
Montis ad excelsi culmina summa tulit.
Unde etiam templum (manus hæc quod sedula fixit)
Hinc traxit sanctæ nomen Anastasiæ.
Sede alta, haud alta considere mente videbar.
Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graves sellis utrimque sedebant
Demissis, ætas lecta ducesque gregis
Vestibus in niveis, at stabat turba ministra
Splendorem referens agminis angelici.
Plebs vero propius cupiens accedere, partim
Circa suggestum fusa erat instar apum:
Pars sese veniens ad limina sacra premebat,
Auribus approperans, approperansque pede.
Multifidique urbis vici, foraque omnia, rursum
Mittebant alios ad mea dicta greges.
Denique virginei cœtus, matronæ & honestæ
E tectis aures ad mea verba dabant.
Atque hic ludus erat noctis, cupidusque popellus:
Pars etenim sermonem humilem, facilemque petebat,
Tollere quod nollet lumen ad alta suum.
Alto gaudebat rursum pars altera &c.

Quo. CP. pulsus sit Gregorius Nazianzenus.

24. Ut vero Gregorii opera, & sermonibus in regia urbe catholica Fides propagari cœpit, Ariani eo ferociæ devenerunt, ut Gregorium hæreticum inclamantes, & furentis plebis animos in eum ita excitarunt, ut lapidibus impeteretur, de quibus in vita sua hæc narrat:

At qui mearum tunc fuit rerum status;
Ingressus urbem plurimis jactor malis,
Exarsit in me tota primum civitas,
Multos perinde ac si deos inducerem.

Dein-

Deinde post aliqua:

Imbres tacebo saxeos, epulas meas,
Vanos fuisse, quos queror tantummodo
Hæc assecutos, assequi quæ nihil juva necem, nec infert.

Qui autem modestius cum eo agere visi fu... ptum ad Præsidum tribunalia quasi maleficum, ac seductorem pertraxerunt, nam subdit:

... Post velut Sicarius,
Vultu superbo præditos ad Præsides
Trahor ipse sceleris, qui nihil patraveram,
Nec cogitarunt discipulum Christi ut decet,
Ac tum patronus adstitit Christus mihi.

Dei tamen protectione munitus, Arianorum insidias, calumniasque vitavit; sed de Gregorii gestis hactenus, reliqua sequentibus annis reservamus.

Hieronymus CP. Nazianzenum Scrip. exponentem audit.

25. Inter cæteros Hieronymum auditorem habuit Nazianzenus, qui Gregorii fama permotus, tam longam peregrinationem suscipere non dubitavit; ac qui apud plurimos in tanta veneratione erat, ut de difficillimis Scripturæ quæstionibus velut magister haberetur, Nazianzeni discipulus fieri non erubuit. Postquam igitur a Paulino Antiochiæ presbyter ordinatus fuerat, inde excedens, Constantinopolim profectus est, ut Gregorium audiret, quem catechistem se habuisse sæpe gloriatur: *Ego eo magistro glorior, & exulto*, idest Nazianzeno, ajebat adversus Ruffinum: epistola vero 50. ad Domnionem, Gregorium Nazianzenum suum catechistem appellat, & iterum adversus Jovinianum *Præceptor meus Gregorius*, inquit, *virginitatem, & nuptias differens, græcis versibus explicavit*. Gregorii tandem scripta recensens, hæc addidit: *Gregorius Nazianzenus Episcopus vir eloquentissimus præceptor meus, quo Scripturas explanante didici.*

...mi de viris Illust. ca. 117.

Hieronymus in Isaiam scribit.

Hier. in Isai. cap. 6.

26. Interea dum Constantinopolim Hieronymus Gregorio inhæreret, ab eoque in sacris litteris erudiretur, ipse quoque ingenii sui plura monumenta edidit, & in primis in Isaiæ visionem perbrevem tractatum: *De hac visione ante annos circiter*

 citer triginta, cum essem Constantinopoli, & apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejus urbis Episcopum, sacrarum Scripturarum studiis erudirer, scio, me brevem dictasse subitumque tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, & amicis jubentibus obedirem &c. Quem librum postea, cum Romae esset, Damaso legendum dedit, eique nunc inscribitur, & inter Hieronymi epistolas, decimaoctava est, cujus epistolae, aut de Seraphin tractatus, ipse Hieronymus meminit in epistola 84., quae ad annum circiter 400. pertinet, ibique ante viginti annos editum fuisse scribit, idest, aut labenti anno 379., aut sequenti 380. Inter Hieronymi opuscula, quae Constantinopoli vulgavit, primum locum obtinet *Chronicon omnimodae historiae*, quod ab Eusebio Caesariensi editum graece, in latinum ipse nedum convertit, sed & ex Svetonio, aliisque Historicis plurimis in locis auxit, atque ab anno Constantini vigesimo, quo Eusebii opus concluditur, ad Valentis usque obitum, idest usque ad annum 378. de suo continuavit; unde in praefatione ejusdem operis, quod Vincentio, & Gallieno inscripsit, historiam Theodosii Imperatoris alterius scriptioni se reservare testatur, quod opus Theodosio jam imperante suscepisse indicat hoc, vel sequenti anno.

Hieronymus Origenis homilias in latinum transfert

27. Constantinopoli etiam Origenis homilias in Hieremiam & in Ezechiel in Latinum ex Graeco vertit, ac usque ad annum 381. aut 382. moratus est, cum Romam una cum Paulino Antiocheno Episcopo, & Epiphanio Salaminae rediit, ut ibidem videbimus. Constantinopoli vero non solum cum Gregorio Nazianzeno amicitia, & consuetudine junctus fuit, sed & cum Gregorio altero, idest Nisseno, cum ad generalem Synodum anno 281. habitam advenit, de quibus idem Hieronymus haec habet: *Gregorius Nissenus Episcopus, frater Basilii Caesariensis, ante paucos annos mihi, & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros*. Sed de gestis hoc anno satis.

Hier. de Script. Eccles. in Greg. Nissen.

JE-

JESU CHRISTI AN. 380. DAMASI PAPÆ 15.
GRATIANI IMP. 14. VALENTINIANI JUNIORIS 6.
THEODOSII 2. COSS. GRATIANO
AUG. V., ET THEODOSIO AUG.
OLYMP. 289. AN. 4. URB. AN. 1133.

Theodosius Thessalonicæ baptizatur.

1. Hoc anno *Theodosius post erecta de Barbaris trophæa,* ait Socrates, *Constantinopolim contendens, venit Thessalonicam, ubi cum in morbum incidisset, christianorum more Baptismum percipere concupivit, quippe qui jam inde a majoribus christianus esset, & Consubstantialis fidem profiteretur.* Accersito itaque Thessalonicensi Episcopo, ab eoque percuntatus, quam ille fidem sectaretur, ille vero Fidem ab Apostolis traditam, ac in Concilio Nicæno confirmatam, se suamque ecclesiam constanter retinere respondisset, ab Ascholio libentissime baptizatus est. Paucis autem post diebus morbo liberatus, Constantinopolim rediit *die octavo Kal. Decembris, Consulatu Gratiani quinto, & ipsius Theodosii primo.* Eademque Sozomenus. Quanti autem meriti esset Ascholius Thessalonicensis Episcopus, anno elapso vidimus, dum inter cætera narravimus, eum fusis ad Deum precibus, victores Gothos a Macedoniæ finibus propulsasse. *Sozom. ll. 7. 4.*

Theodosii lex de Fide Catholica. *Cod. Theodos. de Fide Catholica leg. 2.*

2. Baptismate suscepto, antequam Thessalonica excederet Theodosius, suadente etiam Ascholio Episcopo, legem vulgavit, qua catholicam Fidem sartam, tectamque ubique custodiri jussit: *Imppp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius AAA. ad populum urbis Constantinopolitanæ. Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis.* Ejusdem legis meminit Sozomenus, ac inter cætera adnotat, Theodosium jussisse, ut subditi sui eam religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum princeps Romanis ab initio tradiderat, & quam eo tempore Damasus Romanæ urbis Episcopus, ac Petrus Alexandrinus servabant. Eam ob rem Theodosii pietatem laudavit Augustinus, de gestis ab eo Imperii sui initio hæc adno-

JESU CHR. AN. 380. *Aug. de Civit. Dei li. 5. c. 26.*

notans: *Inter hæc omnia ex ipso initio Imperii sui non quievit justissimis, & misericordiosissimis legibus adversus impios laboranti Ecclesiæ subvenire, quam Valens hæreticus favens Arianis vehementer afflixerat, cujus Ecclesiæ membrum esse magis, quam in terris regnare gaudebat.*

Maximus CP. pergit, ejus studia, & mores.

3. Quo tempore Nazianzenus Constantinopoli catholicam Fidem totis viribus revocare satagebat, Maximus quidam Alexandrinus, ex Philosopho Cynico christianus, quique ex nobilissimis parentibus ortus, post susceptam Fidem, sub Valente pro eadem fortiter certaverat, ac Nazianzeno teste *Trinitatis ad sanguinem usque propugnator fuerat*, in Asiam quadriennio relegatus, ab exilio redux, cum Constantinopolim perrexisset, ac uti confessor Fidei a Gregorio perhumaniter exceptus fuisset, publicaque oratione laudatus, paulo post scenam Constantinopoli lusit, histrione magis, quam christiano homine dignam. De oratione, quam in Maximi laudem Nazianzenus Constantinopoli recitavit, sciendum est, eam Heroni Philosopho, passim in Nazianzeni editionibus etiam inscribi, cujus tamen titulum adulterinum esse, nos monet Hieronymus, dum ait: *Scripsit Gregorius laudes Maximi Philosophi post exilium reversi, quem falso nomine quidam Heronis superscripserunt, quia est & alius liber, vituperationem ejusdem Maximi continens, quasi non licuerit eumdem laudare, & vituperare pro tempore.* In tantam autem familiaritatem cum Gregorio venerat, ut inter amicos primus esset ejusdem etiam mensæ particeps, ut his versibus narrat Nazianzenus.

Greg. Naz. or. 23.

Nazian. oper. edit. Venet. an 1753. or. 23. Hier. de vir. illust. in Naz.

Naz. carm. de vita sua to. 2. p. 11.

Amicus ille fit mihi, sicut fide
In me anteiret Maximus cunctos viros,
Mensæ domusque, dogmatum hunc, & consilii consortem habebant.

Subdole tamen cum Gregorio gessisse, ut eum e sua sede exturbaret, eamque ipse invaderet, paulo post adnotat.

Acutus autem cum esset, ac mire sagax,
Sic namque vocetur, improbe quod struxerat,
Sæveque solio scilicet me vi pelleret:
Cui nec thronus erat, ulla nec alia dignitas,
Instructor essem, quam quod & custos gregis.

Eo

Eo quod administrator Constantinopolitanæ Ecclesiæ ab Episcopis primum destinatus fuisset, quem deinde Episcoporum plurimi eidem Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficiendum esse censebant. Inter eos Petrum Alexandrinum præcipue recensent, at paulo post mutato consilio, Maximum ordinare idem Petrus curavit, de quibus conquerens merito Nazianzenus: JESU CHR. AN. 380.

Qui Petrus ipse Præsulum illorum arbiter,
Prius quidem nos litteris clarissimis
Fucoque vacuis, litteræ ipsæ ut fidem
Facient, sacrato fixerit nos in throno. Carm. de vita sua pag. 11.

4. Interea accidit, ut Constantinopolim Ægyptiaca classis, frumentum portans, adveniret, eaque occasione Gregorius orationem habuit, qua Alexandrinorum fidem, & pietatem laudavit, in eo maxime quod Arianorum communionem vitaverint, atque ad se audiendum venerint, ubi post multa: *Nec enim vos*, inquit, *ipsos multitudini admiscuistis, nec inconditum potius vulgus esse sustinuistis, quam Populus Dei verbo perpurgatus: verum posteaquam Cæsari, quæ sunt Cæsaris, ut par erat, contulistis, Deo etiam, quæ Dei sunt, tribuistis, illi nempe vectigal, huic timorem; & postquam cibis vestris populum aluistis, ipsi quoque, ut a nobis alamini, huc accedistis. Nam nos jam frumentum largimur, ac frumentum quidem vestro nequaquam fortasse deterius.* Onerariæ classis frumentum advehentis Principes erant Ammon, Apammon, Harpocras, Stippas, Rhedon, Anubis, & Hermanubis, quos Episcopos ad ordinationem Maximi a Petro missos fuisse, Baronius tradit, hos tamen laicos fuisse, & Ægyptiacæ classis Duces ubique Nazianzenus indicat, cum ait: *Postquam cibis vestris populum aluistis, ipsi quoque ut a nobis alamini, huc accedistis.* Et in vita sua, cum eorum nomina recitasset, addit, *Nautæ miselli pretio, & exiguo emptiles.* Sed de Episcoporum adventu post eos subdit: *Venere post hac, miserant hos, qui prius digni phalange scilicet tali duces*; idest post nautas venere Episcopi, quos supra ob contemptum Catascopos nominat, iique non septem fuere, sed tres tantum, ut ex epistola Episcoporum Italiæ, ad Theodosium data, scimus, qua legitur: *Se tribus esse mandatoribus Episcopis ordinantibus,* ita

Ægyptii Episcopi cum Maximo adversus Nazianzenum sociantur.

Baron. 379. 15

Orat. 24.

ita enim legendum ibidem, censet Valesius, ut scilicet loco *secretum se tribus &c.*

Vales. not. in Sozom. ad cap. 9. lib. 7.

Maximus Episcopus ordinatur.

5. Rebus itaque sic dispositis, cum Gregorius, recreandi animi causa, juxta mare deambularet, vergente jam in occasum sole, atque ex maris undis, & agitatione, humanarum rerum perturbationem meditaretur, Maximus cum in suam sententiam pertraxisset Presbyterum quemdam Constantinopolitanum, quem inter amicos Gregorius habuerat, nonnullosque pecunia corrupisset ejusdem Ecclesiæ clericos, una cum Ægyptiis Episcopis, ac Nautis ad Ecclesiam primo diluculo convenientes, Maximum in ea sede collocarunt, ut pluribus idem Nazianzenus versibus exponit, ubi inter alia de Maximi ordinatione subdit:

> *Nox erat, at æger ipse eram, cum isti velut*
> *Caulam introgressi conciti rabie Lupi*
> *Nautas habentes plurimos pecunia*
> *Partos, facile Alexandriam qui incendere*
> *Solent (eos nàm junxit irrumpens cohors*
> *Secum) locare in Sede detensum canem*
> *Nituntur, antequam gregi ac primoribus*
> *Hoc indicassent, aut mihi, saltem ut cani:*
> *Sic imperatum, nam sibi ipsi dictitant.*

Et paulo post in eamdem rem:

> *Ut luxit autem, Clerus (etenim proxime*
> *Habitabat) ira frendet, atque celerrime*
> *Disseminatur ista res. Tum maxima*
> *Hinc flamma surgit: nam magistratus statim*
> *Multi, exterique confluunt etiam noti;*

Ariani videlicet:

> *Ob hoc furebant nam scelus cuncti, mihi*
> *Pendi laborum præmia hæc cum cernerent.*

At ne totius quidem urbis indignatione extincta est illorum audacia, nam quod in Ecclesia perficere prohibiti fuerant, ut ad

ad tragœdiam nil deesset, in scenici hominis domum persecerunt, hinc subdit Gregorius:

Quid multa? Referunt illico e templo pedem
Illud dolentes maxime, cœpta irrita
Cessisse. Verum ne mali incassum forent,
Explere pergunt, deerat quod fabulæ.
Namque in choraulæ sordidam ingressi domum,
Graves superno & Numini cari viri,
Ac quosdam habentes fæce de vulgi infima,
Canem resecta Præsulem signant coma
Nequissimum &c.

6. Quam indigne Maximi ordinationem tulerint CP. cives, his aliis versibus Gregorius narrat. Maximus urbe ejicitur.

Certe ob patratum tum scelus tantus dolor
Invasit urbem; nemo non ut tum foret,
Qui non fureret, ac multa in ipsum effunderet
Acerba, vitamque illius proscinderet
Ira efferente quicquid animus finxerat?
Hic illud, aliud ille promebat mali,
Quo pingeretur unius perversitas
Insignis &c.

CP. itaque, uti hypocrita, ignominia ejectus Maximus, Thessalonicam ad Theodosium Imperatorem convolavit, a quo repulsam passus, ad Petrum Alexandrinum Episcopum confugit, una cum Ægyptiis Episcopis, qui ipsum ordinaverant, a quo primum exceptus, utpote ordinationis ejus fautor, & tragœdiæ particeps, paulo post tamen detecta ejus nequitia, Alexandria etiam ejectus est. Unde Nazianzenus:

Sic urbe tandem pulsus est malus male, Greg. Naz. carm. de vita sua pag. 13.
Aut si loquendum verius, malus bene.
Orientis at cum Barbaris cladem ferens,
Thessalonicam sceptriger, velut aggerem,
Teneret, ille ac foret, rursum vide,
Hic moliatur pessimus quidnam canis.

JESU CHR. AN. 380.

Hanc fæculentam sumit Ægypti manum
(Hos dico, fede qui comam ipsi dempserant)
Atque, ut Cathedram Principis jussu sibi
Firmare posset, tendit ad castra incitus.
Illincque rursum pulsus, ut fœdus canis,
Ita æstuante Principe, & minas graves
Jactante (nondum repserant calumniæ,
Cujusquam in aures: integri sed erant adhuc)
Rursum ipse sese contulit Alexandriam,
Sapienter istud scilicet, recte & satis.
Nam Petrum, (erat cui bifidus aliquando stylus,
Ut qui erraret res levis contrarias
Vaga cohorte cinctus (hos conduxerat)
Aggreditur, atque non parum angustat senem:
Poscens vel illam, finxerat quam spe sibi,
Sedem, vel ejus in throno sese minans
Sessurum: Hipparchus, donec hanc, ut par erat,
Flammam expavescens, vetera ne ad mala quidpiam
Adjungeretur, urbis hunc repulit solo.

Ex ea itaque ordinatione id tantum lucratus est Maximus, ut comam detonderet.

Unumque munus huic ferens, quod crinium
Nudavit, ejus abditum mysterium.

Gregorius Nazianzenus laudes Maximi retractat.

7. Hæc autem scite, copioseque Gregorius persequens, rationem reddit, cur quem antea oratione laudaverat, postea probris, contumeliisque dignum censuerit, in quam rem addit:

Carm. de vita sua p. 13.

Quid igitur? An non carus hic nuper tibi,
Non hunc ferebas laudibus summis prius?
(Fortasse dicet quispiam, hæc qui sciet,
Ac facilitatem vertat hanc mihi criminí,
Per quam colebam pessimos etiam canes.)
Culpanda prorsus hæc mea ignoratio.
Me gustus, Adamum ut, traxit in fraudem improbus.
Visu decorum lignum erat, re non item.

Fidei

Fidei fefellit larva me, fucum mihi
Fecere verba subdolo corde edita.
Sic plane Gregorius deceptus ab Hypocrita Maximo.

Hæc aliaque de his Gregorius. Ut autem hæc a Maximo, ejusque sociis CP. peracta audivit Nazianzenus, e suburbio, quo valetudinis causa secesserat, CP. rediit, ac coram populo orationem habuit, qua contra Maximum plura exagerat, inter cætera: *Mihi quoque*, inquit, *timorem injiciunt canes, per vim in Pastorum classem irrumpentes*; *idque cum ad Pastoralis muneris administrationem nihil omnino aliud contulerint, quam quod comam, cui ornandæ, & alendæ turpiter studuerant, raserunt*. Petrum quoque Alexandrinum Episcopum his verbis perstringit: *Nihil propius factum est, quam ut Petrus etiam me abjuraret*; *ac fortasse, ne flet quidem amare, ut peccato medeatur*. Qua oratione & animum suum ab ambiendo Episcopatu alienum semper fuisse, testatur. Hinc subdit: *Quid præterea agent, Episcopatum abrogabunt, & thronis dejicient! & quos tandem aut nunc, aut antea prompto animo conscendi, an vero eos, qui ascendunt, beatos prædicare soleo?* Hæc aliaque in eamdem rem Gregorius.

Greg. Naz. orat. post reditum in urbem orat. 18.

8. Cum autem ubique pulsus esset Maximus, ad Romanam Sedem, & Occidentalium judicium confugit, ut Episcopi Italiæ in epistola ad Theodosium Imperatorem testantur, quos mendaciis suis decepisse suo loco videbimus anno 381, cum Imperatorem rogarunt, ut eumdem suæ Sedi restituere curaret. Cum vero Mediolani esset, adversus Arianos libellum Gratiano obtulit, de quo hæc habet Hieronymus: *Maximus Philosophus natus Alexandriæ, Constantinopolitanus Episcopus ordinatus est, & pulsus, insignem de fide adversus Arianos scripsit librum, quem Mediolani Gratiano Principi dedit*. At aliud omnino de Maximi ingenio, ejusque opusculis judicium tulit Nazianzenus, ut ex his versibus patet:

Maximus ubique pulsus, ad Rom. Sedem confugit

Hier. de vir. illust. in Maximo.

Quid hoc sibi vult? Maxime audes scribere,
Audes ne vero scribere imprudentia
Quanta est! caninam superat hæc dubio procul,
Audaciæ hujus cuncta cunctis plena sunt.

Greg. Naz. to. 2 p. 269.

JESU CHR. AN. 380.

Et post aliqua:

Saul propheta, Maximusque scriptor est.
Quis non propheta, continebit quis manum?

Deinde post aliqua:

At audes scribere.
Pauxillulum tu dic mihi, unde nam atque ubi
Edoctus, e cujus manu scriptum est opus?
Nam noveras heri hoc, satisque erat tibi,
Si arctam placentam angusta ferret penula.

Et quia contra ipsum scripserat, ejus temeritatem his verbis arguit:

Tu provocas, o pessime, ad planitiem equum,
Pungis leonem dextera imbelli nimis.

Hæc, aliaque in Maximum Nazianzenus.

Theodosius redit, Arianos Ecclesiis ejecit.

Socrat. li. 5. 6.

9. Valetudine recuperata Theodosius, Thessalonica relicta, CP. perrexit, urbemque octavo Kal. Decembris ingreditur, ut habet Socrates, & chronicon Alex. *quasi triumphum ob gloriosam victoriam peragens*, ait Zozimus. Ut autem CP. pervenit, prima ejus cura fuit, pacem Ecclesiæ reddere, & catholicam Fidem, longa Arianorum persecutione fere extinctam, revocare. Cum CP. Ecclesiam turbatam reperisset Imperator, ait Socrates, *sollicite inquirebat, quonam modo, reintegrata pace, concordiam firmaret, & Ecclesias amplificaret.*

Socrat. li. 5. 7.

Itaque Demophilum Arianæ partis Episcopum interrogavit, utrum Nicænæ Fidei consentire, pacemque amplecti vellet. Cumque ille oblatam conditionem repulisset: *Si pacem*, ait Imperator, *& concordiam fugis, te quoque ex Ecclesiis fugere jubeo*. Quæ cum audisset Demophilus, convocata in Ecclesiam multitudine, Arianos ita allocutus est: *Fratres, scriptum est in Evangelio, si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam. Quoniam igitur Imperator nos ab Ecclesiis excludit, sciatis, nos crastina die extra urbem conventum esse habituros*, ac extra urbis portas deinceps conventus celebravit.

Una-

Unaque cùm illo Lucius, qui Alexandria ejectus, profugus CP. degebat. Hinc factum, ut post quadraginta annos Ecclesias catholici recuperaverint, ait Socrates, eademque Sozomenus: *His Coss.*, idest, *Gratiano Aug. V. & Theodosio*, ait Marcellinus, *Theodosius Magnus postquam de Scithis, & Gothis triumphavit, expulsis continuo ab Orthodoxorum Ecclesiis Arianis, qui jam fere per quadraginta annos eas sub Arianis Imperatoribus tenuerant, nostris catholicis orthodoxus restituit Imperator mense Decembri*. Nec multo post Suburbiis etiam Demophilus expulsus est, ut narrat Philostorgius, ac Berrheam se contulit. Hypatius etiam Nicæa expulsus Cyrum Syriæ, ex qua erat oriundus se recepit, sed & Dorotheus Antiochia ejectus in Thraciam, unde originem ducebat, demigravit. Eamdemque fortunam sortiti sunt cæteri Arianorum coriphæi hinc, & inde dispersi.

JESU CHR. AN. 380.

Sozom.li. 7.5. Marcell. in Chron.

Philost.li.9.19

10. Ea tamen animi lenitate, in revocandis ad Ecclesiæ unitatem hæreticis, usus est Theodosius, ut tarditatis quodammodo a ferventioribus Catholicis argueretur; unde Nazianzenus in vita sua:

Theodosii in Arianos lenitas.

Naz. Carm. p.16.

Dum statu hoc nos sumus,
En Imperator advenit nobis repens
Terra ex Macedna, Marte dimissis Barbaris,
Stimularat ingens quos manus, & ingens furor:
Minime quidem ille vir malus, quantum ad fidem,
Tenere mentes posset, ut qui simplices,
Triadisque sanctæ cultor esset maximus;
(Sic quippe & ipse sentio, & cuncti asserunt,
Qui Sede stabili tuto amant insistere)
Fervore sed non præditus tanto tamen,
Æquaret ut cum pristinis præsentia,
Sanaret atque temporis mala tempore.
Fervore vel si par erat, non par erat
Fiducia ne pectoris, an audacia
Dicam? vocare præstat hoc prudentiam:
Suadere quippe est æquius quam cogere &c.

Hæc, aliaque de his Gregorius.

Ju-

Jesu Chr.
An. 380.
Theodosius Gregorium Regiæ Urbis Epis. fieri cupit.
pag. 17. tom. 2.

11. Interea Demophylo Ariano Episcopo regia urbe ejecto, ut Catholicus ibidem eligeretur Episcopus, sollicitus erat Theodosius, cumque nemo esset, qui Gregorio Nazianzeno aut præferri, aut æquari posset, in eum Imperatoris, tum Senatus, & Catholicorum omnium vota concurrebant:

Ut ergo cupidus venit, ad cupidos fui
Complexus ut me sit statim, quæ dixerit,
Quæ perlubenti rursus aure acceperit,
Quid est necesse dicere? pudendum foret,
Si gloriarer tam senex ob talia,
Qui cuncta parvi deputo præter Deum.
Tandem ista fatur: Dat tibi per nos Deus
Nunc hocce templum, dat tuis laboribus:
Vocem peracta re nisi, supra fidem.
Sic namque stabat civitas plena impetu,
Animisque fervens, ut licet grave quidpiam
Hinc eveniret, nullo cessuros throno
Spes prorsus esset, sed retenturos eum:
Sin cogerentur, impetum in me, vincere
Quem facile possent, esse facturos brevem.
Hæc ille dixit: gaudio at junctus metus
Tum me tenebat. Christe mi, qui per tuam
Crucem ferendas ad cruces nos excitas,
Et tunc labori præmium nostro dabas,
Solamen & sis nunc meum in tantis malis.
Jam tempus aderat, militum & vis maxima
Templum obtinebat, bellicos enses gerens.
Faciebat omnis impetum contra tumens
Populus, arena ut, nix, vel aut fluctus maris,
Utens & ira, precibus & blandis simul,
Iratus in nos, Principi supplex; erant
Plenæ viæ, domique, pleni omnes loci,
Plenæ domusque tum viris, tum feminis,
Ætate quassis, parvulis, spectantibus,
Gemitus, dolores, lacrymæ, clamor gravis,
Imago capti bellico insultu oppidi.
Ego vero, fortis ille dux ac strenuus,
(Ægro tametsi corpore essem ac debili

Spi-

Spirante quidquam languidum ac fere mortuum)
Inter ducem medius , & inter milites ,
Ibam bona spe fultus , & sursum videns ,
In Æde donec collocor &c.

Narrat deinde quod cum ex nubilo repente serenus áer evasisset, quotquot in Templo erant, Gregorium Episcopum postularunt :

Primum hocque summum , & Principis munus fore ,
Quod anteponat civitas ipsis thronis ,
Si civitatis ipse me dederit thronis ,
Hoc dignitate præditi , hoc vulgus petit .
Huc vota tendunt , nemine excepto omnium ,
Clamore magno fœminæ hoc etiam petunt ,
Sic ut decori pene legem excederent .
Res hæc refracto par erat tonitruo .
Hic sede quemdam jubeo collegam sua
Exurgere (loqui non enim poteram , nimis
Compressus , atque territus magno metu)
Ejusque plebem voce sic ipse alloquor :
Hunc premite quæso , premite clamorem , o viri .
Nunc sunt agendæ gratiæ summo Deo ,
Majora quæ sunt , his erit tempus suum .
Hæc verba plausu maximo plebs excipit .
(Amica namque est omnibus modestia .) .
Abiitque princeps maxima hæc laude efferens .
Hic concionis exitus tandem fuit .

Hoc etiam plausibili prætextu, quod tunc gratiæ reddendæ essent Deo de reddita Ecclesiis pace, ne Episcopus tunc fieret tandem obtinuit, sperans etiam impoſterum se tantum onus declinare posse, de cujus ordinatione anno sequenti sermo iterum redibit.

12. Ariani vero cum nec cleri, plebisque votis, aut Imperatoris voluntati resistere possent, desperatis rebus ad solitas eorum artes confugerunt, & sicario immisso, Gregorium in lectulo suo ægrotantem occidere tentarunt. At Deo pro-

Gregorius Nazianzenus a Sicario aggressus.

JESU CHR. AN. 380. protegente ficarius fupplex Gregorio factus eft, atque ita periculum evafit, ut his verfibus narrat:

Urgente morbo cum domi quiefcerem,
Comes meorum nam laborum venerat,
(Id invidorum turba delicias licet
Vocet) introire plebe de quofdam intueor
Repente: juvenis cum quibus pallens erat;
Comaque longa, fqualidis & veftibus.
Hic & cubili cum pedes ego nonnihil
Statim extuliffem (territi velut folent)
Illi Deoque ac Principi actis gratiis,
Ut mens ferebat maximis, quod hunc diem
Utriufque dono cernerent, atque in meam
Laudem quibufdam vocibus fimul editis,
Abeunt: at ille fixus ad noftros pedes
Sine voce fupplex, & metu torpens erat,
Ac me, quis effet, undenam, & quid pofceret
Rogante, multo tum magis clamat, gemit,
Plorat, fuafque preffius ftringit manus,
Sic ut moveret lacrymas nobis quoque.
Avulfus hinc vi (non enim voce) ut fuit,
Hæc dixit aliquis: Carnifex hic eft tuus
(Ope namque fummi Numinis lucem vides)
Huc fponte venit, pectoris tortor fui
Homicida pravus, crimen ingenue fatens.
Pretium cruoris porrigit fletus tibi.
Hæc ille: at ipfe, ta libus fractus fonis
Hæc dicta, noxa folvo queis ipfum, extuli,
Servet Deus te: cum falutem acceperim,
Præbere facilem me decet ficario,
Meum fcelus te reddidit: tu jam vide,
Ut meque dignum præbeas te ipfum, & Deo:
Hæc ipfi dixi &c.

Ex qua animi lenitate civium amor magis, magifque in Gregorium exarfit, unde fubdit:

Ci-

. . . Civitas autem statim,
Pulchri latere nam nihil prorsus potest,
Mollitur igne fervido, ut ferrum solet.

Sed de Gregorii gestis hoc anno satis.

13. Hoc etiam anno Petrus Alexandrinus Episcopus obiit, cum eam sedem per annos octo incompletos tenuisset, ab anno scilicet 374., quo Athanasio successerat, ad labentem, quo eam Ecclesiam Timotheo fratri regendam reliquit. Episcopatus quidem sui annos exul ut plurimum egit Petrus; nam ingruente Arianorum persecutione, & Lucio in ejusdem locum ab Arianis intruso, Romam ipse aufugerat, ubi quinquennio fere moratus, a Damaso dum adhuc Valens viveret, suæ sedi restitutus Alexandriam redierat, ut suis locis supra adnotavimus: hoc vero anno eum obiisse inde constat, quod Theodosius hoc eodem anno, in rescripto ad populum CPolitanum dato, Petri Alexandrini Episcopi fidem laudat; idemque Theodosius in rescripto altero, sequentis anni Timotheum Alexandrinum Episcopum nominat, unde labenti anno Petrum obiisse necesse est. Apostolicam quidem Fidem semper docuerat Petrus, pro qua, & carceres, & exilia passus est, unde Hieronymus in epistola ad Marcum: *Hæreticum me cum Occidente, si iis placet, hæreticum me cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque, condemnent*. At intollerandæ levitatis a S. Gregorio Nazianzeno arguitur, eo quod Gregorio primum regiæ urbis Episcopatum obtulisset, aut saltem ut fieret Episcopus exoptaverat, paulo post vero, missis ab Ægypto Episcopis aliquot, Maximi ordinationi consenserat, ejusque ordinationem, datis etiam ad Occidentales epistolis, tueri curaverat, de quibus sæpe Nazianzenus loquitur. Petri superest epistola de Lucii persecutione, nonnulla etiam Petri scripta a Facundo laudantur: Hieronymus tamen in catalogo virorum illustrium Petrum præteriit, qui successorem Timotheum fratrem habuit, de cujus gestis inferius sermo fiet.

Petrus Alex. Episcopus obiit, cui succedit Timotheus.

14. Ex Petri funere in aliud multo luctuosius oratio se transfert, Basilii scilicet Cæsareæ in Cappadocia Episcopi, qui propter vitæ innocentiam, Fideique catholicæ tuendæ zelum, Magni cognomen promeruit. De die, quo Basilius obiit, vix dubium est: martyrologia, & mænea Græcorum Kal. Januarii

S. Basilii obitus.

JESU CHR. AN. 380.

miro consensu ejusdem memoriam celebrant; hinc Pseudo-Amphilochius in oratione, qua Basilium laudat, Circumcisionis die ipsum obiisse tradit; Gregorius vero Nissenus in oratione in ejus laudem recitata, Basilii obitum non multo post Nativitatem Christi contigisse indicat: apud Latinos vero non solum Kal. Januarii Basilii memoria recensetur, sed & 18. Kal. Julii, idest 14. Junii, qua die ordinationis ejus memoria recolitur; ejus tamen ordinationis dies in obscuro est, & desinente magis anno, quam Junio labente, ordinatum fuisse Basilium supra anno 371. adnotavimus. Quanto tempore in Episcopatu sanctus vir transegerit, ex duobus Gregoriis, Nazianzeno scilicet, & Nisseno constat; primus etenim in ejusdem epitaphio hæc habet: *Octonis annis populi es moderatus habenas Christicoli*, ideft annis octo christiano populo præfuisti. Nissenus vero in vita Macrinæ: *Annis octo transactis, & novo inchoato, per totum Orbem celeberrimus Basilius, ab hominibus ad Deum concessit, communem patriæ, ac Ecclesiæ luctus occasionem præbens*. At etsi constet quanto tempore Cæsariensi Ecclesiæ Basilius præfuerit, cum incertum sit, quo anno ordinatus fuerit, quo etiam anno obierit incertum est; de quibus apud Pagium plura videri possunt. Post Valentis obitum, cum e vivis ereptum fuisse indicant, tum Hieronymus, qui Gratiano imperante obiisse tradit, tum Gregorius Nazianzenus, qui in oratione Basilii funebri, quam non multo post Basilii obitum recitasse credibile est, Valentem opprobriis onerat, inter cætera: *Imperator, inquit, auri amantissimus, & Christi inimicissimus, ac duobus his gravissimis morbis laborans inexplebili nimirum avaritia, & blasphemia, post persecutorem persecutor, post Apostatam, non quidem Apostata, sed nihilo tamen eo meliorem se christianis præbet*. Hæc, aliaque in Valentem Nazianzenus, quæ eo vivente dixisse, incredibile est. His adde, Basilium Nazianzeno hortatorem fuisse, ut post Valentis obitum, CPolim ad eam Ecclesiam regendam pergeret, ut supra ex Gregorio Presbytero vitæ Nazianzeni Scriptore, & Theophane diximus.

Greg. Niss. or. in laudem Basilii tom. 3. p. 479.

Greg. Naz. carm. 10. 2. ca. 119.

Hier. de vir. ill. in Basilio. Greg. Naz. orat. in laudem Basilii to. 1. p. 285.

Basilii funus.

15. De Basilii obitu, & funere narrat Pseudo-Amphilochius in ejus vita, eum sumpta Eucharistia obiisse, ac testamento jussisse, ut cum particula Eucharistiæ, quam reliquerat, sepelirent; cujus corpus in Ecclesiam illatum, omni unguento-

rum

rum genere delibutum fuit. His vero subdit, Gregorium Nazianzenum funeri adfuisse, corpusque Basilii in Basilica S. Martyris Eupsichii depositum fuisse *Kal. Jan. anni quinti Valentis, & Valentiniani*, quibus postremis verbis imperitiam suam auctor prodit, nam triennio fere elapso post Valentis obitum occubuit Basilius. Falsum quoque Nazianzenum Basilii funeri adfuisse, cujus obitum per litteras accepisse ad Nissenum scribens testatur: *Hoc etiam ærumnosæ huic vitæ reliquum erat, ut Basilii mortem audirem &c.* Deinde post aliqua: *Mihi autem præter alia, hoc quoque propter gravem, ac periculosam corporis morbum, quo etiam nunc premor, ereptum est, ut & sanctum cinerem exosculer*, Basilii scilicet; hinc mirum Basilii vitam Amphilochio inscriptam, tot erroribus, & anacronismis refertam, Amphilochio Pagium, & Combefisium vindicasse, de quibus plura apud Tillemontium, Nat. Alexandrum, Dupinium, aliosque videri possunt. Morienti autem Basilio tota fere civitas adstabat, jacturam hanc ægerrime ferens, ait Nazianzenus, ac dum sanctorum virorum manibus ad sepulchrum deferretur, unusquisque sollicitus erat, ut fimbriam, aut lectulum tangeret, vel ut propius ad eos, qui corpus ferebant, accederet, ut aspectu saltem frueretur. Plena erant fora, porticus, tabulata, hominum deducentium, præeuntium, prosequentium, usque dum parentum sepulchro sacræ illius exuviæ reconditæ sunt: *Ac ille quidem in cælis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens (neque enim ita nos reliquit, ut prorsus reliquerit)*, ait Nazianzenus, orationemque in Basilii laudem dictam, hac supplicatione concludit, quibus si adverterent ii, qui Sanctorum invocationem ut idololatriam horrent, aut erubescerent, aut saltem obmutescerent: *Tu vero*, ait, *sacrum, & divinum Caput e cælo nos quæso inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis siste, aut certe, ut cum forti animo perferamus, persuade, atque omnem nostram vitam ad id, quod maxime conducibile est, dirige; nosque postea quam ex hac vita migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe, ut simul viventes, & sanctam, ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam speciem, & imaginem accepimus, purius, pleniusque cernentes, desideriis nostris finem statuamus, ac bellorum eorum, quæ intulimus, vel pertulimus,* præ-

Greg. Naz. epist. 37.

Nazianz. to. I. or. 20.

Orat. 20. in fine.

Jesu Chr. An. 380.

præmium referamus. Summo quidem dolore ex Basilii obitu affectus est Nazianzenus, quam ob causam ejus obitum non solum in oratione funebri multum deplorat, sed etiam in epistolis plurimis lamentatur. Non unus Nazianzenus Basilii laudes celebravit, sed alii plurimi pietate, & doctrina præstantissimi viri enm certatim laudarunt, & ut Nissenum fratrem prætereamus, cujus extat elegantissima oratio in ejus laudem, S. Ephrem Edessenus diaconus eidem etiam postrema persolvit, ut quem, dum viveret, in maxima semper veneratione habuerat, oratione mortuum celebraret, eumque Abeli justo, Abraham, Isacco, Josepho, Moysi, ceterisque Patriarchis, Prophetis, Apostolis comparavit, paremque quodammodo fecit, ac tandem Nazianzeni exemplo ejus se orationibus his verbis commendavit: *Precare pro me admodum miserabili, & revoca me tuis intercessionibus Pater*.

Greg. Nissen. ep tom. 3. pag. 479.
S. Ephr. orat. tom. 2. p. 285. edit. Rom Græclat.

Basilum omnes imitari studént.
Gr. Naz. or. o. in Basilii laudem.

16. Tantam porro sui famam reliquit Basilius, ut certatim omnes eum imitari curarent, etiam in iis rebus; quæ ad spiritualem vitam non pertinebant: *Tanta ipsius virtus, gloriæque præstantia fuit*, ait Nazianzenus, *ut multa etiam ex parvis illius virtutibus, atque adeo ex corporeis defectibus ab aliis ad gloriam, nominisque claritatem parandam excogitata sint*. Cujus generis erant pallor, barba, certus incedendi modus, ac quædam ad loquendum tarditas, vultusque severitas. Hinc fiebat, ut nonnulli Basilii personam imperite imitantes, in odiosam quandam tristitiam inciderent, ac deformatam ejus speciem præseferrent: *Statuas tamen in umbris*, ut ait Nazianzenus, *multum enim fuerit, si repetitam Echus vocem esse dixero. Nam illa quamvis postremam dumtaxat vocis partem, expressius tamen effingit. Hi autem longius ab eo distant, quam quantum accedere concupiscunt*. Sed de his hactenus.

Basilii scripta, eorumque elegantia.
Hieronym. de vir. ill. in Basilio.

17. Quod autem ad ejus scripta pertinet, Hieronymus hæc tantum relegit: *Egregios contra Eunomium elaboravit libros, & de Spiritu Sancto volumen, & in Hexameron homilias novem, & Asceticorum breves, variosque Tractatus*. Hæc ipse, ea tantum enumerans, quæ potiora sunt, aut quæ ad ejus manus pervenerant. Cæterum multa alia opuscula ab eo edita fuisse compertum est, quorum indicem texere superfluum est, cum sole clariora sint, eaque in unum a Garnerio ex Maurino-

rinorum familia collecta Græce, & Latine edita. De styli elegantia, quæ in Basilii scriptis cum rerum gravitate certat, testis est Libanius ejus ætatis inter Oratores celeberrimus, qui acceptis Basilii epistolis subito exclamavit: *Vincimur*; quærentibus amicis quid hoc sibi vellet, respondit: *In elegantium epistolarum certamine victus quidem sum, at Basilius est, qui vincit, is autem amicus noster est, & ob eam rationem gaudeo*. Sed de Basilii stylo audiatur Photius, qui ait: *Præstantissimus est in libris omnibus, pura enim dictione, significante, propria & omnino civili, ac panegyrica; si quis alius uti novit, sensuumque ordine, & puritate primus, & nemini secundus apparet. Jam persuadendi quoque vim, ac jucunditatem cum perspicuitate amat, atque ita ejus finis oratio, quasi ultro tanquam e fonte rivulus scaturiret*. Hæc aliaque de Basilii stylo, & elegantia Photius; sed de Basilii vita, gestis, obitu, & scriptis hactenus.

Inter Basilii epist. p. 338.

18. Ephrem Basilio superstitem fuisse, inde scimus, quod cum post mortem laudaverit, ut supra diximus, idemque pseudo-Amphilochius in vita Basilii confirmat, dum narrat Basilium mulierem misisse ad sanctum Diaconum, quam cum Ephrem ad S. Basilium remisisset, instantem Basilii transitum prophetico spiritu videns, hæc ad mulierem dixit: *Vade, ne tardaveris, ut pervenias ad ipsum, priusquam excesserit. Illa valedicens Sancto, rediit Cæsaream, ut vero ingressa est in civitatem, occurrit S. Basilii corpus, quod efferebatur*. Hæc idem auctor, cujus fides etsi in pluribus nutet, multa tamen fide digna narrare non dubitamus. Sub Valente Imperatore S. Ephrem obiisse S. Hieronymus scribit; at quo Valentis anno obierit, se ignorasse indicat. Id unum scimus, eum Basilio supervixisse, cujus memoria die prima Februarii apud Latinos recolitur, apud Græcos vero die 28. ejusdem mensis, qua vero die, aut mense obierit in incerto est. De eo narrat Palladius in historia Lausiaca, quod urgente fame, e cella egrediens Edessenos sermonibus suis excitavit, ut pereuntibus præ fame fratribus opem ferrent, collectamque pecuniam suis manibus pauperibus, & infirmis distribuit, usque dum collectis fructibus pœnuria cessavit, quo tempore in cellulam suam rediens post mensem obiit: unde si collectis jam terræ fructibus post mensem obiit, vergente jam ad finem anno

De S. Ephrem gestis, & obitu.

Pallad. hist. lausc. c. 101.

Jesu Chr. An. 380. no obiisse dicendum est, magis quam, aut prima, aut 28. Februarii, ut in martyrologiis, & mœneis legitur.

Quæ fuerit S. Ephrem vitæ sanctitas. 19. Quanta autem Ephremii fuerit morum innocentia; vitæ sanctitas, miraculorum gloria, & aut in confutandis hæreticis, aut moribus ad pietatem informandis, vitiisque corrigendis doctrinæ, eruditionisque excellentia, longum esset exponere, eaque pluribus prosequitur Gregorius Nissenus in ejus vita, seu oratione in ejus laudem habita; ex multis illustriora adnotabimus. Is Nisibi aut in ejus confinio natus, cum a primæva ætate monasticæ disciplinæ sese dicasset, tantum in omni virtutum genere profecerat, ac tantæ castimoniæ erat, ut nunquam in fœminas defigeret oculos, quod illustri exemplo Sozomenus probat: nam cum mulier quædam solutioris vitæ, & moribus inverecunda, sive sua sponte, ut hominem tentaret, sive ab aliis accepta mercede ad hoc agendum impulsa, de industria ei in angiportu quodam ex adverso occurrisset, ac in eum oculos defixisset, Ephrem eam objurgavit, jussitque, ut deorsum oculos in terram defigeret: *Et curnam*, inquit, *mulier, id faciam, quæ non ex tellure, sed ex te orta sum? Æquius est, ut tu quidem terram aspicias, ex qua ortus es. Ego vero te aspiciam, ex quo procreata sum*. *Admiratus mulierem Ephrem, rem, ut acciderat, peculiari libro exposuit, quem quidem librum doctissimi Syrorum inter præstantissimos illius libros collocarunt*. Memoriæ quoque proditum est, illum, cum antea supra modum iracundus esset, ex quo monasticam disciplinam excolere cœpit, a nemine unquam visum esse iratum. Quodam igitur tempore, cum multos per dies, uti solebat, jejunasset, minister, qui cibum ei afferebat, ollam fregit, quem ille pudore, ac metu constrictum animadvertens: *Bono animo esto*, inquit, *eamus ad cibum, quando ille ad nos non venit*. Mox ad ollæ fragmenta sedens cænavit.

Sozom. lib. 3. 16.

S. Ephrem Episcopatum refugit. 20. Ad Episcopalem vero sedem aliquando electus, simulata insania, oblatam refugit dignitatem, nam ut eos adesse cognovit, qui eum ad ordinationem ducturi erant, in forum convolans, indecore vestem trahens, & in publico comedens, se pro insano spectandum exhibuit. Quare qui illum comprehensuri venerant, hominem mente captum esse arbitrati, dimiserunt, quam ille opportunitatem nactus, aufugit, ac

ac, donec alius ordinatus fuisset, delituit. Cæsaream vero aliquando profectus, refulgentem columbam humero Basilii insidentem vidit, verba sapientiæ eidem subministrantem. A Basilio presbyterum ordinatum fuisse Ephremium tradit pseudo-Amphilochius, cui Combefisius, & Pagius subscribunt. Nisseni de Ephremii ordinatione silentium rem incertam reddunt. His adde, quod Hieronymus, & Sozomenus, Diaconi titulo Ephrem tantum exornant, quem presbyterum dixissent, si eo ordine a Basilio insignitus fuisset.

Combef. in Amphil. vita Basilii p. 205. Pag. nu. 4. ad an. 378.

21. De Ephremii autem eruditione, & doctrina hæc Sozomenus subdit: *Cum nec ab ullo doctus fuisset, nec spem antea fecisset, talem se aliquando futurum*; nihilominus in Syrorum lingua ad tantam eruditionem pervenit, ut philosophiæ quidem difficillima quæque theoremata facile perciperet, facultate vero, ac splendore orationis, & sententiarum, crebritate simul, atque sapientia, Græcorum Scriptores longo intervallo superaret. Etenim si quis Græcorum scripta in Syriacam, aut aliam linguam converterit, condimenta, ut ita dicam, Græci leporis & pristinam gratiam abstulit. In libris autem Ephrem idem non accidit. Nam ipso adhuc superstite libri ejus in Græcum sermonem translati, nativam retinent elegantiam, ait Sozomenus. Eamdemque in Ephremii scriptis elegantiam Hieronymus admiratus est in unico Ephremi opusculo, quod ad ejus manus græce translatum pervenit, unde ait: *Ephrem Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, multa syro sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum, publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur. Legi ejus de Spiritu Sancto græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen sublimis ingenii etiam in translatione cognovi*. Eamdem Ephremitici styli energiam laudat eruditissimus Photius: *Quam alte in hominum animos penetret persuadendi vis, quantum fluat jucunditatis, quam denique affectuum copia referti sint, oratio tamen ejus, ac figuræ nihil mirum si ad consuetum homiliarum usum, & in elaboratum dicendi genus vergant, nec enim in auctorem sensuum, sed in horum interpretem ea conferenda culpa, qui namque Syriacæ sunt linguæ bene periti, verbis adeo, ac strophis excellere norunt, ut ambiguum sit, ab hisne, an a sensu recondito, tanta ejus dicendi vis, atque elegantia proficiscatur*. Hæc

S. Ephrem doctrina, & scripta. Sozom. hist. li. 3. 16.

Hier. de vir. ill. in Ephrem.

Cap. N. 390. Gregor. Niff. cr. in S. Ephr. to. 3. p. 603. Hæc Photius de ſtyli elegantia, quæ non ſolum verbis, ſtrophiſque conſtabat, ſed vi, & energia ad perſuadendum, quod etiam Gregorius Niſſenus teſtatur, exemplisque confirmat.

S. Ephrem catholicæ fidei tenaciſſimus. 22. Catholicæ vero Fidei adeo tenax fuit S. Ephrem Niſſeno teſte, *ut nulla ex parte procul a pietate deflectens, admodum recte ſentiebat*, cumque omnium hæreſum monſtra deteſtaretur, abſurdiſſimam præcipue Apollinarii opinionem ſic averſabatur, ut omni conatu, ac ſollicitudine, eamdem ex quorumvis chriſtianorum animis evellere conaretur, eaque de cauſa, cum Paulinum presbyterum Edeſſenum, ac diſcipulum ſuum in fide inſtabilem videret, jam moriturus admonuit, ut caute ageret, neve ſe præcipitem daret, ut narrat Gennadius; qui & addit, eum poſt ſancti viri obitum primatus honore, & nominis claritate abreptum, in hæreſim, uti Ephrem prædixerat, incidiſſe. Gen. de vir. illuſ. cap 3.

Ephremii teſtamentum. 23. Ejuſdem extat oratio, quam coram fratribus jam moriturus habuit, quæ etiam teſtamentum dicitur, in qua multa & laude, & notatu digna habentur. Præter ſalutis monita, diſcipulis ſuis tradita, iiſdem prohibuit, ne pannos ſuos velut reliquias tollerent, neve ſe inter Sanctos inſcriberent: *Nam peccator ſum*, inquit, *& minus, & propter inſipientiam meam ipſis appropinquare metuo*. Inſuper: *Ne quis ex vobis ſolemni pompa ad oſtentationem me circumferat, ſed humeris tollentes me, & curſim comitantes, funuſque curantes ſepelite me, tanquam opprobrium, deſpectum atque abjectum*, graviſſimas etiam intentans minas in eos, qui corpus ſuum ſplendido veſtimento induiſſet, aut myrrha condidiſſet. Edeſſenos tandem rogat, ut pecuniam, quam in ejus funere conſumpturi erant, pauperibus diſtribuerent, ut Niſſenus etiam in ejuſdem oratione adnotat, qui & addit, quod cum vir quidam nobilis ad ejus funus veſtimentum magni pretii paraſſet, atque illud pauperibus erogare diſtuliſſet, a dæmone correptus fuit, quem Ephrem decumbens manuum impoſitione curavit, & ut pretioſam veſtem pauperibus daret juſſit. Tandem ne cum cereis ad funus deduceretur, ac in monumentis deponerent, imperavit: *In cæmeterio igitur, ubi contriti jacent corde, ibi me deponite*, ideſt una cum peregrinis, & pauperibus, ut ſupra declaraverat. S. Ephrem op. græc. lat. to. 2. p. 233. Niſſ. pag. 613. tom. 3.

At

24. At qui, ob animi humilitatem, funebrem pompam, pretiosam vestem, aromata, nobileque monumentum recusavit, preces tamen fidelium, atque suffragia sibi fieri non prohibuit, quinimmo enixe rogavit, nam addit: *Accedite igitur ad me fratres mei, & extendentes componite me, nam spiritus meus penitus defecit, & in orationibus vestris assidue pro mea parvitate oblationes facere dignamini, & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis: mortui enim in oblationibus commemorationis Sanctorum viventium beneficio afficiuntur*; ut etiam sollicite, & reverenter ad conventus in sui memoriam celebrandos convenirent, Edessenos hortatus est. Interea, dum hæc sanctus vir præciperet, & totius civitatis multitudo circumstaret, ac fleret, mulier quædam, nomine Lamprotata, magni Aristidis filia, semota hinc inde virorum, & mulierum turba, procidit ante eum, rogans, ut ei liceret exiguum loculum parare, in quo venerabiles reliquias ejus reconderet, cui ille probato proposito, dixit: *Mulier vade, fac quemadmodum proposuisti, & alias hoc facere volentes, ne impedias. Ex marmore autem cave monumentum mihi feceris; nihil enim mihi vana gloria proderit*; cui etiam Ephrem jussit, ne imposterum lectica uteretur: *Neque enim pium, ac fas est, ut homo, ad gestandam mulierem, suas cervices reclinet*; quod cum mulier facturum promisisset, eam benedixit, ac paulo post obiit.

Jesu Chr. An. 380. Ephrem moriens fidelium suffragia exoptat.

25. Quanti autem Ephrem opuscula veteres fecerint, testis est Hieronymus his verbis: *Post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitantur*. Nec minoris pretii sunt, aut fuerunt cæteris Patribus, aut eruditis viris Hieronymi ætate recentioribus, si Novatorum nonnullos excipias, qui ne Ephremii auctoritate premerentur, ejusdem opuscula, contra veterum Scriptorum fidem, aut nullius pretii esse, aut tam venerando nomini abjudicanda censuerunt.

Quanti pretii fuerint Ephremii opera. *Hier. de vir. ill. in Ephrem*

26. De Ephremii operibus: *Utinam*, inquit Cotelerius, *extarent Ephremii Diaconi Edesseni græca, seu græcæ antiquæ versiones, prout magno numero latent in Bibliothecis, haberemus sane viri docti, unde plurimum antiquitatem Ecclesiasticam partim in verbis, partim in rebus illustrarent*. Caveus vero in eamdem rem: *Utinam nobis liceret, esse tam beatos, ut si* non

Ephremii opera Græce & Syriace vulgata. *Coteler. monumen. Eccl. Græc. tom. 3. p. 535.*

JESU CHR. AN. 380. *bita supplicia, & tormenta patietur*. Hæc Damasus ad Orientales, quam epistolam loco non suo, idest post CPolitanum Concilium refert Theodoretus, atque ad CPolitanos Patres datam fuisse scribit. Orientalibus tamen hoc anno Antiochiæ congregatis a Damaso eam missam, patet, qui Timothei damnationem exquisierant, quem ante aliquot annos in alia Romana Synodo præsente Petro Alexandrino jam damnaverat, ut idem Damasus testatur: *Sed & alia quædam contra diversas hæreses scripserunt Episcopi Romæ congregati, quæ huic historiæ intexere necessarium duxi*, subdit Theodoritus post recitatam Damasi epistolam, quæ cum ad Synodum Romanam anni 382. pertineant, suo loco dicenda reservamus.

Gregorius Nissenus ab Antiochena Synodo in Arabiam mittitur. Greg. Niss. vit. Macrin. to. 2. p. 192.

30. Eadem Antiochena Synodus Gregorium Nissenum ad visitandas Arabiæ Ecclesias, atque in catholica Fide confirmandas, delegavit. Legationis sibi commissæ idem Nissenus meminit in vita Macrinæ sororis, quam ad se loquentem his verbis inducit: *Tu autem civitatibus, populis, nationibus celebris es: te ad ferendum auxilium, te ad res constituendas, Ecclesiæque mittunt, & vocant, & Dei munus non aspicis*; & de eadem legatione sibi imposita idem Nissenus loquitur in epistola scripta ad amicum quemdam, qui eum de Hierosolymitano itinere suscipiendo consuluerat, atque se tunc Hierosolymis fuisse, cum in Arabiam pro Ecclesiæ necessitatibus pergeret, narrat: *Scio*, inquit, *quid mihi multi adversus ea, quæ dicta sunt, objiciunt*; eo quod ipse Hierosolymitanam peregrinationem vix probaret: *Ajunt enim quamobrem hæc contra te etiam non decernis? cur tantam viæ molestiam sustinuisti?* ac se illuc non peregrinationis causa, sed Ecclesiarum necessitate coactum perrexisse adnotat; *Necesse fuit pro sancto concilio habito emendandæ Arabicæ Ecclesiæ gratia, ad loca ista proficisci. Ac cum esset Arabia locis Hierosolymitanis contermina, pollicitus eram, me una cum iis, qui sanctis Hierosolymitanis præsunt Ecclesiis, disceptaturum, quod rerum illis status perturbatus &c.* Itineris quoque sui diversam rationem fuisse addit, vehiculo scilicet publico usus, quod *nobis pro Ecclesia, & monasterio erat, omnibus per totam viam simul psallentibus, & jejunantibus Domino. Nostrum ergo exemplum neminem offendat: quin potius probabilius inde nostrum consilium fiat, quod de rebus iisdem, quas nos aspeximus, consilium nostrum damus.* Hæc

Hæc Nissenus de legatione ab Antiocheno Concilio sibi imposita, & de Hierosolymitana peregrinatione tunc suscepta, cujus etiam meminit in proœmio ad vitam Macrinæ sororis, de cujus obitu nunc est agendum.

Mors, & funus S. Macrinæ. *Gregor. Niss. vita Macrin. to. 2. p. 88.*

31. Finita Synodo, *cui nos interfuimus*, inquit Nissenus, cum quisque domum suam discessisset, *mihi cupiditas incidit, ut sororem inviserem*, a longo etenim tempore ab ejusdem colloquio prohibitus fuerat, cum scilicet ob Fidei confessionem exularet. Divino sane consilio factum est, ut ad Sanctam Macrinam mox morituram Gregorius pergeret, de cujus immiuenti obitu per visum noctu admonitus fuerat, cum jamjam patriæ appropinquaret, ut idem Nissenus in ejusdem vita narrat; at cum ad eam contendisset, ut de Basilii fratris obitu aliquam consolationem acciperet, ex Sororis obitu mœroris plaga gravior effecta est. De Macrinæ funere agens Nissenus, qua veneratione res sacræ reliquiæque habendæ sint, suo exemplo demonstrat, uti ad annum 364. diximus. Curato interea Sororis corpore, cum psalmorum cantu, cereisque accensis, ad Martyrum ædem religioso funere sepelivit, de cujus gestis, & obitu, plura ad Olympium monachum scripsit, ejusdemque memoria die 19. Julii martyrologio Romano recensetur.

Origo hæresis Priscillianistarum. *Sulp. Sever. hist. li. 2. to. 2.*

32. Cæsaraugustana Synodus Priscillianistarum hæresim hac ætate repressit, qua, ut ait Sulpicius „ *non usitato malo pollutæ Ecclesiæ, & perturbata sunt omnia*. Qua ratione tam pestifera lues Hispaniæ littora infecerit, vix constat. Eam intra Hispanias Magum quemdam Ægyptium intulisse narrat idem Sulpicius, cujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & rhetor Heleidius. Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prædives opibus, acer, facundus, multa lectione eruditus, disserendi, ac disputandi promptissimus, qui etiam egregiis animi, & corporis dotibus excellebat; sed vanissimus, & *profanarum rerum scientia* studiosus, quem etiam magicas artes ab adolescentia exercuisse ferebatur. Hic vero Marcus, qui ex Ægypto in Hispanias hanc pestem intulit, distinguendus omnino est ab altero Marco, qui ex Gnosticorum grege, ex Oriente in Gallias pergens, eam hæresim ibidem disseminavit, cujus discipuli Rhodanenses mulieres mente, & corpore corruperant, ut narrat Irenæus.

Iren. hær. li. 1. 89.

Qui-

JESU CHR. AN. 380.

Qua arte hæresim Priscillianus disseminaverit.

33. Quibus autem artibus Priscillianus sectam suam propagaverit, pluribus persequitur Sulpicius, eum scilicet nobilium plures, popularesque, auctoritate, & arte blandiendi in societatem adscivisse; mulieres etiam novarum rerum cupidas, dubiæ fidei, & curiosi ingenii, sibi adjunxisse. Humilitatis quippe speciem ore, & habitu præferens, honorem sui, & reverentiam cunctis injecerat. Jamque paulatim perfidiæ istius tabes quamplurimos pervaserat, quin & nonnulli Episcoporum depravati, inter quos Instantius, & Salvianus. His cognitis, Adyginus Episcopus Cordubensis ad Idatium emeritæ ætatis Sacerdotem cuncta retulit. Quare Idatius acriter, & ultra quam oportuit, Instantium sociosque ejus lacessens, facem quamdam nascenti incendio subdidit, ut exasperaverit malos potius, quam compresserit: *Igitur post multa inter eos, & digna memoratu certamina apud Cæsaraugustam synodus congregatur*, ait idem Sulpicius sub consulatu Auxonii, & Olybrii. Prosper vero in chronico anno 379. eam hæresim in Hispania innotuisse narrat: *Ea tempestate Priscillianus Episcopus de Gallecia ex Manichæorum, & Gnosticorum dogmate hæresim nominis sui condidit*; eo tamen anno Priscillianus nondum a suis Episcopus ordinatus fuerat, cujus ordinationem Idacius anno 384. recitat, ut suo loco videbimus.

Priscillianistarum errores.

August. de hær cap. 70.

34. Hoc itaque tempore Priscillianistarum hæresis e tenebris in lucem prodiens, synodali sententia percussa est, at e cineribus sæpe reviviscens, sæpius etiam damnata est, ut ex dicendis constabit. Hujus autem hæresis capita his verbis Augustinus describit: *Priscillianistæ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum, & Manichæorum dogmata permixta sectantur, quamvis & ex aliis hæresibus eæ sordes tanquam in sentinam quamdam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines suas habent in suis dogmatibus, & hæc verba: Jura, perjura, secretum prodere noli*. Animas ejusdem naturæ esse atque substantiæ, cujus est Deus, docebant, quam ad agonem quemdam in terris exercendum per septem cœlos, & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum Principem incurrere, a quo Mundum hunc factum dicebant, atque ab hoc Principe per diversa carnis

nis opera seminari. Fatalibus etiam astris homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi, qui mathematici vulgo appellantur, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde nominatim signa percurrentes, ad plantas usque perveniunt, quas Piscibus tribuunt. Hæc, & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum esset, Priscillianistæ effutiebant.

Alia Priscillianistarum deliramenta.

35. Hujusce hæresis sectarii a carnibus tamquam immundis escis abstinebant, conjuges etiam, idest viros a fœminis, & fœminas a viris disjungebant, opificium quippe omnis carnis non Deo bono, & vero, sed malignis Angelis tribuentes. Sacrarum Scripturarum nihil repudiabant, simul cum Apocryphis legentes omnia, & in auctoritate sumentes, sed in suos sensus, & in allegorias vertentes, quidquid in sanctis libris est, quod eorum evertebat errorem. De Christo cum Sabellianis sentiebant, eumdem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum. Extat S. Leonis ad Turibium epistola, qua de sectæ hujus erroribus instruimur. 1. Sanctam Trinitatem tantum nominibus distinguebant. 2. Filium Dei Patre suo posteriorem dicebant. 3. Christum eo unigenitum putabant, quod ex Virgine fuerat editus. 4. Natali, & Dominica die jejunia celebrabant. 5. Animas statuebant ex Dei substantia, Diabolum ex Chaos fuisse procreatum censebant, nuptias peccatum esse, corpora humana a dæmonibus esse in utero formata, filios promissionis a Spiritu Sancto esse procreatos, animas in cœlo peccasse stellisque subjici. Obscœna Priscillianistas perpetrasse, monet ad Ctesiphontem Hieronymus: *Priscillianus in Hispania, pars Manichæi de turpitudine, cujus te discipuli diligunt plurimum .... Soli cum solis clauduntur mulierculis, & illud inter coitum, amplexusque decantant:*

Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore fœtus.

Synodus Cæsaraugustana contra Priscillianistas celebrata.

36. Itaque contra gliscentem pestem *apud Cæsar-Augustam Synodus congregatur*, inquit Sulpicius, *cui tum etiam A-* *qui-*

Sulp. ut supra p. 251.

Jesu Chr. An. 380. *quitani Episcopi interfuere*. Cumque hæretici judicium declinassent, in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius, & Salvianus Episcopus, Helpidius, & Priscillianus laici, ac cæteri, qui eos in communionem recepissent; atque Ithacio Sossubensi Episcopo injunctum est, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret, maximeque Ignium extra communionem faceret, qui cum primus omnium insectari palam hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus in communionem eos receperat, ait Severus; eamque Cæsaraugustanam synodum anno Æræ Hispanicæ 418. habitam fuisse, idest Iabenti anno 380. a viris in Chronologia doctis adnotatum est. Synodo adsuere Episcopi duodecim, quorum nomina in præfatione leguntur, etsi in aliquibus corrupta: *Quarto nonas Octobris Cæsaraugustæ in Secretario, residentibus Episcopis Fitadio*, seu, ut conjicit Pagius, Phebadio Agennensi in Aquitania secunda Episcopo, ob doctrinam, & sanctitatem hac ætate celeberrimo, deinde aliis undecim, residentibus itaque Episcopis, *ab universis dictum est: Recitentur sententiæ; Lucius Episcopus legit*.

Canones octo synodi Cæsar-Augustanæ. 37. His additi sunt canones octo, ad propulsandam hæresim vulgati, quorum primus sub anathematis pœna mulieribus jubet, ut ab alienorum cœtibus, & lectione abstineant, ne scilicet, hæreticorum fraudibus, aut lectionibus deceptæ, in hæresim prolaberentur. 2. Ut diebus Dominicis nullus jejunet, nec Quadragesimæ diebus ab Ecclesia absit. Priscillianistæ etenim Manichæorum more die solis in odium Conditoris jejunabant. 3 Eucharistiæ gratiam, si quis probatur acceptam in Ecclesia non sumpsisse, anathema sit. Conveniebant enim Priscillianistæ cum Catholicis, at acceptam Eucharistiam non sumebant. 4. A die decimosexto Kalen. Januariii, ad usque octavo Idus, nulli liceat ab Ecclesia abesse, nec latere in domibus, nec secedere ad villam, aut nudis pedibus incedere, ut apud Priscillianistas fiebat. 5. Ab Episcopo excommunicatus, ab alio non recipiatur. 6. Clericus, qui propter luxum, vanitatemque de officio sponte discessit, ac velut legis observator, monachus magis velit esse, quam Clericus, excommunicatur, idque ea ratione cautum, ne Priscillianistas, sanctitatem ex habitu simulantibus, consociarentur. 7. Nemo doctoris nomen affectet. Octavo tandem canone decernitur, ne

ne ante annos quadraginta sanctimoniales velentur. Post Cæsaraugustanam Synodum Severus subdit, Instantius, & Salvianus judicio Sacerdotum damnati, in Synodi contemptum, Priscillianum laicum sectæ principem ad confirmandas vires suas Episcopum in Abilensi oppido ordinarunt, rati nimirum si hominem acrem, & callidum sacerdotali auctoritate armassent, tutiores quoque se fore: quam ordinationem ad annum 384, alligat Idacius in chronico, atque Abulæ Episcopum fuisse tradit.

Priscillianistæ Imperatoris rescripto ejiciuntur.

38. Antequam vero hæc fierent, *Idacius, atque Ithacius acrius instare non destiterunt, arbitrantes posse inter initia malum comprimi, sed parum sanis consiliis sæculares Judices adeunt, ut eorum decretis, atque executionibus hæretici urbibus pellerentur*. Itaque Idacius a Gratiano Imp. rescriptum obtinuit, quo Priscillianistæ excedere non ecclesiis tantum, aut urbibus, sed extra omnes terras pelli jubebantur. Quo comperto, iidem diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, qui Episcopi erant sponte cesserunt, cæteros vero metus dispersit. At Instantius, Salvianus, & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Romanum Pontificem objecta purgarent, Aquitaniam transeuntes apud imperitam multitudinem perfidiæ suæ semina spargere non dubitarunt, & maxime apud Elusanam plebem; in agro autem Euchrociæ aliquantisper morati, nonnullos suis erroribus infecere.

Priscillianus cum sociis a Damaso, & Ambrosio repulsi. Sever. Sulpic. p. 185.

39. At ubi Romam pervenere, Instantius, Salvianus, & Priscillianus, ne in conspectum quidem eos Damasus Papa admisit, Mediolanum profecti, adversantem sibi Ambrosium quoque repererunt. Repulsam itaque undique passi Priscillianistæ, ad nequiora adhuc consilia convertuntur, nam, ut ait Severus: *Quia duobus Episcopis*, Damaso scilicet, & Ambrosio, *quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo, & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerant, ita corrupto Macedonio tum magistro officiorum rescriptum eliciunt, quo calcatis, quæ prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur*. Eoque rescripto freti Instantius, & Priscillianus repetivere Hispanias, nam Salvianus in Urbe obierat, ac tum sine ullo certamine Ecclesias, quibus præfuerant, recepere. Ithacius vero, cui ad resistendum non animus, sed facultas defuit, eo quod hæretici corrupto Volventio Proconsule vires suas con-

JESU CHR. AN. 380. firmaverant, atque ab his quasi perturbator Ecclesiarum reus postulatus, jussusque deduci, trepidus profugit ad Gallias, ac Gregorium Præfectum adiit. Qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctorem jubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet. Frustra tamen cuncta cessere; nam hæretici suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, ab Imperatore obtinuerunt ut Præfecto Galliarum erepta hujus causæ cognitio, Hispaniarum Vicario committeretur, missique a magistro Officiales, qui Ithacium, tunc Treviris agentem, ad Hispanias retraherent. Eos tamen Ithacius callide frustravit, ac per Pritannium Episcopum illusit, ut pluribus narrat Severus Prisc illianistarum gesta usque ad annum 383, & 384 prosequens, cum Maximus, Gratiano occiso, tyrannidem arripuit, nam subdit: *Jam tum rumor incesserat, Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse Imperium &c.* Sed de his infra.

Ambrosius Anemium Episcopum Sirmii ordinat.

40. Dum Hispanias veneno suo Priscillianus inficeret, Justina Augusta Valentiniani junioris mater, totis viribus Ariano favens errori, Arianum Episcopum Sirmiensi Ecclesiæ Pastore viduatæ præfici jusserat; ejus tamen consiliis Ambrosius restitit, ac Sirmium ea de causa convolans, divina ope fretus, repugnantibus Arianis, ordinavit catholicum, de quibus hæc Paulinus in Ambrosii vita: *Sirmium vero cum ad ordinandum Episcopum Anemium perrexisset, ibique Justinæ tunc temporis reginæ potentia, & multitudine coadunata ab Ecclesia pelleretur, ut non ab ipso, sed ab hæreticis Arianus Episcopus in eadem Ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali; nihil curans eorum, quæ a muliere excitabantur, una de Virginibus Arianorum impudentior cæteris, tribunal conscendens, apprehenso vestimento Sacerdotis, cum illum adtrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cæsus de Ecclesia pelleretur, ait ei, ut ipse solitus erat referre: Etsi ego indignus tanto Sacerdotio sum, tamen te non convenit vel professionem tuam in qualemcumque Sacerdotem injicere, unde deberes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniret. Quod dictum exitus confirmavit, nam alio die mortuam ad sepulchrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens.* Idque non levem adversariis incussit metum, Ecclesiæ vero catholicæ gaudium pacemque attulit. Ordinato itaque catholico Sacerdote, Medio-

Ambros. vita to. 4. pag. 4.

dio-

diolanum revertitur Ambrosius, ibique posthac quamplurimas sustinuit insidias. Sed de insidiis Ambrosio a Justina structis, deque certaminibus cum ea initis, infra. Anemii Sirmiensis Episcopi ordinationem ultra hunc annum differri non posse, ex eo constat, quod anno sequenti Aquilejensi Synodo adfuerit. Quo autem jure S. Ambrosius Sirmiensis Ecclesiæ Episcopum ordinaverit, in incerto est: id tamen scimus Mediolanensi Ecclesiæ Sirmiensem nullatenus fuisse subjectam, ut a viris doctis adnotatum est.

Saporis obitus. *Agath. lib. 4. 11.*

41. Hoc etiam anno Persarum rex Sapores, post plurimas, longo Imperii sui tempore, Romanis illatas clades, tandem obiit, fratre hærede relicto, ut narrat Agathias: *Post Saporem Artaxerses germanus frater, ut Regni tum particeps, quatuor ubi regnans exegisset annos emoritur. Hujus filius Sapores & ipse dictus, annos quinque regnavit. Totidem vero, & geminatos, alteroque adjecto Saporis filius Varanes, qui & Cermasat a Cerma natione quadam in potestatem redacta, haud secus dictus, ac Romani assuevere, qui ab Africa Africanum dixerunt, & Germanicum a Germania. Post hunc Isdigertes filius suscepit Principatum, qui & Magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus. Arcadius namque ferme jam moriens, cum res suas disponeret, hoc usum custode ferunt Theodosii filii, & totius Imperii curatore.* Hæc de successione Regum Persarum Agathias usque ad Isdegertem.

De Zenone Veronensi Episcopo ejusque operibus.

42. Quanto illustrior est S. Zenonis Veronensis Episc. memoria, tanto obscuriora sunt gesta, itaut vel ipsa, qua floruit, ætas incerta sit, incertus quoque vitæ exitus, & an martyribus vel sanctis confessoribus inscribi debeat; quin & homiliæ, quæ ejusdem nomine circumferuntur, S. Zenoni nequaquam inscribendas esse eruditorum plurimi censent. Ne tamen tanti viri memoria in annalibus nostris desideretur, ex accuratissimis Zenonis editoribus, fratribus scilicet Ballerinis Veronensibus, qui primum Veronæ anno 1739. deinde Augustæ Vindelicorum iterum anno 1758. S. Zenonis Opuscula ediderunt, notis dissertationibusque illustrarunt, potiora saltem adnotabimus; atque in primis post medium sæculum quartum, ac circa annum 362. cum Veronæ Episcopum ordinatum fuisse, ac circa annum 380. obiisse dissertatione tertia eruditus editor pluribus prosequitur, ac falso martyribus eum inscriptum fuisse probat. Quæstionem

de S. Zenonis martyrio in utramque partem tractat Franciscus Bonaccius Pistoriensis sacerdos, qui Zenonis editionem Augustæ Vindelicorum tribus dissertationibus auxit, & quamvis pro Zenonis martyrio inclinare videatur, suam tamen sententiam proferre non est ausus, utpotequæ, cunctis in utramque partem expensis, probabilis vix videatur, etsi enim S. Gregorius Magnus martyris titulo his exornet, ubi Athesis fluminis exundantia adnotata, ad januas Ecclesiæ S. Zenonis martyris stetisse narrat his verbis: *Apud Veronensem urbem fluvius Athesis excrescens ad Beati Zenonis martyris atque Pontificis Ecclesiam venit*, deinde, *stans autem ante januam ad ostendendum cunctis meritum martyris*. At S. Ambrosius Zenoni fere coævus, qui omnium primus Zenonis meminit, sanctæ quidem memoriæ virum appellat, non martyrem: *Tu autem*, inquit in epistola ad Syagrium proximum S. Zenonis in Veronensi Episcopatu successorem, *tu autem sine alicujus fratris consilio hoc judicium præjudicium feceris, ut puellam S. Zenonis sanctæ memoriæ judicio probatam, ejusque benedictione sanctificatam, post tot annos sine auctore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrare &c.* Quis porro credat Ambrosium martyris titulum S. Zenoni negasse, si martyrem novisset, aut quomodo ignorare Ambrosius potuit, ejusdem martyrium, in tam proximo loco, supparique ætate? De ejusdem porro tractatibus, sive sermonibus, ni actum agamus, aut pluribus in eorum examine immoremur, lectores curiosos ad Ballerinos, aut ad Bonaccium delegamus, apud quos quæcumque in iis Sancto Zenoni vindicandis dici vel fingi potuerunt, facile invenient, & hæc adnotasse sufficiet.

Ambros. epist. ad Syagrium.

JE-

JESU CHRISTI AN. 381. DAMASI PAPAE 16.
GRATIANI IMP. 15. VALENTINIANI JUNIORIS 7.
THEODOSII 3. COSS. FL. EUCHERIO, ET SYAGRIO
OLYMP. 290. AN. 1. URBIS AN. 1134.

1. Etsi Antiochena Synodus anno proximo congregata Nicaenam Fidem confirmasset, Orientalis tamen Ecclesiae vulneribus vix remedium attulerat: quamobrem ut ingruentibus malis opportunior adhiberetur medela, ex toto Oriente Episcopos CPoli Theodosius congregavit, ut & Nicaena Fides confirmaretur, & ut erumpentes haereses, & maxime Macedonianorum, quae latius in Orientalibus ecclesiis serpebat, condemnarentur. Eam ob causam Macedonianae quoque sectae Episcopos adesse jussit, una cum iis, qui Consubstantialem fidem profitebantur, ex catholicis illustriores fuere Timotheus Alexandriae Episcopus, Cyrillus Hierosolymorum, Meletius, qui jamdudum CPoli aderat, propter ordinationem Gregorii illuc vocatus, Ascholius Thessalonicae, aliique centum & quinquaginta numero. Macedonianae vero partis principes erant Eleusius Cyzicenus, & Marcianus Lampsaci; omnes porro illius sectae triginta sex. *Convenerunt itaque Eucherio, & Evagrio Coss. mense majo*, seu Eucherio, & Syagrio, ut inscriptiones testantur. Socrati consentiunt caeteri historici, Sozomenus, Theodoretus, aliique. Theodosius *simulatque Imperio potitus est, ante omnia concordiam Ecclesiarum reparare studuit, & Episcopos suae ditionis CPoli evocavit*, ait Theodoretus, & iterum capite sequenti: *Hanc igitur ob causam*, quod Oriens Ariana labe inficeretur, *Theodosius Episcopos duntaxat Imperii sui Constantinopolim jussit convenire, quo cum advenissent, erant autem centum, & quinquaginta &c.* Hactenus de synodi tempore, de Patrum numero, & de causis, quibus congregata fuit, in qua etsi Orientales tantum Episcopi convenerint, accedente tamen Damasi, & Occidentalium consensu, oecumenica dicta est, & post Nicaenam secunda numeratur. Ad acta properantes, inquirendum in primis est, quanto tempore ea Synodus perduraverit, & an una, aut duae vel tres Constantinopolitanae synodi sint admittendae, cum etenim constet, plura ibidem gesta fuisse, pluriesque Episcopos convenisse hoc, & se-

Synodus CP. indicitur, qua de causa.

Sozom. li. 7. 9. Theodor. lib. 5. 6.

Theod. hist. li. 5. cap. 7. & 8.

JESU CHR. AN. 381. & sequenti anno, hinc intra biennium tres CPoli synodos habitas fuisse nonnulli censent.

CP. duæ Synodi habitæ sunt. Bar. an. 381. n.18. 2. Hujus anni initio primam CP. Synodum celebratam fuisse cum Baronio tradit Nat. Alex., quæ, Meletio præside, Gregorium Nazianzenum CPoli Episcopum ordinavit: *Quod haud dubium*, inquit Baronius, *ante mensem Majum id factum apparet*. Secunda vero synodus, seu secunda ejusdem synodi sessio, ineunte Majo, teste Socrate, congregata fuit, quæ fidei definitionem edidit, & canones aliquot vulgavit, de quibus infra; tertia demum sessio, seu synodus anno sequenti, cujus extat epistola ad Occidentales suo loco recitanda. Tres etiam synodos, sed diverso ordine numerat Dupinius, quarum primam labenti anno alligat, secundam anno sequenti, qua advenientibus Ægyptiis Episcopis, iisque de Gregorii ordinatione tumultuantibus, Gregorius sponte sede sua cessit, tertiam denique anno 383, cujus extat epistola ad Damasum, ceterosque Episcopos Romæ congregatos; at sine causa tot concilia multiplicantur, cum duo tantum fuerint; primum centum quinquaginta Patrum, a quibus, & Gregorii ordinatio primum peracta, quo postmodum recedente, Nectarius substitutus est, & fidei professio vulgata, & canones editi; alterum anno sequenti, cujus ad Occidentales extat epistola, cujus etiam meminit Theodoretus, qui narratis gestis hoc anno a Constantinopolitana synodo, mox subdit: *Sequenti vero æstate, cum plerique eorum ad eamdem urbem venissent, ecclesiastica enim negotia eos rursus illuc evocarunt, Occidentalium Episcoporum synodicam epistolam acceperunt*, cui respondentes, de priori synodo hoc anno habita mentionem habent his verbis: *Legere dignemini libellum illum, qui superiore anno editus est ab Oecumenica Synodo*. Unica itaque fuit Œcumenica Synodus hoc anno habita, altera vero sequentis anni, Episcoporum numero, & dignitate inferior fuit, ex iis Episcopis coacta, qui Ecclesiasticorum negotiorum causa in urbem Regiam advenerant, cum illuc Occidentalium epistolæ delatæ sunt.

Theod. li. 5. 8.

Macedoniani ad unitatem frustra invitati. 3. Nunc Synodi gesta percurrimus. Coeuntibus mense Majo 150. Patribus Catholicæ Ecclesiæ, Macedonianæ vero sectæ 36, ut supra diximus, hos primum Synodus ad Ecclesiæ unitatem revocare conata est, & ut Nicænæ Fidei subscri-

scriberent: *Verum illi tam exhortationes, quam argumenta, quibus convincebantur, parvipendentes, Arianam opinionem profiteri maluerunt, quam Consubstantialis fidei consentire. Hæc cum respondissent, CPoli discesserunt, & per singulas civitates suæ partis hominibus scripserunt, monentes, ne unquam Nicænæ Fidei consensum accommodarent*. Iis itaque abeuntibus, cum Catholici Episcopi Theodosium Imperatorem adiissent; vetuit Imperator, ne quis ipsi renunciaret, quisnam esset Magnus Meletius, eum enim ipse ex somnii sui memoria volebat agnoscere; & adstantibus cunctis, relictis cæteris, ad magnum Meletium Theodosius accurrit, eumque humanissime acceptum deosculatus est, & visionem, quam in somniis viderat, ei narravit, qua scilicet Imperiale diadema ab eodem sibi imponi visus fuerat. Post hæc cum reliquos etiam omnes benigne excepisset, hortatus est, ut tanquam patres de rebus propositis deliberarent. Cum Meletio alii plurimi doctrina, & pietate insignes Episcopi aderant, Timotheus Alexandrinus Episcopus, Cyrillus Hierosolymorum, Ascholius Thessalonicæ, Diodorus Tarsi, Acacius Bereæ, Amphilochius Iconii, Helladius Cæsareæ Cappadociæ, & Basilii Magni successor, tandem Gregorius Nissenus Basilii frater, aliique, quorum nomina in subscriptionibus leguntur. *Theod. li. 5. 7.*

4. CPolitanam synodum non solum Fidei causa congregatam fuisse diximus, sed ut CPolitanæ Sedi Episcopus ordinaretur; quare de Maximi in eam sedem ordinatione ab Ægyptiis peracta anno proximo actum imprimis est, quem *nec esse nec fuisse unquam Episcopum decreverunt, nec Clericos eos, qui ab illo ordinati essent; cuncta denique, quæ sub illo, aut ab illo facta fuissent, irrita esse statuerunt*, ait Sozomenus, quem etiam Episcopatu indignum fuisse judicarunt, utpote Apollinaris infectum dementia: *Pontificali itaque dignitate exutum damnarunt*, inquit Theodoretus. Eoque tanquam lupo ab ovile Christi fugato, Gregorium, cujus ope Constantinopolitana Ecclesia pene mortua revixerat, quique ejus Ecclesiæ administrationem hactenus gesserat, regiæ urbis Antistitem ordinarunt, idque tanto Patrum consensu, ut vel ipse Gregorius miraretur:

Maximi loco Gregorius Nazianz. Episc. ordinatur.

Sozom. li. 7. 9.

Num

JESU CHR. AN. 381. *Nam quidquid ortus Præsulum (Ægyptum citra)*

Gregor. in vita sua p. 19. (idest exceptis Ægyptiis , qui nondum aderant , quique Maximo favebant , ut videbimus)

Habebat , usque ad inclitam Romam novam
Terræ , Marisque ex intimis recessibus ,
Quo concitatum cælitus pacto haud scio ,
Coit repente , firmet ut thronum mihi :
Quos inter unus vir erat , pius admodum ;
Simplex , apertis moribus , plenus Deo .

Meletium designat , unde paulo post :

Antiochiæ urbis Præsulem , subdit ,
Qui gravia multa Spiritum ob Sanctum tulit .

Solus Gregorius de sua ordinatione mœrebat .

Sacris me collocant hi in sedibus
Flentem , gementem : nomine hoc uno tamen
Non prorsus ægra mente , tu testis Deus .

Socrat. ut sup. Sozom. li. 7. 9. Theod. li. 5. 8. De Maximi Cinici abdicatione , & Gregorii ordinatione in Synodo peracta , eadem fere habent Socrates , Sozomenus , & Theodoretus , Ruffinus , aliique ; rei tamen gestæ ordinem non servant , nam aut Maximi abdicationem post Gregorii discessum , & Nectarii ordinationem narrant , aut Gregorium ex Nazianzena Ecclesia ad CPolitanam translatum fuisse , tradunt , quæ sane non constant ; quin eodem Nazanzeno teste scimus , vivente quidem patre , ejusdem Ecclesiæ curam eum tantummodo gessisse , cujus nunquam Episcopus fuit , sicuti neque Sasimorum Ecclesiæ unquam præfuit , aut curam gessit , etsi a S. Basilio Episcopus ordinatus fuisset , ut suo loco adnotavimus .

De Synodi Præside , & Fidei decreto Sozom. li. 7. 7. 5. His peractis , cum iterum convenissent Patres , quibus *Timotheus Alexandrinus Antistes præsidebat , & cum eo Meletius Antiochiæ , & Cyrillus Hierosolymitanus* , ait Sozomenus , cui consentit libellus Synodicus , dum ait : *Præfuerunt*

runt Timotheus Alexandrinus, *Cyrillus Hierosolymorum*. Photius etiam de Synodi Præside: *Præfuerunt*, inquit, *Timotheus Alex.*, *Meletius Antiochiæ*, *Cyrillus Hierosolymorum*. Convenientibus itaque Patribus, ut de Fide agerent, grassantesque hæreses condemnarent, præter Nicænam Fidem, Occidentalium volumen præ manibus eos habuisse constat ex Canone quinto ejusdem Synodi, quo habetur: *De volumine Occidentalium etiam eos suscipimus, qui Antiochiæ unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deitatem confitentur*, idest, qui unicam in Deo hypostasim profitebantur, cum e contra ex Orientalibus quamplurimi tres in Deo hypostases prædicandas esse censerent, de quibus plura supra diximus. Occidentalium porro volumen idem erat, ac Fidei professio, a Damaso in Concilio Romano edita, & ad Paulinum Antiochenum missa, quam Theodoretus recitat, etsi loco non suo, scilicet post CP. synodum, quam ante aliquot annos ad Paulinum Antiochenum Episcopum Damasus Papa miserat, uti pluribus probat Coutantius.

Jesu Chr. an. 381.
Phot. lib. de Synod.
Apud Harduin. tom. 1. p. 811.
Theod. li. 5. 11

6. Ut igitur constaret, unam esse Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum fidem, Damasi Romani Pontificis confessionem fidei in Orientem ad Paulinum missam Orientales Episcopi post Nicænum symbolum adoptarunt, atque ex ea suam ipsorum Fidei confessionem ediderunt. In sua autem Fidei confessione hæc habent CPolitani Patres ex versione Dionysii: *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium &c.* Eaque Fidei formula tanquam telo grassantes hæreses confixerunt, Manichæorum scilicet, qui cum duo rerum principia admitterent, Deum Cœli, & Terræ Creatorem esse negabant, Photinianos etiam & Arianos, qui Filium Dei ex Virgine initium habuisse dicebant. *Natum ante sæcula* definientes, contra Apollinaristas, Christum ex Maria Virgine carnem sumpsisse, & natum dixerunt; tandem se *credere in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, cum Patre, & Filio adorandum*, addiderunt, qua sententia Pneumathomachos, seu Macedonianos condemnarunt.

CP. synodi fidei professio seu symbolum
Harduin. tom. 1. p. 813.

7. Post restitutam CPolitanæ Ecclesiæ pacem ob Maximi depositionem, & Gregorii ordinationem, post Fidei symbolum adversus hæreses editum, canones aliquot CPolitani Pa-

Synodi CP. epistola ad Imperatorem.

JESU CHR. AN. 381. *Hard. p. 807.* tres vulgarunt, ad Ecclesiæ disciplinam spectantes; hinc Episcopi ad Imperatorem, absoluta Synodo, hactenus gesta recensentes, inquiunt: *Ex quo tempore juxta litteras tuæ Pietatis CPoli convenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus, deinde vero breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus, & quæ adversus eam obortæ sunt, perversas hæreses, ac pravas opiniones extrema cum exsecratione, ac detestatione reprobavimus. Præterea etiam ad disciplinam Ecclesiasticam certos Canones statuimus, quæ omnia huic nostro scripto subjecimus. Rogamus igitur tuam Clementiam, ut per litteras quoque tuæ Pietatis ratum habeatur Concilii decretum, ut sicuti litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes &c.* Hactenus Episcopi CPoli congregati ad Theodosium Imperatorem.

CP. Synodi Canones. *Sozom. lib. 7. 9.* 8. De Canonibus in CPolitana Synodo vulgatis adnotat Sozomenus, quod Episcopi in unum convenientes decreverunt, ut Nicæni Concilii Fides rata permaneret, universæ autem hæreses anathemate damnarentur, utque omnes ubique locorum Ecclesiæ ex præscripto veterum canonum regerentur, & ut Episcopi in propriis manerent Ecclesiis, nec temere in extraneas pedem inferrent, neve exterorum ordinationes usurparent. Ea vero, quæ in singulis provinciis contigissent, synodus cujusque Provinciæ pro arbitrio suo ordinaret, & constitueret. *Præterea, ut post Episcopum Urbis Romæ, CPolitanus haberet honoris prærogativam, utpote qui junioris Romæ Episcopatum administret. Jam tum enim urbs illa, non solum hanc appellationem meruerat, & Senatum, & Ordines populi, ac Magistratus similiter habebat, verum etiam contractus civium ejus urbis juxta leges Romanorum, qui in Italia sunt, judicabantur, juraque omnia, & privilegia æqualia seniori Romæ possidebat*, ait Sozomenus, ac subdit, Synodi gesta Imperiali decreto firmata fuisse, legemque latam, qua fidem Nicænam in omnibus ubique Ecclesiis retinendam prædicandamque jubebat Imperator, eos vero Catholicos habendos esse, qui CPoli quidem communicarent cum Nectario, in Ægypto cum Timotheo Episcopo; in Orientis provinciis eos, qui communicarent cum Diodoro Episcopo Tarsi, & Pelagio Epis-

Episcopo Laodiceæ in Syria; in Asiana autem Diœcesi cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ Antistite, in Pontica Diœcesi Bithynis usque ad Armenios eos, qui communione juncti essent cum Helladio Cæsareæ Cappadocum Episcopo, & Gregorio Nyssæ, & Otrejo Melitinæ; in urbibus denique Thraciæ, ac Scythiæ eos, qui cum Terentio Tomitano, & Martyrio Marcianopolis Episcopo communicarent. Hæc Sozomenus, eademque Socrates, qui post plurima addit, novam provinciarum divisionem singulis Patriarchis a synodo designatam fuisse: Patriarcharum autem nomine Metropolitanos Socrates eo loco intelligit, quorum limites his verbis describit: *Nectarius quidem regiam urbem, & Thraciæ provincias sortitus est. Helladius vero, qui Cæsareæ Cappadociæ post Basilium erat Episcopus, Ponticæ Diœcesis Patriarchatum obtinuit, & una cum illo Basilii frater Gregorius Episcopus Nissæ, quæ & ipsa urbs est Cappadociæ, & Otrejus Episcopus Melitinæ in Armenia. Asianæ autem Diœcesis Patriarchatum sortitur Amphilochius Iconii, & Optimus Antiochiæ Pissidiæ Episcopus. Ægypti Ecclesiarum administratio Timotheo Alexandriæ Episcopo attributa est. Orientis autem Ecclesiarum regimen, & curam Episcopis illius regionis commiserunt, Pelagio scilicet Laodiceæ, & Diodoro Tarsi Episcopo, servata tamen honoris prærogativa Antiochensi Ecclesiæ, quam quidem prærogativam Meletio tunc præsenti tribuerunt. Porro decreverunt, ut si necessitas posceret, Provinciæ cujusque negotia Provincialis Synodus dijudicaret. Quæ quidem Imperator etiam consensu suo comprobavit.* Hactenus Socrates, qui in eo certe fallitur, dum post Nectarii ordinationem, & *Meletio tunc præsenti* hæc statuta fuisse tradit, cum sciamus, post Meletii obitum CPolitano throno Gregorium renunciasse, in cujus locum postea Nectarius est ordinatus; ex quo sequitur, aut ante Nectarii ordinationem, aut post Meletii obitum hos canones editos fuisse, id enim incertum est. Socrat. li.5.8.

9. Quot autem capitibus, seu Canonibus hæc Synodi Decreta constarent, definiri vix potest, cum hujusce synodi alius sit Canonum numerus in codice Ecclesiæ Græcæ, alius apud Latinos, alius item ex versione Dionysii Exigui, alius apud Isidorum Mercatorem, quæ differentia ex divisione magis, quam ex re ipsa oritur. Hinc alii tres canones tantum Con- De Canonum numero, & auctoritate.

 stan-

Jesu Chr. an. 381.

stantinopolitanæ Synodo adscribunt, alii quinque, alii septem, ut apud Conciliorum collectores videre est. Ad tria tamen capita, omnia quæ ibidem statuta sunt, revocari commode possunt, ita ut primo canone, quæ ad fidem spectabant, definierint Patres, Nicænorum scilicet Patrum fidem non violandam, *sed firmam, & stabilem manere, & anathematizandam omnem hæresim, & specialiter Eunomianorum, vel Anomianorum, & Arianorum, vel Eudoxianorum, vel Spiritui Sancto resistentium, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinariorum*. Secundus canon, quem in duas, tresve, vel plures partes nonnulli diviserunt, ea continet, quæ Episcoporum jurisdictionem spectant, ac ut unusquisque intra suæ Diœcesis limites se contineret, statuit, excepto tamen CPolitano Episcopo, cui post Pontificem Romanum primum locum dederunt. Tertio tandem canone de Maximi ordinatione, & depositione agitur.

CP. Synodus Oecumenica nullam CP. Episcopo prærogativam concessit. *Baron. 381. n. 25. 26.*

10. De eorum autem canonum auctoritate, & præcipue de honore CPolitano Episcopo collato, ut post Romanum Pontificem secundus haberetur: *Imposturæ nomine*, inquit Baronius, *suspectus habetur, imo plane addititius esse, atque suppositus*. Timotheum enim Alexandriæ Episcopum tantam suæ Sedis injuriam, ac CPoli Episcopum sibi præferri æquo animo tulisse, inverisimile est. Sed & Orientales Episcopi in epistola ad Damasum anno sequenti scripta, de hoc CPolitanæ Sedis privilegio nec verbum habent. Quæ quidem etsi de hujusce canonis ingenuitate dubitationem ingerant; tanti tamen non sunt, ut pro supposititio censendus sit: id unum dicendum restat, Œcumenicæ Synodo nequaquam eum adscribendum esse, sed ab iis Episcopis additum fuisse, qui, peracta Synodo, CPoli commorantes Nectarii ordinationi interfuere, de qua infra dicturi sumus.

Privilegia CP. Episc. concessa Rom. sedes nequaquam probavit. *Socrat. Sozom. ut sup.*

11. Falso itaque hæc a centum quinquaginta Patribus statuta fuisse Socrates, & Sozomenus narrant, etsi in omnibus canonum collectionibus hic canon CPolitanæ Synodo adscribatur. Chalcedonenses etiam, & Trullenses Patres eam honoris prærogativam CPolitano Episcopo a 150. Patribus hoc anno congregatis collatam fuisse, aperte testantur. Et sane eo honore Nectarius usus est, ac ejus nomen, tam in subscriptionibus canonum, quam in Theodosii lege inferius recitan-

citanda, Timotheo Alexandrino, ceterisque Episcopis prælatum est, eademque honoris prærogativa cæteri Nectarii successores usi sunt, ut vel in ipso Chrysostomo Nectarii successore videbimus. Quid contra hæc Timotheus Alexandrinus, cujus jura minuebantur, gesserit, nobis non constat; his tamen consensisse, vel ob urbis majestatem, vel ob Imperatoris auctoritatem, verisimile est. Ad Damasum autem anno proximo scribentes Orientales Episcopi, altum de eo canone silentium servarunt, cum non ignorarent, hunc canonem, quo Ecclesiarum jura, & privilegia subvertebantur, a Damaso nullatenus approbatum iri. Romana quippe Ecclesia, Romanique Pontifices, ea tantummodo, quæ ad Fidem spectabant, susceperunt, cætera vero ibidem gesta reprobarunt; unde cum Anatolius, ut suæ Sedis dignitatem tueretur, Leoni Magno hunc canonem a 150. Patribus editum objecisset, S. Leo canonem quidem ab Orientalibus editum, fatetur; at a suis Prædecessoribus reprobatum fuisse, adnotat: *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio; nam quæ a prædecessoribus tuis ad nostræ Sedis trasmissa sunt notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc, & inutilia subjicere fulcimenta voluisti*. Sanctus etiam Gregorius ad Eulogium scribens, ea tantum a Romana Ecclesia hujus CPolitanæ Synodi suscepta, & probata fuisse, testatur, quæ adversus Macedonii hæresim decreta fuerant, cætera vero vel ignorata, aut improbata. *Romana autem Ecclesia*, inquit, *eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eamdem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum &c.* Hactenus de Canone Synodi CPolitanæ, quo regiæ urbis Episcopo, post Romanum Pontificem, supra reliquos Orbis Episcopos honoris prærogativa tributa est, quo violatis semel Patrum regulis factum est, sicuti in Psalmo scriptum est: *Superbia eorum ascendit semper*, ut crescente fastu Episcoporum CPolitanæ Ecclesiæ, sæculo vix elapso Œcumenici titulum usurparent; temporis vero progressu, non solum post Romani Pontificis primum honoris locum affectarunt, sed vel æqualem cum eo, vel etiam majorem, ita ut, subesse etiam tandem recusaverint, unde Photii tempore teterrimum illud schisma conflatum est, quod Orientalem

Leo epist. 53.

S. Greg. epist. li.6.15.

JESU CHR. AN. 381. talem Ecclesiam a Romana divisit, in quo etiam non sine maxima animarum strage usque adhuc perseverat.

De Meletii obitu, & funere. *Theod. li. 5. 8. Socrat. li. 5. 9.*

12. Absoluta Synodo, dum reditum maturarent Episcopi, Meletius Antiochenus Episcopus CP. obiit, ut narrat Theodoretus: *Brevi post tempore* (ex quo Gregorius regiæ urbis Episcopus ordinatus fuerat) *divinus Meletius ad vitam doloris expertem migravit*. Socrates vero: *Meletius Antiochensis Episcopus in morbum prolapsus, e vivis excessit, ejusque in laudem Gregorius Basilii frater orationem funebrem dixit. Porro corpus Meletii necessarii ejus Antiochiam transtulerunt*. Nisseni exemplo, quotquot dicendi facultate pollebant, Meletii laudes celebrarunt, hinc in orationis suæ proœmio, ab aliis jam laudatum fuisse, indicat Nissenus: *Vellem aliquam rumpere vocem, quæ incommodo responderet, quemadmodum isti viri egregii fecerunt, qui magna voce calamitatem amissi Patris deploraverunt &c.* In orationis autem decursu de Meletii laudibus ab alio antea celebratis: *Meministis omnino, quemadmodum vobis ante hanc nostram habita oratio labores atque certamina viri exposuit. Audistis continuationem, contextum, & seriem laborum, qualis in primis, qualis in mediis, qualis esset in postremis, supervacuum judico benedictorum repetitionem*. Qua autem celebritate Meletii funus celebratum fuerit, quove honore ad sepulturam delatus, idem Gregorius in fine orationis his verbis narrat: *Exponite bonas narrationes, dicite miraculum, cui fides derogetur, quomodo maris in modum condensati, innumerorum hominum populus, unum continuum corpus universi erant, tamquam aqua quædam circa tabernaculi pompam æstuantes &c.* Diversorum scilicet ordinum psalmodiam describens, deinde post aliqua, de funeris pompa addit: *Quomodo utrinque quasi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere possent, porrigebantur. Exponite studium totius populi, Apostolorum contubernium, quomodo sudaria faciei ejus ad præsidium atque custodiam Fidelium discerpebantur. Adjiciatur orationi etiam Imperator mœrens ob calamitatem, & e solio exurgens, totaque civitas una cum pompa Sancti transiens, & consolamini vos invicem in sermonibus istis*. Hæc Gregorius Nissenus de magnificentissimo Meletii funere, cujus reliquiæ Antiochiam translatæ, summo honore *juxta*

Gregor. Niss. orat. in laudem Meletii p. 587. to. 3.

ta loculum Sancti Babylæ Martyris conditæ sunt, ait Sozomenus, deinde: *Ajunt porro per totam viam publicam ex Imperatoris jussu cadaver illud intra urbes receptum fuisse, præter morem institutumque Romanorum, & psalmorum cantibus per singula loca alternatim exceptum honorifice Anciochiam usque fuisse deductum*, de cujus translatione Gregorius Nazianzenus:

JESU CHR. AN. 381.
Sozom. lib. 7. 10.
Gregor. Naz. carm. de vita sua.

Ecclesiamque vectus est post ad suam
Thesaurus, ingens hoc bonum agnoscentibus;

Ejus memoria die duodecima Februarii martyrologio Romano recolitur, quæ cum mortis non fuerit, translationis ejus fuisse verisimile est, in cujus laudem lustro vix evoluto S. Joannes Chrysostomus coram frequentissimo populo orationem habuit.

Chrysost. to. 2.

13. Ob Meletii mortem funesti schismatis, quo jamdiu Antiochena Ecclesia laborabat, finis sperabatur, in ea quippe pacta olim convenerant Meletius, & Paulinus, ut eorum alterutro sublato, superstes usque ad obitum solus eam regeret Ecclesiam, atque in eam sententiam non solum Gregorius Nazianzenus, sed & cæteri prudentiores, pacisque cupidi subscripserant, ac neminem in Meletii locum eligendum esse censebant, ne diutius Antiochena Ecclesia sub duobus Episcopis catholicis, divisa perseveraret. At aliter res accidit, nam ab Orientalium aliquot Episcoporum factione in Meletii locum Flavianus Antiochensis presbyter ordinatus est, renitente plurimumque cohortante, ne id fieret, Nazianzeno, ut in vita sua his versibus testatur:

Flavianus in locum Meletii ordinatur.

De non movenda re statim cæptum est agi,
Quam turbulenti scilicet urgebant viri,
Hoc molientes improbi, ut tunc unico
Opponeretur Præsuli Præsul novus;

Gregor. Naz. carm. de vita sua pag. 21.

& post multa de non prorogando schismate ob novi Episcopi ordinationem subdit:

Au-

Audite quidnam sentiat &c.
Thronum retineat, qui tenuit ad hunc diem
nempe Paulinus.

Quid hoc nocebit, paulo si diutius
Nos lugeamus hunc virum, mos ut vetus
Ferebat, ætas? post dabit cana exitum
Rebus secundum, quique mortales manet
Omnes caducæ terminus vitæ; bonus
Abibit ille morte, quo pridem cupit,
Functus datori spiritum reddens Deo,
Plebisque tum nos scilicet concordibus,
Antistitumque calculis prudentium
Alium, favente spiritu, dabimus throno,
Si forte præsens opprimi poterit malum;

ideſt vetus Antiochenæ Eccleſiæ ſchiſma; nil tamen Gregorius obtinuit, quin & Orientalium in ſe exaſperavit animum, hinc poſt multa addit: *Livor inde in me improbus exarsit &c.* Quem Occidentalibus favere credebant, dum Paulini cauſam tueretur, cum quo ut ſupra diximus, Damaſus, & Occidentales communione ſociabantur: eaque de cauſa ejuſdem ſpreto conſilio, precibuſque rejectis, Flavianum in Meletii locum ordinarunt, unde Antiochenæ Eccleſiæ ſchiſma prorogatum eſt: *Rursus hi, qui Meletii partes secuti fuerant*, ait Socrates, *Paulino parere abnuerunt, sed Flavianum in locum Meletii subrogari fecerunt. Iterum ergo populus duas in partes discissus est. Ad hunc modum Antiochensis Ecclesia non quidem propter fidem, sed Episcoporum causa inter se divisa est.* Sozomenus etiam ex Flaviani ordinatione turbas iterum excitatas fuiſſe ſcribit, cujus ordinationem non ſolum Orientalium Epiſcoporum plurimi, ſed totus cum Damaſo Romano Pontifice Occidens reprobavit: *Et ad Paulinum quidem tanquam Episcopum Antiochiæ consuetas scribebant epistolas, quas synodicas appellant. Ad Flavianum vero nullas litteras dabant. Quin & Diodorum Tarsi, & Acacium Berææ Episcopos, qui illum ordinaverant, in crimen vocabant, & ab eorum communione abstinebant.* Indignationem ſuam non obſcuris verbis teſtantur Occidentales in epiſtola hoc eodem anno ad Theodoſium data, in qua de Flaviani ordinatione hæc habent: *Flavianus contra fas, atque ecclesiasticum ordinem in locum*

Socrat. lib. 5. 9

locum Meletii, non tam subrogatus, quam superpositus asseritur; atque hoc factum allegatur consensione, & consilio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus. Hactenus de præpostera Flaviani ordinatione a tumultuantibus & factiosis Episcopis CP. peracta.

JESU CHR. AN. 381.

14. Gregorius interea, ut dissidentes Episcopos in ea sententia obstinatos vidit, ut Flavianum in Meletii locum ordinarent, eosque aut rationibus, auctoritate, vel precibus ab eo proposito revocare posse desperaret, contestatus se potius sua Sede cessurum, e Synodo primum, deinde Episcopali etiam domo recessit, ne ultro eorum se tumultibus immisceret, de quibus in vita sua:

Gregorius e synodo recedit.

At mihi carentem vos throno concedite
Vitam periculo liberam, etsi ingloriam.
Illic sedebo, nulla ubi sedes malis;
Hoc namque præstat, cæteris quam ut miscear,
Meamque nec eos flectere in sententiam
Possim, nec illos rebus in pravis sequi.
Huc, huc, thronum novit, accedat citus.
Mutabit ille dispares multos viros.
De rebus istis, ut lubet, decernite &c.

Gregor. vita sua carm. p. 21

Cur id tanta obstinatione contenderent, & Paulini communionem his versibus refugerent, exponit:

... ratio porro quam scita aspice,
Debere nostras nempe res solem sequi,
Ortum hinc trahentes, unde regnator Poli
Nobis amictus carne primum splenduit,

Quia scilicet in Oriente Christus lucem viderat, ibique Evangelium primo vulgatum fuerat. Hinc Orientalis Ecclesiæ auctoritatem potiorem esse effutiebant, & ne in Occidentalium sententiam transire viderentur, alterum in locum Meletii ordinandum censuerunt, ne cum Paulino, qui cum Occidentalibus communicabat, sociarentur. At qui essent Episcopi, qui tam insulsis argumentis ad turbandam Ecclesiam uterentur, his versibus ibidem Gregorius narrat:

JESU CHR. AN. 381.

Unde liquet horum quam sit alta in ceteris mens &c.
Horum dubia quis est fides falsis aquis ,
Hanc qui tuentur , quam tenet Princeps fidem .

Prompti propterea eamdem mutare , si forte contingat , aliam esse fidem Principis ; de quorum fidei mobilitate , & morum perversitate ibidem , ac addit se ab amicis etiam tentatum fuisse , ut in eadem consentiret , sed frustra :

Quid me necesse est dicere , quibus vocibus
Ab his amicis nostra canities fuit
Tentata ? cum illi cederent primas mihi
Aliquid petentes (proh) fide summa viri
A fido amico , sed fide summa in malis :
Nempe ut juvarem rebus hos in omnibus &c.

Gregorius Naz. de abdicanda CP. sede cogitat.

15. Gregorius itaque cum Synodo recessisset , atque ex Episcopali domo in aliam transiisset , CPolitanę tamen Ecclesię nondum renunciaverat , Catholicę plebis lacrymis pracipue detentus , ipsius abdicationem egre nimis ferentis :

Quamquam favebant , qui mihi gemitus darent
Potissimum de plebe , taceam ut ceteros ,
Orabat illa clamitans summum ad Deum ,
Manusque tollens , ac meam obtestans fidem &c.
Hæc commoverent me , licet firmus , tamen .

Stabam (In proposito dimittendi regiæ urbis Episcopatum) *Dat autem post brevi Deus exitum* , ut quod proposuerat , exequeretur , & CPnopolitano throno se abdicaret ; cum etenim Timotheus Alexandrinus Episcopus cum Episcopis Ægyptiis , aliisque ex Macedonia ægre ferrent , ipsis absentibus , Orientales , Maximo Cynico abdicato , Gregorium Nazianzenum in ejusdem loco subrogatum fuisse , ut de illata sibi (ut ipsis videbatur) ab Orientalibus injuria ulciscerentur , Gregorii ordinationem , utpote contra Canones factam , impugnare cœperunt , idque non tam Gregorii causa , quam Orientalium odio :

Dat

JESU CHR. AN. 381. Gregorius Naz.CP. sedi renunciat.

16. *Dat autem post brevi Deus exitum*, inquit Nazianzenus in vita sua:

Veniunt repente, nam vocati fœderi
Ut sanciendo jungerent vires suas
Nyloticique Macedonesque, operarii
Mysteriorum seduli, & legum Dei,
Inhalitantes hesperium in nos & grave.
Adversa flabat his tumens Phœbo phalanx.
Exasperabant aspere in me quidpiam.
Volvendo leges mortuas pridem, a quibus
Eramus ipsi liberi dubio procul:
Odio quidem non tam mei, vel ut in throno
Alium locarent, quam dolorem ut inurerent
Aliquem his, throno me fixerant qui in præsulis,
Saltem remotis hoc mihi interdum arbitris
Ipsi afferebant, non enim nec pristinas
Se ferre posse, nec novas injurias.

Quid vero Gregorius ageret, dum dissidentes inter se Episcopi certarent, his versibus narrat:

At ipse tanquam clausus in stabulis equus,
Licet malisque quassus, & morbo gravi
. . . .
Movere at ista cœpit ut primum hæc cohors,
Effringo vincula, traditamque ansam libens
Arripio &c.

Et in Episcoporum cœtum veniens, suæ Sedi renuncians hæc dixit:

Tempusque nactus commodum in medio offero
Hæc dicta cœtu: Vos viri, quos hic Deus,
Grata statuatis ut suo quæ numini,
Junxit, videte postero de me loco.
Quid namque de me, cœtus hic si maximus
Consideretur, fiat, haud magni interest.
Erigite mentes altius vestras precor:
Coite in unum, vos amor tandem liget.

JESU CHR. AN. 381.

Post aliqua :

Ego vero Jonæ facinus excelsum æmulor.
Me pro salute do libens nostræ ratis,
Licet excitati turbinis causa haud siem
Nos forte captos mergite insano mari.
Nos hospitalis cetus excipiet : sit hoc
Concordiæ vobis initium, pergite
Ad cuncta deinceps alia &c.
Cepi illibenter hunc thronum, nunc at libens
Excedo &c.

Hæc & alia cum dixisset Gregorius, *illi claudicabant interim*, idest congregati Episcopi hærebant, quid Gregorio responderent; at tandem: *Facilis repente cœtus assensit mihi*, nam Ægyptii æque ac Orientales Gregorio infensi, ut loco cederet, facile consenserunt, unde mensibus aliquot vix elapsis, ex quo regiæ urbis Episcopus ordinatus fuerat, dejectus est, in quam rem ajebat: *Heri locastis in throno, nunc pellitis.*

Gregorii oratio, in renunciatione CP. sedis recitata.

17. Antequam Ecclesia, & urbe excederet, elegantissimam orationem coram congregatis Patribus recitavit, qua de rebus suis & de florenti CPolitanæ Ecclesiæ statu plura habet, ac tandem a Patribus pro tot laborum mercede enixe postulat, ut abeundi licentiam darent. Post multa vero: *Quid igitur est, quod dico? non enim gratuitus virtutis sum cultor, nec in eam virtutis magnitudinem perveni. Laborum præmium mihi date. Quod tandem? non quod nonnulli fortasse ex iis, qui ad quidvis suspicandum facile adducuntur, existimarint: sed quod mihi tuto postulare licet. Diuturnis laboribus nos levate, ac recreate. Moveat vos hæc canities, sit apud vos honori nostra peregrinatio. Alium subrogate, qui pro nobis vexetur, qui puris sit manibus, qui voce non inerudita, qui omnibus in rebus vobis obsequi, curasque Ecclesiasticas simul perferre possit, quandoquidem tales præsertim hoc tempus flagitat.* Ac se tanto ferendo onere imparem esse testatus est; *lassus quippe dum cum hostibus, & cum nostris pugno.* Quæ autem tanto viro objicerentur, pluribus narrat; inter cetera, quod ea animi mansuetudine esset, ut de acceptis injuriis nunquam ulcisceretur.

Hæc

Quæ Gregorio objicerentur.

18. Hæc etiam eidem exprobrabant, *quod nec mensa lauta, & opipera, nec magnifica veste utimur, nec splendide in publicum prodimus, nec ad eos, a quibus convenimur, gravitatem, & fastum adhibemus. Nesciebam scilicet nobis cum Consulibus, & Præfectis, clarissimisque belli Ducibus, qui tot opibus, copiisque circumfluunt, ut quo sua projiciant, non habeant, æmulationem, & certamen esse; illudque oportere, ut & nobis pauperum bonis ad luxum, & delicias abutentibus, venter undique comprimatur, & necessaria in res superfluas effundantur, atque Altaria ipsa ructibus nostris contaminentur. Nesciebam nos equis insignibus, & lascivis ferri, sellisque, & curribus magnifice attolli, ac cum fastu, & pompa deduci, velutque blanda manu demulceri oportere, atque omnes nobis, perinde ac belluis de via decedere, & in utramque viæ partem scindi, ac distrahi, aut etiam tantam præeuntium turbam esse, ut procul conspicuus incessus noster sit. Si hæc gravia vobis, & acerba fuerunt, præterierunt, hanc injuriam mihi condonate; Antistitem alium, qui multitudini placeat, create, mihi autem solitudinem, & rusticitatem date, ac Deum, cui soli etiam per tenuem victum, cultumque placebimus.* His alia addidit de plausu, quo sermones sui excipiebantur, de honoribus sibi ex urbis magnitudine, ac pulchritudine provenientibus, quibus libentissime se renunciare, testatur, unde iterum ad Episcopos: *Vos ergo per Trinitatem ipsam, quam nos colimus, & vos colitis, per communem nostram spem, atque hujus populi coagmentationem obtestor, hoc mihi beneficium date, cum precibus dimittite &c.* Tandem post plurima ecclesiæ, clero, populo, & urbi valedicens, hæc tanto viro, æternaque memoria digna addidit:

Extrema Gregorii salutatio ad Clerum, & Populum.

19. *Ego autem his verbis extremum vos salutabo. Vale Anastasia nomen a pietate habens. Tu enim nobis Fidei doctrinam, quæ adhuc contempta erat, excitasti. Vale, inquam, communis victoriæ sedes, nova Silo, in qua primum arcam fiximus, quadraginta annis in deserto circumactam, incertisque sedibus vagantem.* Deinde post plurima: *Valete Apostoli præclara Colonia, certaminis mei magistri, etsi minus sæpe festa vestra celebravi. Vale Cathedra, invidiosum hoc, & periculosum fastigium, Pontificum concilium, Sacerdotum non minus majestate, quam ætate ornatorum, & quicumque tandem alii*

circa

JESU CHR. AN. 381. *circa sacrosanctam mensam Deo ministratis, atque ad appropinquantem, Deum appropinquatis. Valete Nazareorum chori, Psalmodiarum concentus, nocturnæ stationes, virginum sanctimonia, mulierum modestia, viduarum, & orphanorum cœtus, pauperum oculi, in Deum, & in nos intuentes. Valete domus hospitales, & Christi amantes, infirmitatisque meæ adjutrices. Valete sermonum meorum amatores, & cursus, & concursiones, & calami, tam perspicui, quam occulti, atque hujus suggesti cancelli a multitudine compressi hominum audiendi studiose se mutuo protrudentium. Valete Imperatores, & palatia, atque omnes Imperatoris famuli, & cubicularii, siquidem Imperatori fideles, haudquaquam certum habeo, Deo autem magna ex parte infidi. Præter omnia, & ante omnia clamabo: Valete Angeli hujus Ecclesiæ Præsides, meæque præsentiæ, ac peregrinationis, si modo in manu Dei res nostræ sunt. Vale Trinitas meditatio nostra, & decus meum. His velim serveris, & hos serves meum hunc populum (meus enim est etiamsi aliter gubernetur), atque audiam te quotidie, tum sermone, cum vita, & moribus augeri, & in sublime attolli. Filioli, depositum quæso custodite, mementote lapidationum mearum. Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis amen.* Cumque his verbis Ecclesiæ suæ valedixisset, ingens populi luctus exortus est, quin & Episcopi plurimi, qui Gregorio favebant, ut hæc audierunt, alterum in ejusdem sede subrogatum videre non sustinentes, continuo regia urbe exierunt, de quibus hæc ipse in vita sua:

Gregor. Naz. carm. de vita sua p. 24.

Hæc ferre placide quemlibet moneo, & rogo.
At Præsidesque, & exteros Gregis & Duces
Veteresque solor, solor & simul advenas,
Ægre ferentes abstrahi patrem sibi,
Antistitesque, carperat quos hinc dolor;
Plerique siquidem, capta consilia ut statim
Sensere, fugiunt illico, ictum ut fulminis,
Aurem obstruentes, atque ferentes manu,
Tam triste ne ipsi cernerent spectaculum,
Alium insidentem scilicet nostris thronis,
Vivum cadaver, finis hic verbis erit.

Cum

20. Cum ab Episcopis CPoli congregatis abeundi licentiam obtinuisset Gregorius, ut inde abiret, vix multis precibus ab Imperatore Theodosio impetravit; unde ajebat:

Jesu Chr. An. 381. Greg. Naz. ab Imperatore missionem obtinet.

Facilis repente cœtus assensit mihi,

idest Episcoporum cœtus;

Hoc muneratur patria, quos amat, modo.
Sic ista, quinam, at me gero cum Principe,
Genibusque flexis dexteram attingo ipsius,
Vocesque quasdam supplices ipsi offero,
Aliosne mitto, qui me ope ac precibus juvent.

Et post aliqua iterum:

At ipse propero conferens me ad Principem
Gressu, ista dixi plurimis adstantibus,
Ego quoque quiddam, præpotens Princeps manu
Ac liberali prædita, a te postulo.
Tabulas nitentes non peto, non fulgidum
Aurum, sacramque vela quæ mensam tegant.
Non & propinquis posco præturas meis,
Aut, summe Princeps, ut tuum cingant latus.
Hos ista, studio sunt quibus parva, addecent.
Majoribus me censeo dignum bonis.
Hoc detur unum paululum ut cedam invidis
Throno &c.
His Imperator vocibus plausum dedit,
Aliique pariter: cedit ac votis meis
Ille haud libenter, ut ferunt, cedit tamen.

21. Habita itaque ab Imperatore abeundi potestate præstantissimus Ecclesiæ Theologus, postquam triennio CPolitanam Ecclesiam sanctissime rexisset, paucis elapsis mensibus, ex quo synodali auctoritate eidem Ecclesiæ præfectus fuerat, pacis studio sedi renuncians, in Cappadociam reversus est; quæ autem reliquo vitæ suæ tempore gesserit, suo loco inferius dicenda reservamus. Id tantum hoc loco addimus, Gregorium

Gregorius redit in Cappadociam.

 rium corruptos Episcoporum mores, & ab Apostolorum exemplis, sacrisque Ecclesię canonibus alienos sępe sępius stylo suo insectasse, eorumque synodis in posterum renunciasse:

Non ego cum gruibus, non anseribusque sedebo
In synodis, quæ se Marte furente petunt.

Carmine altero, quinam essent Episcoporum mores, his versibus describit:

Parcite, si quid ego mærenti pectore dicam,
Quod vestros animos feriat, medicina doloris
Est enim miserum verbis efferre dolorem.
Hanc, quę doctorum sedes erat ante virorum,
Et gravium pietate hominum, vitæque probatę,
Huc agite ad quoscumque juvat turpissima vita,
Probra hominum, ventres, lata cervice, pudoris
Expertes, fastu tumidi, vinoque madentes,
Errones, molli, contecti veste dicaces,
Osores veri, petulantes, falsa libenter
Jurantes, quibus est infelix pręda popellus,
Raptores, infidi homines, quos liquor iniquus
Conficit, oblectantque doli, fraudesque malignę,
Turpiter excelsis blandi, abjectisque leones.
Ambigui, ac fictis animis, & temporis usque
Mancipia, & nunc hęc rursum adversa loquentes &c.

Hęc aliaque plurima, quę longum esset exscribere Gregorius.

De Nectarii electione.

22. Cumque ob Gregorii discessum C'Politana sedes vacaret, Nectarius vir quidem in sęculo clarus, at qui catholicę Fidei rudimenta vix noverat, utpote Catechumenus, in ejus locum ordinatus est; qui tanto oneri subeundo impar cum esset, vivum cadaver a Gregorio dici meruit, de cujus ordinatione narrat Sozomenus, Imperatorem Episcopos admonuisse, ut optimum, atque integerrimum virum in ea sede collocarent; nihilominus congregati sua potius, quam Ecclesię commoda captantes, aliquem ex necessariis suis ordinare cupiebant. Cumque Nectarius Tarsi oriundus C'Poli tunc degeret, ac in patriam reverti pararet, Diodorum Tarsi Episcopum adiit,

Sozom. lib. 7. cap. 7. 8.

adiit, velut laturus epiſtolas, ſi quas ille Tarſum ſcribere voluiſſet. Forte tum Diodorus ſecum ipſe tacitus cogitabat, quemnam potiſſimum regiȩ urbis Epiſcopum eligeret, ac Nectarium conſpicatus, eum Epiſcopatu nequaquam indignum judicavit, ſtatimque ad Epiſcopum Antiochenſem deduxit, multiſque laudibus proſecutus, oravit ut Nectarium, ſuffragio ſuo eligeret. Ille vero in tanti momenti negotio, ubi multi illuſtres viri eligendi proponebantur, Diodori conſilium deriſit. Imperator interea prȩcepit Epiſcopis, ut nomina eorum, quos quiſque Epiſcopatu dignos judicaverat, in charta ſcriberent, ac ſibi ex iis unum eligendi facultatem reſervavit. Quare cum ceteri multorum nomina ſcripſiſſent, Antiochenſis Eccleſiȩ Antiſtes, inter cȩteros, poſtremum adjecit Nectarium in gratiam Diodori. Imperator vero perlecto Indiculo eorum, qui inſcripti fuerant, ſubſtitit in Nectario. Et intenta mentis acie, ſecum ipſe conſultabat. Rurſuſque ad caput reverſus, cum cunctos ordine percurriſſet, Nectarium elegit, non ſine maxima omnium admiratione, cum ignotus omnibus eſſet, necdum baptiſmate initiatus: Imperatoris tamen electio prȩvaluit, ſtatimque baptizatus eſt, ac Neophiti veſte indutus, communi totius Concilii calculo CPolitanus Epiſcopus eſt ordinatus, ut narrat Sozomenus, cui Socrates, & Theodoretus conſentiunt. Orientales vero Epiſcopi in epiſtola ad Damaſum anno ſequenti de Nectarii ordinatione: *Unde etiam*, inquiunt, *CPolitanȩ Eccleſiȩ recent, ut ita dicam fundatȩ, quam nuper ex hȩreticorum blaſphemiis, tanquam ex leonis faucibus adjuvante Dei miſericordia eripuimus, reverendiſſimum, ac religioſiſſimum Nectarium ordinavimus Epiſcopum in Concilio univerſali, communi omnium conſenſu coram religioſiſſimo Imperatore Theodoſio, adſtipulante omni clero, & univerſa civitate.* Hȩc ibidem congregati Epiſcopi. Egregiam ſane laudem, ait Baronius, merebantur, dum ſapientiſſimum Architectum, qui molem conſtruxerat, ideſt Gregorium, ejecerant, ac ſeipſos inaniter oſtentantes, tanquam ejuſdem Ædificii Erectores fuiſſent, extulerunt.

Socrat. li. 5. 8. Theod. li. 5. 8. cap. 9.

Bar. 381. 72.

23. Cum vero Nectarius ſe imparem regendæ Eccleſiæ ſciret, utpote qui tunc primum chriſtianæ religionis rudimenta didiciſſet, ex contribulibus ſuis, ideſt Cilicibus, ſapientiores apud ſe retinuit: *Nectarius vero*, ait Sozomenus, *Cyriaco Ada-*

Nectarius ſibi ſocios ſapientiores adſciſcit.

Sozom. lib. 7. 10.

JESU CHR. AN. 381. *Adanorum Episcopo præceptore usus, sacerdotale officium condidicit*. Diodorum etiam Tarsensem Episcopum rogaverat, ut aliquandiu secum maneret. Sed & alios multos Cilicas pellexit, ut secum morarentur, inter cæteros Martyrium, quem familiarem habuerat, ac medicum, Diaconum ordinare cogitabat. Sed Martyrius nequaquam id fieri passus est, indignum se divino ministerio esse affirmans. Cui Nectarius: *An non ego*, inquit, *qui nunc Sacerdos sum, meam retro vitam multo, quam tu, negligentius traduxi, sicut tu ipse testari potes, qui intemperantiæ meæ sæpius ministrasti? Ille subjiciens: at tu*, inquit, *o beate, percepto recens baptismo, mandatus es, & post baptismum sacerdotium accepisti*; se vero post adeptum baptismum in eadem, qua prius, vivendi ratione perseverasse, eaque ratione ordinationem detrectavit; cujus *recusationem magnopere laudo, atque idcirco huic historiæ illum inserui*, ait Sozom. Cum tamen Nectarius negligentius rem gereret, atque luporum incursionibus grex pateret, alium monitorem habuit, idest Gregorium Nazianzenum, qui eum, ut majorem gregis sui curam haberet, excitavit, ut suo loco videbimus.

De Diodoro Tarsensi Episcopo, ejusque gestis. *Sozom. lib. 7. cap. 7. 8.*

24. De Diodoro Tarsensi Episcopo, qui de Nectario in Episcopum urbis regiæ ordinando primum verba fecit, ut ex Sozomeno supra audivimus, non est prætereundum, variam de eo apud antiquos fuisse opinionem; nam dum viveret, in tanta celebritate fuit, ut a sanctissimis viris Chrysostomo, Basilio, Nazianzeno, Theodoreto, aliisque laudari meruerit. Post obitum vero, exortamque Nestorianam hæresim, cum ex ejusdem scriptis tela, & arma adversus Catholicos Nestoriani sumerent, tanquam Nestorianæ hæresis parens habitus est, ejusdemque discipulus fuit Theodorus Mopsuestenus, ex quo Nestorius hæresis suæ venena sumpsit, unde Diodorus Theodori parens, Nestorii vero avus dictus est, non sanguinis quidem agnatione, sed affinitate doctrinæ. Generis nobilitate illustrem fuisse Diodorum narrat Theodoretus, ærumnasque pro Fidei defensione libenti animo tolerasse addit, quem a primæva ætate monasticam vitam amplexum scimus; paulo post Præfecturam monasterii prope Antiochiam gessit, quo munere dum fungeretur, Theodorum Mopsuestenum, & Joannem Chrysostomum auditores habuit. Eodemque tempore cum Valens Imperator Ecclesiam persequeretur, non obscura Fidei suæ indicia præ-

Theod. lib. 4. cap. 25.

præbuit. Nam Meletio in exilium ejecto, Diodorus, & Flavianus, Ariano furori sese objicientes, catholicos, quibus in urbe nullum locum conventibus agendis supererat, ad ripas fluminis, vel ad montis radices congregabant, eosque divino pabulo nutriebant: *ac Diodorus quidem sapientissimus, atque fortissimus, quasi fluvius quidam limpidus, ac spatiosus, proprio quidem gregi aquationem præbebat, adversariorum autem blasphemias submergebat*.

Diodorus Tarsi Episc. ordinatur. Theod. lib. 5. cap. 4.

25. Post Valentis vero obitum, ut ab exilio Meletius rediit, Diodorum, qui in tanta tempestate Antiochenam Ecclesiam ab hæreticorum labe illæsam servaverat: *Tarsensem Episcopum ordinavit, ac Ciliciam ei provinciam commendavit*, ait Theodoretus, anno scilicet 379. circiter, unde hoc anno CPolitano Concilio interfuit, cum Nectarius Episcopus CPoli ordinatus est. Quem etiam inter celebriores ejus temporis Episcopos in lege hoc anno lata Theodosius Imp. recenset, eumdemque Domnus Antiochenus Episcopus in epistola ad Theodosium Imperatorem multis exornat laudibus: *Iste magnus Diodorus*, inquit, *testem quidem pietatis habet, clarorumque certaminum magnum illum Basilium. Iste in regia civitate cum Gregorio* (Nazianzeno) *& reliquis, qui ejus erant studii, ter beatum Nectarium Archiepiscopum ordinavit. Iste magni Joannis Chrysostomi doctor &c.* Quamdiu Tarsensem Episcopatum cum vita tenuerit, in obscuro est: id tantum scimus, anno 394. CPolitano Concilio a Nectario celebrato, Phalerium Diodori successorem subscripsisse. Multis quoque editis libris celebritatem nomini suo comparasse, auctor est Sozomenus: *Multos, sicut accepi, libros posteris scriptos reliquit, & sacra volumina ad litteram exposuit, repudiatis allegoriis*. Librorum Diodori Catalogum ex Theodoro Lectore Suidas commemorat; cum tamen ea perierint, eorumdem catalogum texere superfluum judicamus, quorum pars maxima in sacræ scripturæ expositione versatur, ut apud Suidam videre est. Tractatum, libris octo digestum, & in capita 53. distinctum de Fato legerat Photius, atque fragmenta multa ex eodem recitat, librum quoque contra Manichæos scriptum legerat: *Denique & Diodorum illum, qui libris quinque, & viginti cum Manichæis certavit &c.* Diodori stylus, si Photio fides habenda, *purus, atque distinctus erat*. Diversa tamen est de

Sozom. li. 7. 9. Apud Facund. lib. 8. 5.

Sozom. li. 8. 2

Suid. tom. 1. p. 593.

Phot. Cod. 223 pag. 247.

Jesu Chr. an. 381.

Hieronym. de vir. Ill. ca. 119

Diodori libris censura Hieronymi: *Diodorus Tarsensis Episcopus, dum Antiochiæ esset Præsbyter, magis claruit. Extant ejus in Apostolum commentaria, & multa alia ad Eusebii magis Emisseni characterem pertinentia, cujus cum sensum sequutus sit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam sæcularium litterarum*. Hieronymi censuram refert Facundus.

Facund. lib. 4. cap. 2.

Talis tamen, tantusque vir Nestorianæ hæresis labe post obitum aspersus, a synodo quinta damnatus fuit, ut infra suo loco adnotaturi sumus.

Synodi gesta Theodosius confirmat. Cod. Theod. de fid. cath. l. 3.

26. Ad Synodum CPolitanam redimus, quam lege lata confirmavit Theodosius Imp., ac hæreticos omnes Ecclesiis ejiciendos jussit, easque iis tradi, qui cum præcipuis Orientalis Ecclesiæ episcopis, quorum fides spectata erat, communicarent, idest Nectario CPolitano, Timotheo Alexandrino, Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Tarsensi; cum Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Antiocheno, Helladio Cæsariensi, & Otrejo Meliteno, & Gregorio Nysseno, Cretannio Scythiæ, Marmario Marciopolitano. Alia vero lege hoc eodem tempore lata hæc jussit: *Nullus hæreticis mysteriorum locus, nullus ad exercendi animi obstinatioris dementiam pateat occasio &c.* Ne vero hæretici ecclesiis expulsi, novas Ecclesias extruerent, alia lege ad Comitem Orientis data, prohibuit: *Nullus Eunomianorum, atque Arianorum, vel ex dogmate Ætii in civitatibus, vel agris fabricandarum Ecclesiarum copiam habere præcipimus*, Si id tentatum fuerit, ut possessio & domus fisco addiceretur, jussit: *data XIV. Kalendas Aug. C. P. Eucherio, & Syagrio Coss.* Cum iis Manichæos quoque Encraticas, Apotacticos, & Hydroparastas, Theodosius hoc anno exagitavit, eosdemque infamia notatos, testamentum facere, aut quidquam ex testamento acquirere prohibuit. Adversus vero Religionis Christianæ Apostatas, nominatim hæc statuit: *His, qui ex Christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas, jusque testandi, omne defuncti, si quod est, testamentum rescindatur. Data VI. non. Maji CP. Syagrio, & Eucherio Coss.*

Cod. Theod. de hæretic. l. 8.

Translatio reliquiarum S. Pauli CP. Episcopi.

27. Hoc etiam tempore: *Cum Imperator certior factus esset de iis, quæ Paulo quondam CPolis Episcopo acciderant, corpus ejus transferendum curavit, & in Ecclesia sepelivit, quam Macedonius ejus persecutor ædificaverat*; ut vel post mortem

tem

tem de persecutione triumphum ageret, eademque Ecclesia postmodum Pauli dicta est; quin multi rei veritatem ignorantes, *Paulum Apostolum illic conditum suspicantur*, ait Sozomenus, ejusdemque translationis Socrates meminit.

28. Occidentales etiam Episcopi hoc eodem anno ex variis provinciis congregati, Aquilejensem Synodum celebrarunt, cui Episcopi triginta duo per se ipsos, aut per legatos interfuerunt, quorum nomina ex eorum subscriptionibus scimus: Valerianus Episcopus Aquilejensis, Ambrosius Mediolanensis, Eusebius Bononiensis, Limenius Vercellensis, Anemius Sirmiensis illyrici, Sabinus Placentinus, Abundantius Tridentinus, Philaster Brixianus, Constantius Arausicas, Theodorus Octodurensis, Domninus Gratianopolitanus, Amantius Niciensis, Maximus Emonensis, Basilianus Laudensis, Proculus Massilensis, Felix Fadrensis, Eventius Citiniensis, Exuperantius Dertonensis, Diogenes Genuensis, Constantius Sciscinianensis Legatus Gallorum, Felix Legatus Afrorum, Evagrius presbyter, & Legatus, Artemius, Almachius, Januarius, Jovinus, Eustathius, Maximus, Chromatius presbyter, seu magis presbyteri, post Episcopos subscripti.

Aquilejense Concilium celebratur.

29. Qui autem Aquilejæ hoc anno convenere Episcopi, si numerum spectes, pauci quidem fuerunt, idest numero 32, at si eorum merita perpendas, maxime auctoritatis ea synodus habenda est, utpote cui Episcopi & sanctitate & doctrina celeberrimi interfuerint; & ut Ambrosium prætereamus, post eum Valerianus Aquilejensis numerandus est, qui teste Hieronymo, Fortunatiano Ariano Episcopo succedens, eam ecclesiam Arianorum labe fœdatam, ab omni impietate purgavit, ac erexit, ac adscitis ad ecclesiastica officia optimis, & eruditis viris, illustrem reddidit, cujus memoria in tabulis ecclesiasticis recolitur. Hunc sequitur Eusebius Bononiensis Episcopus, non solum inter Sanctos relatus, sed & Ambrosii elogio ornatus. Quarto loco subscriptus legitur Limenius Vercellensis Eusebii successor. Hunc excipit Anemmius Sirmiensis anno proximo illic ab Ambrosio ordinatus, adversantibus Arianis, ut suo loco diximus. Deinde Sabinus Placentiæ Episcopus legitur, quem in sacris litteris apprime eruditum fuisse, testis est Ambrosius, sed & miraculorum gratia fulsisse, S. Gregorius testatur: Martyrologio Romano etiam inscriptus.

Episcopi insigniores hujus synodi.

Ambros. de virgin. lib. 1.

S. Ambrosii epist. 40.

Pie-

JESU CHR. AN. 381. Pietate, & doctrina, inter alios, excelluit Philastrius Brixiensis Episcopus, quem Mediolani apud S. Ambrosium se novisse testatur Augustinus in epistola ad Quatvultdeum. Post aliquos subscriptus legitur Heliodorus Altinensis Episcopus latinis, græcisque literis eruditus, a Hieronymo commendatus

Hieronym. ep. 1. 2. 3. & inter sanctos relatus, sicuti & Eventius Ticinensis, & Bossianus Laudensis, & Exuperantius Dertonensis Episcopus. Illustriores quoque fuerunt Gallorum Legati, idest Constantius, Proculus, & Justus, ut ex hujus sæculi historia inferius patebit, ut mirum sit in tam exiguo Episcoporum numero; tantam Sanctorum coronam adfuisse. Sed de his hactenus.

Qui Synodo causam dederint. 30. Synodi celebrandæ occasionem dedere duo Episcopi in angulo Ripensis Daciæ constituti, Palladius, & Secumdianus, homines vetustæ perfidiæ, idest Ariana labe infecti, qui cum ab omnibus Episcopis, utpote heretici vitarentur, a Gratiano Imperatore avi sunt petere, ut eorum causa in Concilio Œcumenico agtaretur: quorum votis fortasse Gratianus annuisset, ni S. Ambrosius obstitisset, ostendens, incongruum fore propter paucorum perfidiam totum orbem commoveri; quapropter Gratianus ex Italia tantum Episcopos convenire jussit, cæteris vero in potestate reliquit, ut *nemo deesset volens, nemo cogeretur invitus*; sed synodi acta summatim talem percurramus.

SynodiAquil. gesta. 31. *Itaque Syagrio, & Eucherio Viris clarissimis Coss. nonis Septembr. Aquilejæ in Ecclesia consdentibus cum Episcopis. Aquilejensium civitatis Valeriano, Ambrosio, Eusebio &c.* Ambrosius Episcopus etsi synodo non præesset, nam ante eum Valerianus subscripsit, primas tamen partes in synodo agens, ad Episcopos dixit, se privatim, idest *extra acta* cum Palladio, & Secumdiano egisse, quos cum aperte blasphemare comperiisset, in acta eorum dicta redigi postulavit: quod cum Episcopis placuisset, primum Imperatoris rescriptum a Sabiniano Diacono lectum est, quo Episcopos Aquilejam convenire jusserat, ut de Palladii & Secumdiani fide judicarent, quos Ariana labe pollutos esse constabat: *Ut a quibus proficiscuntur instituta doctrinæ*, (idest ab Episcopis) *ab iisdem discordis eruditionis repugnantia solveretur*. Superfluam porro Episcoporum multitudinem tunc fuisse addit Imperator: *Nam Ambrosius & vitæ merito, & Dei dignatione conspicuus Episcopus*

corpus Mediolanensium civitatis, ibi multitudinem non opus esse suggessit, ubi veritas non laboraret in pluribus; ac Sacerdotes vicinarum ex Italia civitatum, satis, abundeque sufficere posse suggerit. Lecto Imperatoris rescripto, laudataque ejus pietate, quod in Fidei causa Episcopos Judices destinaverit, Palladium interrogavit Ambrosius, num Arii epistolam, quæ lecta fuerat, reprobaret. Is vero excusationes prætexens, respondit, absentibus Sacerdotibus, se respondere non posse, atque conquestus est, quod Ambrosii opera generale Concilium indictum non fuisset, ut ab eo Orientales abessent Episcopi, cumque sæpius urgeretur, ut vel Arii epistolam damnaret, qua solum Patrem æternum fuisse dixerat, vel Arianum se esse fateretur, cum eadem semper dicere, atque interrogationes eluderet, vel de Orientalium absentia quereretur; tandem, ne diutius synodi patientia abuteretur, synodi sententia Palladius anathemate percussus est, eamdemque sententiam Secumdianus subiit, qui & ipse dolose ad interrogata respondens, neque Arium, aut ejusdem epistolam damnare voluit: *Attalum quoque presbyterum de prævaricatione confessum, & Palladii sacrilegiis inhærentem parilis sententia comprehendit*, inquiunt Aquilejenses Patres in epistola ad Gratianum, qua gesta, & disputationes cum Palladio, & Secumdiano habitæ narrantur. Deinde Imperatoris opem implorant contra Julianum Valentem Petavione Episcopum, qui non solum episcoporum judicium declinaverat, sed & Gothica armatura instructus prodierat, & patria pulsus, Mediolano latens Italiæ urbes Ariana impietate inficere tentabat; unde ut talem, tantamque pestem Italiæ limitibus excedere juberet, enixe rogant. Hæc & alia plura Aquilejensis synodi Patres.

JESU CHR. AN. 381.

32. Alia etiam ejusdem synodi extat epistola ad Episcopos Viennensis Provinciæ, & Narbonensis prima, & secunda, quorum legati Synodo adfuerunt; unde: *Agimus gratias*, inquiunt, *sanctæ unanimitati vestræ, quod in dominis, & fratribus nostris Constantio, & Proculo omnium nobis vestram præsentiam contulistis &c. Itaque ut libenter suscepimus memoratos de vestro, nostroque consortio sanctos viros, ita etiam uberi gratiarum actione dimittimus. Quam necessarius autem conventus hic fuerit, rebus ipsis patescet, quando adversarii, & inimici Dei Arianæ hæresis defensores Palladius, ac Secumdia-*

Aquilejensis Synodi epist. ad Episc. Galliæ. *Hard. Concil. pag. 835.*

Jesu Chr. an. 381. *dianus, duo tantum qui ausi sunt ad Concilium convenire, debitam præsentes excepere sententiam super impietate convicti. Valete, incolumes vos, & florentissimos Deus noster tueatur omnipotens, Domini fratres dilectissimi, Amen.* Hactenus epistola Concilii Aquilejensis ad Episcopos provinciarum Viennensium, & Narbonensium. Epistola altera iidem Patres, de Ursicini Schismatici temeritate, qua iterum ecclesias turbare tentaverat, Imperatorem admonent, rogantque, ut sicuti Imperialibus rescriptis ejus audacia pluries repressa fuerat, ita in eum iterum exurgent, & narratis, quæ antea Ursicinus Mediolano tentaverat, ubi cum Arianis se sociaverat, tandem ne Romanam Ecclesiam ab eo ulterius turbari sinat, Imperatorem enixe rogant: *Oramus ergo*, inquiunt post plurima, *ut jam & populo Romano, qui post relationem Præfecti Urbis pendet incertus, & nobis sacerdotibus securitatem interdictam importunissimi hominis abjectione tribuatis &c.* Sed de his hactenus.

Damasus Synodum indicit.

33. Interea, cum CPolitana Synodus epistolis suis Damasum Romanum Pontificem certiorem fecisset de iis, quæ ibidem gesta fuerant, & inter cetera, quod in Meletii locum Flavianum Episcopum ordinassent, Paulino Antiocheno Episcopo spreto, cui Damasus Papa cum Occidentalibus communicabat, quique juxta conventa post Meletii obitu solus eam Ecclesiam regere debuisset, cum inquam hæc ex Patrum epistolis accepisset, ægerrime id Damasus, & Occidentales Episcopi tulerunt; atque adversus Orientales exacerbati sunt, eo quod iis inconsultis tantam rem præsumpsissent: quamobrem Damasus de cogendo Romæ genarali Concilio, cum Imperatoribus Gratiano, & Theodosio egit, ut ibidem Orientalium gesta iterato examini subjicerentur; unde Sozomenus postquam Flavianum Antiochiæ ordinatum fuisse narravit, hæc subdit: *Verum Episcopus Romanus, & reliqui Occidentalium partium Sacerdotes non mediocriter indignabantur, & ad Paulinum quidem tanquam Episcopum Antiochiæ consuetas scribebant epistolas, quas synodicas appellant, ad Flavianum vero nullas epistolas dabant, quin & Diodorum Tarsi, & Acacium Bereæ Episcopos Flaviani ordinatores ab eorum communione abstinebant.* De indicta vero Œcumenica Synodo in Occidente celebranda, subdit: *Itaque, ut his de rebus cognosceretur, tum*

Sozom. li. 7. 11

Im-

Imperator Gratianus ad Orientales Episcopos scripserunt, eos in Occidentem convocantes; quos etiam Theodosii epistolis invitatos fuisse, testis est Hieronymus, iidemque Orientales Episcopi fatentur in epistola anno sequenti ad Occidentales data, qua se excusant, cur Synodo ab Occidentalibus indictæ non adfuerint; nonnullos tamen Orientalium Romam advenisse scimus. Inter eos Paulinus Antiochenus, Epiphanius Constantiæ in Cypro episcopus, aliique, eodemque tempore Hieronymus Romam rediit, sed de iis anno sequenti. *Hieronym. ep. 16.27.*

33. Ut vero Aquilejenses Patres, ob Flaviani ordinationem, res Orientalium turbatas audierunt, cum incerti essent, utrum cum Paulino, an cum Flaviano communionem inirent, altera epistola Imperatorem rogarunt, ut Alexandriæ synodum celebrandam juberet, in eaque cui communio impertienda esset statueretur: *Quoniam invidia Diaboli nunquam quiescere solet, inter ipsos Catholicos audimus crebras dissensiones esse, impacatamque discordiam, totoque confundimur affectu, quod innovata pleraque comperimus &c. Denique Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus Episcopus, sed & Antiochenæ Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuere concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, feruntur urgeri*. Ii erant Orientales, qui indigne ferebant Timotheum cum Ægyptiis Episcopis, & Paulinum, ejusque socios Flaviani ordinationem improbare, cumque utriusque partis litteras accepissent, incertique essent, quid in ea causa agendum esset, Imperatorem rogant: *Ut Alexandriæ catholicorum Sacerdotum omnium concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent, atque definiant, quibus impertienda communio, quibus servanda sit*, ne quemquam immerentem a sua communione repellerent; idque Africanarum etiam, & Gallicanarum ecclesiarum nomine per legatos suos postulare testantur. Quid in ea causa gestum fuerit, sequentibus annis videbimus.

Altera epist. Aquilejensis Synodi ad Imp.

Hard. p. 838.

34. Cum Gothorum gens dissideret, atque sub Tritigerne, & Athanarico Principibus bellum gereret, Tritigernes Athanaricum regno ejecit; is vero cum suis ad Theodosium confugiens, ab eoque perhumaniter exceptus, ibidem paulo post obiit, ut pluribus narrat Zozimus: *His Coss.* Eucherio, & Syagrio, *ingressus est Athanaricus Rex Gothorum CPolim die* III.

Athanaricus CP. venit, ibique moritur.

JESU CHR. AN. 381. *III. Idus Januarii, eodem mense diem functus Athanaricus VIII. Kal. Febr.* ait Idacius in Fastis. Die itaque undecima Januarii CPolim Athanaricus ingreditur, & die vigesima quinta ejusdem mensis obiit, hinc Marcellinus in Chronico: *Hoc anno mense Januario Athanaricus Rex Gothorum, cum quo Theodosius Imperator fœdus pepigerat, CPolim venit, eodemque mense morbo periit.* Theodosii clementiam in excipiendo Athanarico, eleganti oratione laudavit Themistius hoc anno: *Quemadmodum a Magnete lapide*, inquit, *attrahuntur ultro ramenta ferrea, sic ipse sine labore, ac prælio Gothorum allexisti regulum, & superbus ille quondam ac tumidus sponte ad te venit, ac supplex regiam civitatem ingreditur &c.* Hæc autem ad Catholicæ Religionis profectum, & laudem accidisse adnotavit S. Ambrosius, ad Gratianum scribens: *Etiam CPolis*, inquit, *jam verbum Dei recepit, & evidentia meruit tui documenta judicii. Etenim quamdiu venena Arianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea vero quam Fidei exules abdicavit, hostem ipsum Judicem Regum, quem semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obtinuit, sepultum possidet.* Hæc Ambrosius de Athanarici adventu CPolim, & obitu. His addit Isidorus, eodem anno Gothorum gentem Romano se tradidisse Imperio; *infida tamen pace*, ut idem adnotat, atque ex dicendis constabit: quam Gothorum deditionem anno sequenti Idacius alligat his verbis: *His Coss.* (idest Ausonio, & Syagrio) *universa Gens Gothorum cum Rege suo in Romaniam se tradiderunt die quinta nonis Octobris.* Sed de gestis hoc anno satis.

Ambros. in Proleg. li. 1.

JE-

JESU CHRISTI AN. 382. DAMASI PAPÆ 17.
GRATIANI IMP. 16. VALENTINIANI JUNIORIS 8.
THEODOSII 4. COSS. AUSONIO, ET SYAGRIO.
OLYMP. 290. AN. 2. URBIS AN. 1135.

Epistola Concilii Italiæ ad Theodosium Imp.

1. Orientalis Ecclesiæ dissidia eousque exasperaverat intempestiva Flaviani ordinatio in Episcopum Antiochenum, ut ad eum ea Sede exturbandum, Aquilejensis synodus Theodosium rogaverit anno elapso, ut Alexandriæ synodum convocaret: CPolitana vero Ecclesia ob Maximi depositionem, & Gregorii Nazianzeni abdicationem, cui Nectarius fuerat subrogatus, magnis adhuc turbis agitabatur; qua de causa Occidentales incerti, quibus communionem suam impartirentur, Flaviano scilicet, an Paulino, Nectario, aut Maximo, Theodosium Imperatorem rogarunt, ut ad synodum in Occidente celebrandam orientales Episcopos adesse juberet, qua de Flaviani ordinatione, tum de Maximi depositione, cum de Gregorii Nazianzeni abdicatione ageretur; Maximus etenim throno ejectus, ad Occidentales confugerat de illata sibi injuria conquerens, suamque causam iis dijudicandam detulerat. Quare ne inconsultis Orientalibus Episcopis de Maximi abdicatione, aut de Flaviani ordinatione ageretur, ut Orientalium Episcoporum aliquos ad Concilium in Italia celebrandum mitteret, Theodosium Imp. rogarunt his verbis: *Beatissimo Imperatori, & clementissimo Principi Theodosio, Ambrosius, & ceteri Episcopi Italiæ: Sanctum animum tuum Deo omnipotenti pura & sincera fide deditum sciebamus, sed recentibus cumulasti beneficiis, quod Catholicos Ecclesiis reddidisti, Imperator Auguste, ac quæ olim Antiochiæ* Meletium inter & Paulinum statuta fuerant, in memoriam revocant, ut scilicet altero eorum superstite, nulla subrogatio in defuncti locum fieret; hinc qua ratione in locum Meletii defuncti, Paulino superstite, contra fas, atque ecclesiasticum ordinem, Flavianus non tam subrogatus, quam superpositus fuerit, se ignorare testantur. Atque hoc factum allegatur consensione, & consilio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videre fatentur, cum Maximus injuste se CP. throno dejectum fuisse apud Episcopos in Italia congregatos probare conatus esset,

Harduin. ut sup.

Jesu Chr. An. 382.

quamobrem Gregorii Nazianzeni ordinationem anno proximo in Maximi locum peractam, nequaquam legitimam sibi videri testantur: *Nos igitur*, post plurima addunt, *in Synodo ea, quæ totius Orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus. At ipso tempore, qui generale concilium declinaverunt, CPoli gessisse dicuntur*. Hæc Italiæ Episcopi, cum jam audiissent anno elapso CPoli Concilium ab Orientalibus habitum fuisse, quod Occidentales in Occidente celebrandum esse putabant, unde iterum: *Nam cum cognovissent ad hoc partium* (in Occidentem scilicet) *venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset jure, & more Majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur, cum eum, sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt*; hinc se Maximum in sua communione recepisse addunt, ac de Nectarii ordinatione incertos se esse indicant. *Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est?* idest, si cum de Ascholio Thessalonicensi Episcopo ageretur, Orientales Episcopi, inconsultis Occidentalibus, nil de eo statuere præsumpserunt, quinimmo Occidentalium sententiam secuti sunt, quanto magis, cum non de uno Episcopo, sed de pluribus tunc ageretur, idest de Flaviano Antiocheno, atque de tribus, qui CPtanam Sedem obtinuerant, idest de Maximo, de Gregorio Nazianzeno, & Nectario, Occidentalium sententia expetenda, & expectanda erat? hæcque se ex Gratiani Imperatoris consensu & consilio, ad Theodosium scripsisse adnotant. Quam epistolam etsi Scriptores aliqui, uti adulterinam rejecerint, Italico tamen Concilio Eruditorum plurimi, ac Maurini Ambrosiii editores eam inscribendam censent, de quibus apud Merendam & Ambrosiii editores plura videri possunt.

Con. Italiæ ep. altera ad Theodo. Imp.

2. Altera extat epistola ejusdem Concilii Italiæ ad Imperatorem Theodosium, eamdem inscriptionem præseferens, idest: *Ambrosius, & ceteri Episcopi Italiæ*, qua Imperatorem multis exornant laudibus, quod rectæ fidei inhæreret, ac Ecclesiæ unitatem pro viribus foveret, enixeque hortantur, ut

pro

pro concilianda Orientalis ecclesiæ cum Occidentali concordia concilium in Occidente celebrari jubeat, in quo *ea, quæ communionem nostram de Orientis parte turbaverunt, cognoscerentur in synodo, & omnis e medio scrupulus tolleretur*. Hæc autem erant, tum præpostera Flaviani ordinatio in locum Meletii, superstite Paulino, cum Nazianzeni, & Nectarii ordinatio, quas Occidentales Paulino, & Maximo communione sociati, irritas habebant. Maximi præcipue causa incertos Occidentales tenebat, quem tanquam Apollinaris dogmate infectum CPolitana synodus sede sua dejecerat, quare suppresso Maximi nomine, hæc addunt: *Non solum de his, quæ clementia tua dignata est scribere, sed etiam de illis, qui dogma, nescio quod, quod Apollinaris asseritur, in Ecclesiam conantur inducere, nos pleraque moverunt, quæ partibus fuerant resecanda præsentibus, ut convictus in dogmate novo, & redargutus in errore, nequaquam sub generali fidei lateret nomine, sed illico, quod doctrinæ magisterio non teneret, & officium, & vocabulum Sacerdotis*; unde ut eadem retractarentur, petunt: *Eo igitur obsecravimus sacerdotale Concilium, ut nemini liceret mendacium in absentem componere, & in Concilio discuteretur, quid esset in vero*. Nec insolitum fuisse addunt, ut ad Occidentalium judicium Orientalium ecclesiarum dissidia componenda, & retractanda reservarentur; quod exemplis etiam confirmant, idest Pauli CP. Episcopi ab Arianis ejecti, & Athanasii, & Alexandri, qui suis sedibus injuste abducti, ad Occidentalium judicia confugientes, a Romano Episcopo eisdem sunt restituti, ut locis suis supra adnotatum est.

3. Dum hæc ad Theodosium scriberent Italiæ Episcopi, Damasus ab Ascholio Thessalonicensi, ceterisque Macedoniæ Episcopis edoctus de turbis, quibus CP. Ecclesia vexabatur, ob illegitimam Maximi ordinationem, & Gregorii in eam sedem translationem, ad Ascholium, ceterosque Macedoniæ Episcopos anno elapso, vel labenti scripsit, ut utrisque abdicatis, ea sede dignum, ac nulla obnoxium reprehensione ordinandum curarent. Nazianzeni enim ordinationem Damasus Papa cum Occidentalibus, ea præcipue de causa respuebant, eo quod ex Nazianzena, vel Sasimorum Sede translatum audierant; vix tamen ex una in alteram translatus dici poterat, nam Sasimorum possessionem nunquam adeptus fuerat; Na-

Damasi epist. ad Ascholium & alios.

Jesu Chr. An. 382. Nazianzenæ vero administrationem tantummodo gesserat, ut suis locis supra adnotavimus.

Damasus Maximi ordinationem improbat. Coutan.p.535. 4. Cum vero de Maximi ordinatione certiora Damasus ab Orientalibus accepisset, eam irritam fuisse scripsit in epistola ad Ascholium Thessalonicensem, & ad Macedoniæ Episcopos: *Decursis litteris*, ait, *dilectionis vestræ, fratres carissimi, satis sum contristatus, eo tempore, quo Deo præstante, Hæretici iverant abjecti, nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ, alienum a nostra professione in CPolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse*; post multa, ut dignum CP. Ecclesiæ episcopum eligant, eosdem admonet, nec contra statuta majorum ex alia ecclesia in urbem regiam transferant, hortatur; in altera vero epistola ad Ascholium paulo post data, Rusticium quemdam eo properantem illi commendat, deinde de Maximi ordinatione rejicienda hæc iterum addit: *Litteras sanctitatis tuæ plene rescripsi, non mihi placuisse, quod, nescio quem Maximum, ex Ægypto venientem, comatum, vel maxime cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, CP. Episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam, ut de cetero Catholicus constituatur, cum quo nobis, Deo propitio, possit pax perpetua perdurare*. Quid in ea causa gestum fuerit, anno elapso jam adnotavimus, cum de CPolitana synodo verba fecimus, cui an Ascholius adfuerit, incertum est, cum in subscriptionibus ejus nomen desideretur. Romano tamen Concilio eum adfuisse, scimus ex inscriptione epistolæ synodalis Concilii CP. hoc anno habiti ad episcopos, qui Romæ convenerant: *Dominis carissimis, & religiosissimis fratribus, & comministris Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Anemio, Basilio, & reliquis sanctis episcopis, qui in magna urbe Roma collecti sunt &c.*

(Margin notes: Coutan.p.540; Harduin.to.1. p.822.)

Synodus Rom sub Damaso. 5. Componendis itaque Ecclesiæ rebus, & Orientalium dissidiis sopiendis, Romæ synodum Orientalium, & Occidentalium Episcoporum indictam fuisse constat; de qua hæc Hieronymus ad Eustochium: *Cumque Orientis, & Occidentis Episcopos, ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent &c.* Italiæ etiam Episcopi in epistola ad Theodosium Imperatorem idem testantur: *Nos igitur in synodo ea, quæ totius Orbis Episcopis videbantur esse præscripta, nibil*

(Margin note: Harduin.Concil.to.1.p.845)

nihil temere statuendum esse censuimus; & paulo post de Episcopis Orientalibus, eo quod Occidentalium synodum declinaverint: *At eo tempore, qui generale concilium declinaverunt, CP. gessisse dicuntur*. Quid plura? ipsi Orientales ab Occidentalibus ad synodum Romanam invitatos fuisse testantur, cùm se excusant, eo quod non advenerint: *Conveneramus CP., juxta litteras reverentiæ vestræ superiori anno post Aquilejense Concilium, ad piissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hanc solam profectionem instructi, CP. usque, & de hac tantum Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserant, consensum afferentes, de longioris autem profectionis necessitate*, ad Occidentalium synodum scilicet, *nihil suspicati eramus &c.* Unde ab ea peregrinatione suscipienda se excusant, ne tot Ecclesiæ, quæ tunc primum florere cœperant, suis Pastoribus viduarentur; deinde hanc alteram excusationem afferunt: *Præstituti temporis angustia, nec ad longioris itineris apparatum, nec ad omnes communionis suæ Episcopos, qui in diversis provinciis sunt, commonendos, & consensus ab iisdem accipiendos sufficeret*. Cum itaque Orientales venire recusaverint, ex œcumenica synodo, quæ sperabatur futura, Occidentalium habita est, maximæ tamen auctoritatis, tum ob Damasi præsentiam, tum ob Episcoporum numerum, cui etiam ex Orientalibus aliquot, & quidem magni nominis adfuerunt, idest Paulinus Antiochenus, & Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus, de quorum adventu Romam hæc habet Hieronymus ad Eustochium: *Cumque Orientis, & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices Paulinum Antiochenæ urbis episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur. Quorum Epiphanium etiam hospitem habuit* (S. Paula scilicet mater Eustochii) *Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium humanitate possedit*. Hæc & alia Hieronymus, qui ad Principiam scribens addit, se una cum iis tunc Romam transiisse: *Denique cum & me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas*; quibus verbis indicat, se a Damaso Romam vocatum fuisse, ubi per triennium fere mansit; sed de gestis a Hieronymo Romæ infra. Nunc Romanæ synodi gesta prosequimur, cui præter Damasum, & Ambrosium, Pau-

Jesu Chr. an. 382.

Theod. li. 5. 9.

Hier. ep. 27.

Jesu Chr. an. 382. Paulinum, & Epiphanium, adfuerunt Ascholius Thessalonicensis Episcopus, Anemius Sirmii, Valerianus Aquilejæ, Britto ignotæ Sedis Episcopus. At de hac Romana Synodo cujus mentio in Actis Concilii CP. hoc anno celebrati occurrit, nil ultra addimus, cum ejusdem acta perierint.

CP. Synodus, ejusdem acta. Theod. li. 5. 8. 6. Dum Romæ Synodus haberetur, CP. Orientales episcopi alteram celebrarunt, de qua hæc Theodoretus: *Sequenti vero æstate cum plerique eorum*, qui anno elapso CP. adfuerunt, *ad eamdem urbem venissent, ecclesiastica enim negotia eos rursus illuc evocaverant, occidentalium Episcoporum synodicam epistolam acceperunt, quæ ipsos hortabatur, ut Romam ad maximam synodum, quæ illic parabatur, se conferrent. Verum profectionem quidem, ut quæ nihil emolumenti esset habitura, suscipere recusarunt, scripserunt tamen ad illos litteras, quibus & tempestatem, quæ adversus Ecclesias excitata fuerat, significabant, & illorum præteritam negligentiam subobscure innuebant. Apostolicam vero doctrinam brevi compendio iisdem litteris inseruerunt &c.*

Synodalis ep. Concilii CP. ad Romanam Synodum. 7. Synodicæ autem epistolæ hæc erat inscriptio: *Dominis carissimis, ac religiosissimis fratribus, & comministris, Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Anemio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis, qui in magna urbe Roma collecti sunt, sancta synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe CP. convenerunt in Domino salutem.* Deinde quot, quantisque calamitatibus Ecclesiæ ex Arianorum furore vexatæ fuerint, exponunt, eaque de causa se in Occidentem prout invitati fuerant, nullatenus transire potuisse, addunt, etsi id sibi gratissimum fuisset; unde post aliqua subdunt: *Quis enim det nobis pennas sicut columbæ, ut volemus, & requiescamus apud vos?* quoniam vero plurimi eorum ab itinere suscipiendo, vel ecclesiarum suarum necessitatibus, vel infirmitate detinebantur, CP. se convenisse narrant, ac catholicæ fidei, edita ejusdem professione, satis superque anno proximo consuluisse adnotant; quam per legatos suos, fratres, & comministros Cyriacum, Eusebium, & Priscianum miserunt, qua se omnes hæreses aversari probant, & præcipue Sabellianorum, Eunomianorum, & Arianorum, ac Pneumathomacorum blasphemias: *Quibus libellis & fidem nostram latius exposuimus, & contra hæreses nuper exortas anathema manuum nostrarum subscri-*

scriptione protulimus; hæc CP. Patres ad synodum Romanam. His vero addunt anno elapso ad CP. ecclesiam regendam *communi omnium consensu coram religiosissimo Imperatore Theodosio, adstipulante omni Clero, & universa civitate*, ordinatum fuisse Nectarium in Concilio universali, antiquissimæ vero, & Apostolicæ Ecclesiæ Antiochensium in Syria, Flavianum, *quam quidem legitimam ordinationem synodus etiam universa suscepit*. Hierosolymitanæ etiam Ecclesiæ Cyrillum præesse narrant, *qui & canonice ab Episcopis Provinciæ olim fuit ordinatus, & plurima variis in locis contra Arianos certamina subiit*; atque ut his quoque consentire velint, Damasum, & Occidentales deprecantur. Quid his litteris Damasus, & Occidentales Episcopi rescripserint, ignoratur, cum acta Romanæ synodi perierint. Illud tamen certum est, Occidentales Flaviani ordinationem nequaquam approbasse, quos in Paulini communione perseverasse scimus; multo minus Romana synodus probare potuit canonem anno elapso CP. editum (cujus in synodica epistola nec verbum extat), quo post Romanam ecclesiam CP. Episcopum cæteris præstare statuerant, ut ex dicendis infra constabit.

8. Interea cum Gregorius Nazianzenus CP. excessisset, ut anno elapso diximus, hoc anno, ut ad synodum ibidem rediret, imperiali etiam rescripto, & Episcoporum hortatu revocatus est, adesse tamen recusavit, atque ad Procopium hæc scripsit: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum, & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates (ac ne quæso, me gravem, & molestum existimes hæc scribentem) ne ullis quidem verbis explicari queant, citiusque aliquis ad improbitatem arcessetur, dum aliis judicem se præbet, quam ut aliorum improbitatem comprimat*. Post aliqua: *Ignoscat mihi tua animi magnitudo, detque operam, ne pientissimus Imperator me inertiæ, atque ignaviæ condemnet, sed infirmitati ignoscat, ob quam se quoque nobis instar alius cujuspiam beneficii hoc postulantibus, secedendi potestatem fecisse novit*, hæc Gregorius. Cumque iteratis litteris importunius vocaretur, in eadem perstans sententia, ad Olympium Cappadociæ Præfectum his lit-

Greg. Naz. Synodo adesse recusat.

Gregor. Naz. ep. 55.

JESU CHR. AN. 382. litteris se excusavit: *Hoc mihi morbo ipso gravius est, quod cum aeger sim, aegrotare tamen non credar, verum peregrinationem ita longam inire, atque in medios tumultus me ipsum impellere jubear, a quibus secessisse tam mihi gratum fuit, ut hoc nomine gratiam quoque corporis afflictioni propemodum habeam. Quieta enim, & a negotiis semota vitae ratio actuosae vitae splendore praestantior est. Hoc & illustrissimo quoque Icario non ita pridem scripsi, cum idem ab eo jussum accepissem, & nunc a tua animi magnitudine peto, ut pro nobis quoque id scribere ne gravetur, quippe quem morbi locupletem testem habemus &c.* Haec Gregorius episcoporum synodos declinans, quorum inconstantiam, mutuasque discordias saepe expertus, his iterum fluctibus se committere recusavit.

Greg. Naz. Epis. Nazianzi ordinandum curat. 9. At quo statu res Gregorii essent hoc tempore, paucis exponamus, qui cum Nazianzum rediisset, eamque Ecclesiam Pastore adhuc viduatam invenisset, Eulalium quemdam pium, moderatumque virum Nazianzi episcopum ordinandum curavit, qua de re extat Gregorii ad Helladium epistola, qua inter caetera de ordinando Nazianzi Episcopo haec habentur: *Quod si mihi senectutem quoque beneficio vestro commode claudere licuerit, constituto nimirum a vobis huic ecclesiae Episcopo, quem Spiritus Sanctus designavit, bono opere perfuncti fueritis.* (Gregor. Naz. ep. 54.) Porro Helladius Caesariensis Episcopus, & Cappadociae Metropolita, cui Nazianzena ecclesia suberat, Basilii Magni successor fuerat, & Gregorio amicissimus. Unde cum falsus rumor increbuisset, quod invito Gregorio, ipsoque reluctante Eulalium Helladius Nazianzenae Ecclesiae praefecisset, Gregorius Nissenus ea de re ad Nazianzenum scripsit, cui respondens Nazianzenus admonet, ne falsis rumoribus facile crederet: *De nobis autem, ne quisquam, obsecro, falsos sermones jactet, nec de dominis Episcopis, tanquam videlicet, invitis nobis, ac repugnantibus, Episcopum alium nobis suffecerint.* (Gregor. Naz. ep. 42.) Ac se nonnisi multis precibus, ut Nazianzenae ecclesiae regimini renunciaret, ab Episcopis licentiam obtinuisse narrat, &, ut tantae sedis dignus pastor eligeretur, promeruisse: *Quem tibi quoque in manus trado, & colloco, venerabilem dico Eulalium, cujus utinam manibus immori mihi contingat*; ac se nunquam Nazianzenum Episcopum fuisse, diserte testatur, ac probat. Haec de se ipso Nazianzenus, quibus sane ex antiquis

quis plurimos erraſſe arguit, qui Gregorium Nazianzi Epiſcopum fuiſſe ſcribunt. An. 382.

10. *Cum Orientis, & Occidentis Epiſcopos, ob quaſdam Eccleſiæ diſſenſiones, Romam Imperiales litteræ contraxiſſent, & me Romam cum ſanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio eccleſiaſtica traxiſſet neceſſitas*, ait Hieronymus; ad Aſcellam vero addit Romæ *pene certe triennium cum iis vixi*, ideſt ab hoc anno uſque ad Auguſtum anni 385., nam *menſe Auguſto flantibus eteſiis cum S. Vincentio presbytero navim in Romano portu ſecurus aſcendi*, ait. Quæ autem Romæ eo triennio egerit, quæve neceſſitas eum ad Urbem traxerit, idem ad Ageruchiam ſcribens narrat, ſe ſcilicet in chartis eccleſiaſticis juvaſſe Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis, & Occidentis ſynodicis conſultationibus reſpondiſſe; tanta porro apud omnes admiratione erat, ut eodem teſtante: *Totius in me Urbis ſtudia conſonabant, omnium pene judicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damaſus meus ſermo erat, dicebar humilis, & diſertus*. Eaque de cauſa a nonnullis ſcriptoribus Rom. eccleſiæ etiam epiſcopus dictus eſt Hieronymus. Ab Anaſtaſio vero Romanæ Sedis Bibliothecario, quin ab incerto auctore vitæ Hieronymi, ſeu larvato Auguſtino in ſermone ad fratres in eremo, a Micrologo, aliiſque inferioris ævi ſcriptoribus, inter Romanæ eccleſiæ Cardinales adſcriptus fuit. At fabulæ hæc ſunt, & obſcurioris temporis nugæ.

Hieronymus Romam venit, Damaſo Pontifici in ſcribendis ep. inſervit.

Hier. ep. 45.

Hier. vita, & geſta to. 2. Microlog. c. 21

11. Ingenium quidem Hieronymi, & eruditionem tanti faciebat Damaſus, ut variis de ſacra Scriptura propoſitis quæſtionibus, ad ſcribendum impelleret: *Dormientem te, & longo jam tempore legentem, potius quam ſcribentem quæſtiunculis ad te miſſis excitare diſpoſui, non quo & legere non debeas, hoc enim veluti quotidiano cibo alitur, & pingueſcit oratio, ſed quod lectionis fructus ſit iſte, ſi ſcribas. Itaque quoniam & heri tabellario ad me remiſſo, nullas te jam epiſtolas habere dixiſti, exceptis his, quas aliquando in eremo dictaveras, quaſque tota aviditate legi, atque deſcripſi, & ultro pollicitus es te furtivis noctium operis aliquas, ſi vellem, poſſe dictare, libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram, etiamſi negaſſes. Neque vero ullam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quam ſi de Scripturis ſermocinemur inter nos, ideſt, ut ego interrogem, tu reſpondeas.*

Hieronymi ſcripta Romæ edita.

Apud Coutan. ep. 17. p. 579.

Jesu Chr. An. 382. Quinque deinde quæstiones eidem solvendas proponit, quas continuo Hieronymus solvit, duabus prætermissis; eo quod *ab eloquentissimis viris*, ut ait, *Tertulliano nostro, scilicet, & Novatiano latino sermone sint editæ*. Eodemque tempore, ut ibidem testatur, Dydimi de Spiritu Sancto librum in manibus habebat, *quem translatum tibi cupio dedicare, ne me existimes tantummodo dormitare, qui lectionem sine stylo somnum putas*. Epistola vero altera de voce Osanna interrogatus, multa eruditione satisfecit, sed & alia sunt Hieronymi ad Damasum scripta, aut epistolæ Romæ editæ, quarum catalogum hoc loco texere sufficiet, idest de Seraphim, & calculo, cujus initium *Septuaginta &c.* De eadem visione latius disputatum in altera epistola, cujus initium *Et factum est in anno &c.* De Filio prodigo epistola extat, quæ incipit *Beatitudinis tuæ interrogatio &c.* Tandem epistola, seu præfatio in Homilias Origenis super Cantica canticorum, quæ incipit *Origenes cum in cæteris libris &c.*

Evangelia ad Græcos Codices corrigit. 12. Jubente etiam Damaso Papa, ad Græcorum codicum fidem quatuor Jesu Christi evangelia emendavit; cum etenim tot essent Latinæ versiones, quot fere ecclesiæ, aut codices; ac ex interpretum temeritate, vel amanuensium incuria, multa aut corrupta, aut mutata, aut addita, aut ex uno Evangelista ad alium translata occurrerent, germanum Evangelistarum textum, juxta codicum Græcorum fidem Hieronymus edidit, ac Damaso dicavit: canones etiam, quos Eusebius Cæsariensis, post Ammonium Alexandrinum, græce ediderat, in latinum redditos, eidem operi subtexuit, ac quid quisque Evangelista peculiare, quidve cum aliis commune haberet distinxit: deinde sublatis Evangeliorum erroribus, *Romæ* etiam *Psalterium juxta septuaginta Interpretes emendandum suscepit*; quod opus cursim quidem, & levi manu absolvit, ut idem in operis præfatione testatur. Hanc Psalterii emendationem ad Romanæ ecclesiæ usum factum fuisse, inde constat, quod Romanum Psalterium dictum est; cui post annos aliquos alteram Psalterii emendationem addidit, eamdemque accuratiorem, obelis & asteriscis distinctam, ac psalterium Gallicanum nunc dicitur: ac tandem novam Psalterii interpretationem ex Hebraico textu digessit.

Jesu Chr. an. 382. Hieronymus contra Helvidium scribit. *Gennad. de script. Eccles. cap. 32.*

13. Eo etiam triennio, quo Romæ moratus est Hieronymus, *rogatus a Fratribus*, contra Helvidium stylum acuit, quem diu refutare recusaverat, *ne respondendo dignus ille fieret, qui vinceretur*. Quis vero Helvidius esset, quæve ejusdem hæresis, his verbis narrat Gennadius: *Helvidius Auxentii* (Ariani) *discipulus, Symmachi imitator scripsit librum, cujus operis ita sanctarum Scripturarum sensus ad suam perversitatem flectere conatus est, ut earum testimonio asserere voluerit, S. Mariam post nativitatem Domini, quem virgo peperit, Josepho sponso suo junctam, & ex ejus consortio filios suscepisse, qui fratres Domini appellati sunt*; quam blasphœmiam ex Eunomio, aut Apollinario didicerat, qui in eodem hæserant luto, testibus Philostorgio, & Epiphanio, hinc & virginitatem matrimonio præstare negabat, homo alioquin obscurus, & ex scelere tantum notus: *Quis te oro*, ajebat Hieronymus, *ante hanc blasphœmiam noverat, quis dupundii supputabat? Consecutus es, quod volebas, nobilis es factus in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem tecum urbe consistam, albus, ut ajunt, aterve sis, nescio*. Hunc quoque librum Damaso inscripsisse videtur, quem etiam, ipso Hieronymo teste, probavit, dum ad Pammachium hæc scripsit: *Dum adviveret sanctæ memoriæ Damasus, librum contra Helvidium de B. Mariæ Virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de molestiis dicere nuptiarum. Nam vir egregius,* (idest Damasus) *& eruditus in Scripturis, & virgo, Ecclesiæ Virginis Doctor, aliquid in illo sermone reprehendit, in libro quoque ad Eustochium multo duriora de nuptiis diximus, & nemo super hac re læsus est*. Hæc Hieronymus, qui, edito vix contra Helvidium libro, de custodia virginitatis epistolam, seu tractatum ad Eustochium Romæ inscripsit, in quo libri adversus Helvidium, a se mox editi, mentionem facit, simulque addit, Damasum Pontificem de eodem argumento, & prosa, & carmine scripsisse libellos, Tertullianum etiam, & Cyprianum, ac Ambrosium de virginitate tractatus edidisse, quo in argumento Basilius quoque, & Gregorius Nazianzenus, & paucis ab hinc annis Chrysostomus versati fuerant; ut plane intelligas Divinitatis instinctu, tot sanctissimos in Occidente, ac in Oriente viros eodem tempore

Philost. li. 6. 2. *Epiph. hær. 78*

Hier. ep. 48.

Hier. ep. 22.

de

de Virginitatis merito, & excellentia tractatus edidisse, cum Diabolus sua monstra in medium producturus erat, impios scilicet Helvidium, & Jovinianum, qui ore sacrilego, & manu polluta verbis, & scriptis Virginitatis merita impugnaturi erant. De Joviniani hæresi, qui Helvidii vestigia calcans paulo post Romæ contra Virginitatem oblatrare est ausus, quem & Hieronymus in Oriente confutavit, dicemus inferius, cum hæc sub Syricio Damasi successore contigerint.

Hieronymus Matronas Romanas sacris litteris instruit.

14. Matronarum etiam nonnullas Romæ S. Hieronymus sacras litteras docuit, ac vel privatis colloquiis, aut datis epistolis obscuriora sacræ Scripturæ loca exposuit, cujus generis plures adhuc supersunt, ad Paulam scilicet, ad Eustochium, ad Marcellam. Quanto autem animi ardore Marcella hisce studiis insisteret, idem Hieronymus ad Principiam scribens his verbis narrat: *Cum me*, inquit, *Romam cum sanctis Paulino, & Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas, & verecunde nobilium fœminarum oculos declinarem, ita egit* (Marcella scilicet) *secundum Apostolum importune, opportune, ut pudorem meum sua superaret industria; & quia alicujus tunc nominis esse existimabar, super studio Scripturarum nunquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret, nec ut statim acquiesceret, sed moveret e contrario quæstiones, non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat*. Quantum in iis Marcella profecerit, pluribus eodem loco persequitur, ita ut si in aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam uti judicem pergeretur, illa vero ad interrogata sic respondebat: *Ut etiam sua, non sua diceret, sed vel mea, vel cujuslibet alterius, ut in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur*, ait Hieronymus, quem etiam non semel per litteras interpellabat, ut ad eam datæ epistolæ testantur. Albina quoque Marcellæ mater discendi cupida de Scripturarum quæstionibus Hieronymum sæpe interrogavit; unde *certe cum Romæ essem, nunquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret, neque vero more Pythagorico, quicquid responderam, rectum putabat: nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas, sed examinabat omnia, & sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quam judicem*.

Hier. ep. 16.

Hier. præf. in ep. 2 ad Galatas

Quæ

15. Quæ autem Marcellæ, aliarumque Matronarum, Hieronymo duce, vitæ ratio esset, idem Hieronymus describit: *Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, & conversione multarum gauderemus, Romam factam Hierosolymam, crebra Virginum monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.* Hæc ipse, qui plurimas toto eo triennio, quo Romæ adfuit, ipsum adiisse tum virgines, tum viduas, alibi testatur: *Pene certe triennium*, inquit, *cum eis vixi, multa me Virginum crebro turba circumdedit, divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe disserui, lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat.* At quam caute, casteque id ageret, *dicant*, inquit, *quid unquam in me aliter senserint, quam christianum decebat? pecuniam cujuspiam accepi? munera vel parva, vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit, obliquus sermo, oculus petulans fuit &c.* Hæc de sua cum mulieribus conversatione Romæ, qui alibi testatur, se nonnisi sanctioris vitæ, & Mundo mortuas ad familiaritatem admisisse: *Non fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens, atque jejunans, squalens, sordida, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit.*

Marcellæ aliarumque vivendi ratio. *Hier. ep. 127.*

Hier. ep. 45.

Hier. ep. 45.

De Paula, ejusque Filiis.

16. Præ ceteris vero Paula Hieronymum coluit, ejusque monitis, & eruditione profecit, etsi postrema fere sanctum virum noverit, ut hæc Hieronymi verba testantur: *Antequam domum S. Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant.* Ex Graccorum, ac Scipionum genere orta Toxotio Romanorum nobilissimo nupserat Paula, ex eoque filios quinque susceperat, nempe Blesillam, Paulinam, Eustochium, Ruffinam, quinto & ultimo loco Toxotium masculum, qui omnes perfectioris vitæ semitas calcarunt. Toxotius autem uxorem duxit Lætam Albini Gentilicîæ superstitionis Pontificis filiam, ex quibus genita est Paula junior: unde ad Lætam Hieronymus: *Quis hoc crederet*, inquit, *ut Albini Pontificis neptis de repromissione matris nasceretur, ut præsente, & gaudente avo, parvulæ adhuc lingua balbutiens Christi Alleluja resonaret, & virginem Dei suo gremio senex nutriret, & be-*

JESU CHR. AN. 382. *& bene, feliciterque expectavimus, sancta, & fidelis domus unum sanctificat infidelem, jam candidatus est fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat &c.* Hæc & alia ad Lætam Hieronymus, eaque epistola de Paulæ junioris educatione saluberrima præcepta tradit, quæ ibidem videri possunt. Albinum Lætæ patrem, & Gentiliciæ superstitionis pontificem, ut ex Hieronymo audivimus, christianum jam fuisse, cum hæc ad Lætam scribebat Hieronymus, tradit Baronius. At Hieronymus Lætam quidem hortatur, ne de Patris salute desperaret; cæterum eo tempore Ethnicum adhuc fuisse, verba Hieronymi indicant; an postea Albinus in Christum crediderit ignoramus. Quantum autem Paula junior Hieronymi monitis in epistola ad Lætam datis, de ejusdem institutione profecerit, inferius suo loco videbimus. Nunc adnotare sufficiet, eam ætate florescente ad Paulam seniorem, & aviam properasse Hierosolymam, ibique una cum Eustochio in Virginitatis proposito consenuisse.

Baron. 382. 41

De Blesilla vidua.

17. Ad Blesillam quod attinet, ipsa anno ætatis suæ vigesimo, cum menses septem tantum cum viro vixisset, vidua remansit, quare ut ait Hieronymus, amissam Virginitatem magis deploravit, quam virum, eamque in græcis, latinis, & hebraicis litteris edoctam fuisse adnotat: *Si græce loquentem audisses, latine eam nescire putares; si in Romanum sonum se lingua verteret, nihil omnino peregrini sermo redolebat; in paucis non dicam mensibus, sed diebus ita hebrææ linguæ vicerat difficultates, ut in discendis, canendisque psalmis cum matre contenderet.* Sed de Blesilla hactenus.

Hier. epist. 39.

De Paulina, & Ruffina. Epist. 66.

18. De Paulina autem S. Paulæ filia, & Blesillæ sorore extat Hieronymi epistola ad Pammachium de ejusdem obitu, qua eam summis extollit laudibus, ac Pammachium tali uxore orbatum consolatur. Ruffina quoque post Paulinam genita, & ipsa clarissimo viro, idest Aletio nupta, immaturo funere prærepta, *pium matris animum consternavit*, ait Hieronymus ad Eustochium scribens.

Epist. 108.

De Eustochio.

19. Præ cæteris Paulæ filiabus Eustochium omni virtutum genere excelluit, nam virginitatem professa Hierosolymis vixit, quam cum a virginitatis proposito abalienare tentasset Prætextata ejusdem amita, Dei vindictam promeruisse narrat Hieronymus: *Prætextata nobilissima quondam fœmina, jubente viro Hy-*

Hymertio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus, cultumque mutavit, & neglectum crinem mundano more texuit, sibi vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tu ne ausa es, viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata, quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris, sin autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Christus violatores templi sui &c. Eamdem virginem de virginitate servanda, de seculi fuga, de frugi vestitu, & victu, de vitanda monachorum, & clericorum conversatione excellenti tractatu, seu epistola docuit, ex qua epistola, quæ inter ultima Hieronymi opuscula Romæ edita recensetur, eidem invidia conflata est, & in ipsum odia excitata, unde paulo post Roma excessit, anno scilicet 385., ut suo loco adnotabitur.

JESU CHR. AN. 382. Epist. 107.

Epist. 22.

20. Ad virum pietate, & eloquentia toto Orbe celeberrimum nunc se oratio transferat, idest ad Chrysostomum, qui hoc tempore presbyterali officio fungens Antiochenam Ecclesiam gestis, & scriptis illustrabat. Joannes igitur Antiochiæ ortus circa annum 347. *patre Secundo, matre Anthusa nobili apud suos prosapia*, ait Socrates, [...]jus patrem militiæ magistrum in Syria fuisse Palladius refe[rt]. In ipsa infantia patre orbatus, ab incunabulis fere Anthusa matre hortante pietatem didicit; at pro ejusdem seculi more, seu abusu, anno ætatis suæ vigesimo secundo salutari lavacro, seu baptismate ablutus est. Chrysostomi quidem [...]em Publiam, illustrem fœminam, quæ Juliani Imperatoris [...], castitate, & fidei non obscura edidit argumenta, tradit auctor Menologii; hanc tamen sententiam, ex corrupta Theodoreti versione ortam, Baronius pluribus explodit. Ex Anthusa itaque natus, & sancte educatus est Joannes: ipsa vero etsi annum 22. vix ageret, cum a viro relicta est, viduitatem tamen secundis nuptiis præferens, filii sui curæ, & rei domesticæ intenta, vitam duxit. Eum porro exitum Anthusæ sollicitudo habuit, ut vel ab ineunte æt[ate] non obscura indicia Joannes dederit sanctitatis, & doctrinæ, ita

De Chrysost. ortu, & educatione.

Socrat. lib. 8. 3. Sozom. lib. 6. 2. Chrysost. vita a Monfaucon. digesta tom. 12 Oper. Chrysost. Tillem. tom. II. Hist. Eccl. Menolog. die 9. Octob. Canis. antiq. lect. lib. 2. Theodor. lib. 3. 19. Baron. a n.

JESU CHR. AN. 382. ita ut, vel immoderato zelo jam tum adolescentulus exardescere videretur, nam ut ait Socrates: *Ob nimium temperantiæ studium acerbior, & sicut ajunt quidam, qui cum illo ab ineunte ætate familiariter vixerant, iræ magis deditus, quam verecundiæ, & ob vitæ quidem sanctimoniam incautus adversus futura, ob simplicitatem vero apertus, & facilis, immodica etiam dicendi libertate erga omnes utebatur, & in docendo id quidem præcipue spectabat, ut mores audientium emendaret, in congressibus vero arrogantior videbatur iis, qui ipsius animum non noverant.* Hæc quidem Socrates, prout fama audierat, quæ quidem in saniorem sensum exponenda sunt. Nam cum ingenio ferveret, & eloquentia, quibus ignota erat ejusdem vitæ sanctimonia, ut ait Socrates, ejusdem in corrigendis peccatis zelus & libertas, ira & audacia videbatur, at non erat, ut totius vitæ cursus demonstrabit.

De Chrysostomi studiis. 21. Interea cum Joannes humanis litteris plurimum profecisset ad Rhetoricæ, & Philosophiæ magistros transiit: *In rhetorica Libanium Sophistam, in philosophia vero magistrum habuit Andragatium*, ait Socrates. De Libanio Sophista narrat Joannes in libro ad Viduam juniorem: *Ego aliquan-* [illegible] *essem junior* (idest annorum viginti) *doctori meo*. idest Libanio, [illegible]*rat autem omnium hominum maxime superstitiosus*, & Gentilis, *animadverti matrem meam præ multis magnam excitasse admirationem*. [illegible] etenim Joannem interrogasset de matre, ut audivit, eam quadragenariam fere fuisse, eamque jam viginti annos in viduitate perseverasse, *obstupuit valde, atque ad eos, qui aderant conversus, clara voce exclamavit: En quales mulieres apud christianos sunt! Tanta*, subdit Chrysostomus, *non modo apud nos, sed apud Gentiles viduitatis laus est, & admira*[illegible] In rhetoricis autem disciplinis eousque profecit, ut ora[illegible]m prestantissimus, ipso Libanio teste, haberetur, nam pe[illegible]ctantibus amicis, quis eo mortuo, in ejus cathedram ascendere posset: *Joannes*, inquit, *Libanius, nisi christiani illum subripuissent*.

Tom. I. [illegible]

Sozom. lib. 8. 2.

Chrysost. forensis cu[illegible] theatralibus [illegible] 22. Ad forenses deinde strepitus, ut per ætatem licuit, se contulit Joannes, quo etiam tempore theatralibus ludis a[illegible] [illegible] se ind[illegible] narrat: *Qui fieri posset, ut qui con*[illegible] *ter judiciis, ac foro interessem, ac scenæ oblectamenta attonitus sectarer a frequenti uti possem consuetudine ejus, qui non-*

Lib. 1. de Sacerd.

nonnisi libris affixus, in forum nunquam veniret? is erat Basilius Chrysostomo amicitia junctus. Hoc etiam tempore in laudem Imperatorum orationem habuit Chrisostomus, cujus vim elegantiamque adeo admiratus est Libanius, ut, teste Isidoro Pelusiota, hæc ad eum scripserit: *Cum magnam tuam, & elegantem orationem accepissem, viris quibusdam eam legi, qui orationibus dant operam, quorum nullus erat, qui non saltaret, clamorem ederet, eaque omnia faceret, quæ homines admiratione perculsi facere solent. Ego igitur voluptate affectus sum, quod ad forensem artem exhibendam, demonstrationes quoque adjungas, atque & te beatum prædico, qui ad hunc modum laudare queas, itemque eos, qui talem præconem nacti sunt, hoc est & Patrem qui Imperium dedit, & filios qui acceperunt*; quam orationem Valesius, aliique altero Joanni adscribendam censent, non Chrysostomo, cum quibus etsi hac de causa litigare nolimus. Isidori tamen Pelusiotæ testimonium Valesii conjecturis cum Montfauconio præferendum censemus.

Isid. lib. 2. epist. 42.

Vales. not. in Socrat. lib. 6. 3.

Basnag. ann. 382. 6.

Montfaucon Chrisosth. vita p. 92. tom. 12.

23. Vix theatrales ludos gustaverat Chrysosthomus, aut oratoriæ artis specimen in foro dederat, cum, teste Socrate, Basilii exhortationibus ad perfectioris, christianæque vitæ officia revocatus est: *Cum causas agere jam pararet, considerans quam laboriosum, quamque iniquum esset vivendi genus eorum, qui in foro versantur, confestim mutato habitu, atque incessu, lectioni sacrarum Litterarum animum applicuit, & frequenter ad ecclesiam orationis causa properabat. Persuasit etiam Theodoro & Maximo condiscipulis suis, qui una cum ipso Libanium sophistam audiverant, ut relicta professione, quæ nihil præter quæstum spectaret, simplicem potius, ac tenuem vitam amplecterentur. Ex his Theodorus quidam Mopsuestiæ in Cilicia postmodum Episcopus fuit, Maximus vero Seleuciæ in Isauria.* Quare baptismate tunc primum suscepto, ut liberius Deo vacare posset, una cum Basilio studiorum socio, consiliorumque participe, paterna domo, & patria egredi statuerat, ut solitariam vitam ageret; votis tamen ejus obstitit Anthusa ejus mater, profusis lacrymis Joannem deprecans, ne se viduam desereret: quare solitudinis vitæ propositum distulit, & in paterna domo, lectioni, jejuniis, piisque operibus intentus, monasticam vitam duxit, quo tempore a Meletio Antiochiæ

Joann. Chrys. baptizatur; & lector ordinatur.

Socr. lib. 6. 3.

Jesu Chr. an. 382.

Bar. 382. 66. Valesf. not. in Socr. ut sup.

Episcopo, lector ordinatus est, cum annum ageret vigesimum secundum, idest circa annum 369. A Zenone autem Episcopo ordinatum fuisse lectorem, tradit Socrates, quem Tyri Episcopum fuisse Baronius, & Valesius censent. Is Antiochenam Ecclesiam fortasse, exulante Meletio, administrabat, & vicariam pro eo curam agebat, ut proinde alii a Meletio, a Zenone alii Chrysostomum ordinatum fuisse dixerint.

Chrysost. in eremum secedit.

24. Dum pietatis officiis una cum carissimo suo Basilio Chrysostomus vacaret, episcopales quædam sedes pastore viduatæ sunt, cumque fama vulgasset, Basilium æque, ac Joannem inter cæteros, iis implendis esse destinatos, ne invitus ad episcopatum raperetur, quod aliis non semel acciderat, arrepta fuga Chrysostomus tantum onus declinavit, idemque consilium Basilio inerat; at re cum Joanne communicata, Joannes occultato fugæ proposito, Basilium ab ea revocavit, rem maturius considerandam dicens. Interea cum Joannes fuga sibi consuluisset, Episcopi advenerunt, ut utrosque ordinarent, ac Basilius nil tale cogitans, raptus est, atque ad ordinationem oblatus. Cumque totis viribus reluctaretur, ex præsentium quidam iterum eum fefellit, dicens, Joannem etiam Episcoporum voluntati cessisse, quare Basilius his verbis deceptus, ut Episcopus ordinaretur, permisit, Raphanensis ecclesiæ Episcopum hunc Basilium fuisse censet Montfoconius, & certe erravit Socrates, dum eum cum Cæsariensi confundit, ut ibidem apud Valesium videre est. Cumque Basilius Episcopus cum Chrysostomo questus esset, ac ab eo deceptum se fuisse lamentaretur, librum de sacerdotio eidem inscripsit, quo partim se purgare, ac amicum solari conatur, & quæ sint sacerdotum officia, tanta perspicuitate edisserit, ut eo de argumento vix meliora desiderari possint.

Montfocon. Chrysost. vita tom. 12. p. 94. Valesf. not. in Socrat. ut supra.

Chrysost. monasticam vitam amplectitur.

Socr. ut supr. Pallad. Chrysost. vita tom. 12. p. ...

25. *Monasticam vitam sub Diodoro, & Carterio, qui tunc Monasteriis præerant*, didicit Joannes, ut habet Socrates; ubi, *cum in Syrum quemdam incidisset*, ait Palladius, *severissimæ continentiæ senem, duriora vitæ ejus instituta imitatur annis quatuor, tum secessit in speluncam solus delitescere cupiens, illic moratus est annos duos, quibus insomnis utplurimum perstitit, Christi testamentum, quo ignorantiam expelleret, addiscens, cum toto illo biennio, nec interdiu, nec noctu decubuisset, proxima ventri ei sunt emortua, lumborum vires præ frigore profligatæ.*

Cum

26. Cum itaque annos sex in tanta austeritate vixisset Joannes, jejuniis vigiliisque semper intentus, solo pane & aqua, aut oleribus, & leguminibus victitans, fractis naturæ viribus, in morbum incidit; unde Antiochiam redire coactus est; ut valetudinem aliquantisper recrearet, quæ adeo debilis erat, ut domi consistere aliquandiu cogeretur, ut in Libro ad Stagyrium a dœmone vexatum, hoc tempore scripto, testatur: *Oportuerat nos*, inquit, *tibi nunc adesse, atque in ærumnarum tuarum consortium transire, ac verbis exhortando, opera juvando, partem aliquam lenire doloris, quoniam vero & corporis mala valetudo, & invectus in caput nostrum dolor, domi nos manere compulerunt &c.* Cum tamen convaluisset, *Diaconi dignitatem a Meletio est consequutus* anno 380. vel 381; nam eo anno Meletius Constantinopolim ad Synodum se contulit, ibique diem ultimum clausit, ut suo loco adnotavimus. Presbyter deinde a Flaviano ordinatus, cum fere quadragenarius esset, qua dignitate adepta, concionatoris munus eidem a Flaviano concreditum est.

Jesu Chr. an. 381. Chrysost. Antiochiam rediit; Diaconus, deinde Presbyter ordinatur.

27. Divinis autem humanisque litteris cum excelleret Joannes, ante adeptum Sacerdotium librum de Sacerdotio ad Basilium scripsit, ac epistolas plures ad Theodorum, ut eum a mundi illecebris ad spiritalem vitam, a qua defecerat, revocaret, eaque de causa ad Theodorum lapsum inscriptæ dicuntur. Sequuntur postea libri duo de compunctione ad Demetrium, & ad Stelechium inscripti, vere aurei, quos si quis legerit, vix a lacrymis temperare potest, eodemque tempore adversus oppugnatores vitæ monasticæ libros tres edidit, cui alterum addidit de comparatione Regis, & Monachi: his addendi sunt libri tres ad Stagyrium a dœmone vexatum, ut eum ad patientiam in tam gravi calamitate hortaretur. Ad viduam juniorem, ut a secundis nuptiis revocaret, libros duos scripsit, cum Diaconus esset, cui & alterum de Virginitate addidit: contra Clericos etiam, qui subintroductas mulieres retinebant, stylum acuit, & libello altero regulares fœminas, idest, quæ virginitatem voverant, a virorum frequentia, & cohabitatione deterruit. Ad hæc quoque tempora referendus est liber in S. Babylam martyrem contra Julianum Imperatorem, & contra Gentiles, cujus epocham ipse Joannes adnotat, dum ait: *Jam vigesimum annum agi, ex quo Julianus Apo-*

Chrysost. opera, & epistola.

Chrysost. oper. tom. 2. p. 536.

JESU CHR. AN. 382. *Apostata templum Hierosolymitanum restaurare tentaverat*, id vero tentavit Julianus anno 362., unde circa labentem annum 382. hunc librum Chrysostomus vulgavit, quo de translatione reliquiarum ejus, & de conflagratione templi Apollinis in Daphnes, seu suburbio Antiochiæ, plura refert, ut apud Montfoconium videre est in præfatione ad dictum librum. Sed de Chrysostomi scriptis, aut gestis ad hæc tempora satis, cetera opportuniori loco dicenda reservamus.

Gothi Romanis se tradunt

28. Theodosii munificentia, qua Athanaricum profugum exceperat, regiisque exequiis decoraverat, ut anno superiori diximus, ceteros hujus gentis homines, qui sub Fritigerna militantes Romanis adhuc infesti erant, eousque in admirationem rapuit, ut reliqui, inito cum Romanis fœdere, ipsorum potestati se dederint: *Universæ Gothorum gentes, Rege defuncto*, ait Orosius, *aspicientes virtutem, benignitatemque Theodosii, Romano sese Imperio tradiderunt*. Annum, & diem, quo Gothi sese Theodosio dederunt, obsignavit Idacius in Fastis, dum sub hujus anni Consulibus ait: *Kalendis Martii ipso anno universa gens Gothorum cum Rege suo in Romaniam se tradiderunt die quinta nonis Octobris*. Infida tamen hæc pax fuit, & Romanis infausta, ut Auctores adnotant, & exitus demonstrabit.

Oros. lib. 7. 34

Theodosii leges de Basilicis adeundis, & hæreticis inquirendis. Cod. Theod. lib. 8. de Paganis.

29. Hoc anno Theodosius legem Palladio Osdroenæ Duci dedit, qua Ethnicis Templa Deorum adeundi potestatem faciebat, ita tamen ne sacrificia offerrent: *Unde in fine legis ita patere templum permittat oraculis, ne illic prohibitorum usus sacrificiorum hujus occasione aditus permissus esse credatur. Data prid. Kal. Decembris CP. Antonio, & Syagrio Coss.* Alia lege hoc eodem anno Manichæos, aliosque hæreticos, secreta conventicula agentes inquirendos, & puniendos jussit; de quibus: *Sublimitas itaque tua det inquisitores, aperiat forum, indices, denunciatoresque sine invidia delationis accipiat. Nemo præscriptione communi exordium accusationis hujus infringat, nemo tales occultos legat, latentesque conventus: agris vetitum sit, prohibitum mœnibus, sede publica, privataque damnatum, ac summa exploratione rimetur, ut quicumque in unum Pascha diem non obsequenti religione conveneriat, tales indubitanter, quales hac lege damnavimus, habeantur. Dat. prid. Kal. April. C.P. Antonio, & Syagrio Coss.* In hac Theodosii lege

Cod. Theod. l. 9. de Hæret

Inquisitores fidei a Theodosio destinati.

lege Inquisitorum fidei nomen, imperitis, aut catholicæ Fidei hostibus invisum, tunc primum occurrit, quos etiam ad catholicam Fidem sartam, tectamque tuendam, sequentibus temporibus Ecclesia destinavit, de quibus alibi. Alia lege Gratianus mendicantes validos coercuit, quos aut servos fieri, aut publicis operibus destinari jussit, quorum protерviam Ambrosius etiam exagerat.

Cod. Theodos. l. 9. de mendic. validis.
Ambros. de Off. lib. 2. 6.

30. Gratiani pietas in eo rescripto maxime elucet, quo Victoriæ aram, & statuam e Senatu auferri præcepit, quæ Constantii jussu dejecta, sub Juliano Apostata iterum in Senatu erecta fuerat. Altera vero lege Vestalibus virginibus, & idolorum sacerdotibus stipendia, quæ ex fiscali censu præstabantur, abstulit. Cumque ea de causa Senatores ethnici apud Valentinianum Imperatorem conquesti essent, ac Symmachi Senatoris opera petiissent, ut & Victoriæ datua Senatui, ac Vestalibus, aliisque Deorum sacrificulis publica stipendia redderentur, Gentilium consiliis, & supplicationibus obstitit S. Ambrosius, ut infra dicturi sumus.

Gratianus Imp. Victoriæ aram, & statuam e Senatu auferri jubet.

31. Hoc tempore Arianorum aliqui, dum adhuc Justina Arcadii mater viveret, eo quod fidem Ambrosio datam fefellerint, debitas, Deo vindice, perfidiæ pœnas dederunt, ut in vita Ambrosii narrat Paulinus: *Fuerunt etiam duo cubicularii tunc temporis Gratiani Imperatoris de hæresi Arianorum, qui tractanti Episcopo quæstionem proponerent, ad quam audiendam altero die ad Basilicam Portianam se adfuturos promiserant, erat enim quæstio de Incarnatione Domini*. Sed ea die superbiæ tumore completi, nec memores promissorum, nec plebis expectationem considerantes, ascendentes in rhedam, civitatem egressi sunt, expectante Sacerdote, & plebe in Ecclesia constituta: *Sed hujus contumaciæ quis finis fuerit, horresco referens, subito enim præcipitati de rheda, animas emiserunt, atque corpora illorum sepulturæ sunt tradita. Sanctus vero Ambrosius cum ignoraret quid factum esset, nec diutius posset plebem tenere, adscendens pro tribunali de eadem quæstione, quæ fuerat proposita, sermonem adorsus est, dicens: Debitum, fratres, capio solvendum, sed hesternos meos non invenio creditores*, & reliqua, quæ scripta sunt in libro, qui de Incarnatione Domini intitulatur; nam ex eo sermone tractatum deinde effecit, quibus etiam alia addidit, tum ad Arianos, ac Apollinaristas confutandos, ut ibidem videre est.

Ariani quid in Ambrosium tentaverint, qua pœna puniti.
Paul. Ambros. vita n. 18. to. 4. p. 5.

Nec

Jesu Chr. An. 382.

Macedonius illatæ in Ambrosium injuriæ pœnas dat.

Paulinus in vita Ambros. cap. 37.

32. Nec inultus abiit Macedonius, qui Ambrosium pro reo supplicantem clausis foribus repellerat: *Temporibus Gratiani, cum ad Prætorium Macedonii, tunc Magistri Officiorum, pro quodam ad intercedendum perrexisset, atque ex præcepto supradicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait, & tu quidem venies ad Ecclesiam, nec clausis januis invenies, qua ingrediaris, quod factum est, mortuo enim Gratiano, confugiens Macedonius ad Ecclesiam, patentibus januis, aditum reperire non poterat*, ait Paulinus. Sozomenus vero, quo charitatis fervore pro afflictis, aut reis intercederet Ambrosius, illustriori adhuc exemplo confirmat: *Quidam religione paganus, sed dignitate conspicuus, Gratianum conviciis laceraverat, & patre indignum appellaverat, ob idque in judicium vocatus, capitali sententia damnatus fuerat*. At Ambrosius pro illo intercessurus, ad Palatium perrexit, cum Gratianus venatorio spectaculo intentus esset, ac per portam, per quam bestiæ inducebantur, latenter una cum venatoribus ingressus, non prius *Gratiani, & Aulicorum obsecrationibus cessit, quam extorta ab Imperatore indulgentia, qua morti addictus liberaretur*. Sed de his hactenus.

Sozom. lib. 5. 25.

JESU CHRISTI An. 383. Damasi Papæ 18.
Valentiniani Imp. 9. Theodosii Imp. 5.
Arcadii Imp. I. Coss. Nerabaude II.
Et Saturnino.
Olymp. 290. an. 3. Urbis an. 1136.

Damasi Epitaphium.

1. Inter gravissimas Pastoralis officii curas Martyrum memorias, aut Christianorum sepulcra versibus exornare non dedignasse Damasum, inter plurima, indicat Projectæ epitaphium.

Apud Merendam Damasi gesta, & opera pag. 2.

Quid loquar, aut sileam? prohibet dolor ipse fateri.
Hic tumulus lacrymas retinet, cognosce parentum
Projectæ fuerat primo, quæ juncta marito
Pulchra decore suo sola contenta pudore.
Heu dilecta satis miseræ genitricis amore
Accipe quid multis thalami post fœdera prima
Erepta ex oculis Flori genitoris abivit,
Ætheriam cupiens cœli conscendere lucem.
Hæc Damasus præstat cunctis solatia fletus. *Vi-*

Vixit an. XVI. m. X. dies XXV. Dep. III. Kal. Jan. Merobaude, & Fl. Saturnino Conss.

2. Iisdem Consulibus Theodosius *Arcadium filium suum Augustum renunciavit, Merabaude iterum, & Saturnino Conss. Die septimo decimo Kal. Febr.*, ait Socrates, eademque Sozomenus, & Idacius in Fastis; die autem decimo quarto Kal. Febr., & triduo post, id contigisse narrant Chronicon Alex., & Paulus Diaconus, idest die 19. Januarii, quod verosimilius est, eo quod ea die & ipse Theodosius eamdem dignitatem obtinuerat. Septennis tunc erat Arcadius, cum a Patre Imperio sociatus est; eodemque tempore, ut animum Imperio dignum indueret, Præceptori omnium celeberrimo instruendum tradidit. Is, si Basnagio fides, Themistius fuit, inter Oratores celeberrimus, hæc sunt verba in oratione decima octava anno sequenti recitata: *Adesdum itaque, carissime fili, genibusque meis inside, uti ipse te disciplinis informem, atque instituam*; & iterum ad eumdem: *Accedet ad hoc magisterium, informationemque tui illustris Plato, ac divinus Aristoteles, a quibus magnus Alexander est institutus. Fabulam proinde redolet*, subdit Basnagius, *quod ex Metaphraste Baronius narrat, Arsenium Romanæ Ecclesiæ Diaconum* præceptorem a Thodosio filio suo Arcadio fuisse destinatum. Theodosium tamen Imperatorem Themistio gentili filiorum suorum educationem delegasse, ita inverosimile est, ut fabulam merito redoleat; nec sane Themistii verba ex citata oratione id probant, in qua quidem puerulum octennem oratoria arte, blandisque verbis alloquens, *Adesdum*, inquit, *carissime fili, genibusque meis inside, ut ipse te disciplinis informem*; & ut magna novo Principi auguraretur, veluti alter Alexander a Platone, & Aristotele edocendum fore prædicit; a se ipso vero iis in disciplinis imbuendum, neque Themistius, neque quisquam alius ex veteribus, aut recentioribus, quod sciam, ante Basnagium dixit; Arsenium vero Arcadio præceptorem a Theodosio datum fuisse non solum Metaphrastes, aut Nicephorus, quorum sane nutaret fides, sed & alii ex veteribus tradiderunt, præcipue vero auctor vitæ Patrum, cui eruditorum plurimi subscribunt. Quam pie filios suos Theodosius instruendos

Arcadius a Theodosio Augustus dicitur. *Socrat. l. 5. 10. Sozom. l. 7. 12.*

Murat. ad an. 383. Bolland. Bayler. 19. Julii Tillem. to. 14. hist. Eccl.

JESU CHR. AN. 383. Hier. ep. 27. dos curaverit, ex his, quæ de Nebridio eorum consobrino, qui cum iis educatus est, Hieronymus adnotat, conjici facile potest. *Mirum dictu*, inquit, *nutritus in Palatio, & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat Orbis, & terræ, ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem obscæni rumoris in se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, eisdem cum ambobus studiis eruditus (quæ res etiam externorum mentes sibi conciliat) non est inflatus superbia, nec cæteros homines abducta fronte contempsit.*

Theodosius variarum sectarum homines ad catholicam fidem revocare studet. Socr. lib. 5. 10

3. *Non multo post* collatam Arcadio Augusti dignitatem, ait Socrates, *iisdem Consulibus*, Merabaude, & Saturnino, *mense Junio, uniuscujusque sectæ Episcopi undique convocati adfuerunt; tunc Imperator accito Nectario Episcopo sollicita deliberatione cum eo tractavit, quommodo christiana Religio dissensionibus liberari, & Ecclesia ad unitatem revocari posset*; videbat enim piissimus Imperator, damnatis jam sæpe hæresibus, in ipsa regia urbe hæreticos in suis erroribus pertinaciter inhærere, & ad ciendos tumultus semper paratos, quapropter *ajebat discutiendam esse controversiam, quæ Ecclesias segregaret, ut amputatis discordiarum causis, Ecclesiis concordia restitueretur*; eaque de causa præcipuarum sectarum Episcopos Constantinopolim vocari, ut unacum Nectario de reintegranda inter dissidentes unitate pacifice agerent, jussit. Quare Nectarius anxius, & sollicitus, quid ageret, incertus hærebat, & accersito Agelio tunc temporis Novatianorum Episcopo, Imperatoris Concilium ei aperuit. Is vero cum de Fidei doctrina cominus disputare haudquaquam valeret, Sisinnium lectorem suum, qui hoc disserendi munus obiret, elegit; at Sisinnius vir in primis disertus, & magno rerum usu præditus, & qui præter sacrarum Litterarum scientiam, Græcorum quoque philosophiam egregie callebat, cum probe nosset, ejusmodi disputationibus non modo dissidia minime sanari, verum etiam hæreses ad majorem contentionem accendi, suggessit Nectario, ut dialecticas quidem concertationes omitteret, ac veterum auctoritate de fide quæstiones solvendas esse proponeret; ob eamque rem Imperator singularum sectarum principes interroget, utrum veterum Doctorum, qui

quī ante natas hæreſes,in Eccleſia floruiſſent, rationem habendam eſſe cenſerent, an vero tanquam a Chriſtiana religione alienos eos rejicerent. Quod ſi priſcos Doctores minime repudiabunt, *noſtrum erit libros veterum proferre, quorum teſtimonio ſententia noſtra confirmetur*,

Patrum auctoritate & traditione hæreſes confutantur.

4. Cumque hæc Imperatori ſuggeſſiſſet Nectarius, ille conſilium amplexus, rem prudenter exequutus eſt, atque id, quod in animo habebat, occultans, id tantum ex illis ſciſcitatus eſt, num rationem aliquam ducerent eorum, qui ante ortam diſſenſionem Doctores in Eccleſia extiterant; cumque negare non auderent, ſe eos tamquam magiſtros impenſe colere, iterum quæſivit Imperator, utrum illis tanquam idoneis, ac fide dignis Chriſtianæ doctrinæ teſtibus aquieſcerent. Quæ cum audiiſſent ſectarum Epiſcopi, quid reſponderent, aut acturi eſſent, ambigebant, etenim ſinguli in varias diſtracti ſectas, inter ſe diſſidebant. Quare non ſecus ac veterum illorum Gigantum lingua diviſa eſt, & improbitatis turris everſa. Nam Imperator ut hæreticorum diſſidia animadvertit, eoſque ſola diſputatione, non autem veterum Patrum auctoritate inniti, ut ſingulæ ſectæ fidei ſuæ formulam ſcripto comprehenſam ipſi offerrent, juſſit; cumque ex unaquaque ſecta hi, qui diſertiſſimi habebantur, ſingula verba acuratiſſime perpendentes, dogma ſuum conſcripſiſſent, ſtata die ſingularum ſectarum Epiſcopos ad palatium vocavit: qui cum ſimul convenisſent, Nectarius ſcilicet, & Agelius, Conſubſtantialis fidei propugnatores, Arianorum vero Demophilus, Eunomianorum Eunomius ipſe, Macedonianorum Eleuſius Cyzicenus, eos Imperator benigne excepit, eorumque libellos fidei ſibi oblatos; iiſque acceptis in cubiculum digreſſus, remotis arbitris Deum intente precatus eſt, ut ad dignoſcendam veritatem ſibi auxilio eſſet; ac perlectis uniuſcujuſque ſectæ libellis, cetera quidem dogmata, utpote quæ Trinitatis diviſionem inducerent, damnavit, chartaſque laceravit: *Solam vero Conſubſtantialis fidem laudavit, atque ſuſcepit*; eaque de cauſa, ut ſubdit Socrates, cum Nicænæ fidei Novatiani quoque ſubſcriberent: *Imperator lege lata præcepit, ut oratoriis ſuis intrepide potirentur, utque eorum Eccleſiæ, eadem, quæ fidei ſuæ baſilicæ privilegia potirentur*, ait Socrates, eademque Sozomenus. Hinc factum, ut aliarum ſectarum Epiſcopi mærentes Con-

Sozom. lib. 7. 12.

JESU CHR. AN. 383.

ftantinopoli discesserint, nonnulli vero *ad Consubstantialis fidem accederent*; Imperator vero præcepit, *ne hæretici collectas agerent, neve de fide docerent, neve Episcopos, aut alios ordinarent, utque alii quidem urbibus, & agris pellerentur, alii vero notarentur infamia*.

Eunomii professio fidei, aliaque opuscula. *Vales. not. in Socrat. lib. 5. 10.*

5. Inter cæteros, Eunomium quoque, Anomeorum sectæ principem adfuisse, ait Socrates, cujus fidei professio tunc edita, & Theodosio oblata adhuc extat, quam Valesius edidit, qua testatur se ex Imperiali præcepto eamdem composuisse: *Cum Apostolica doctrina*, ait, *hortetur nos, ut prompti, paratique simus ad reddendam rationem cuilibet eam poscenti, cum denique imperialia præcepta hanc confessionem requirant, alacri animo confitemur, eaque sentimus &c.* In ea fidei professione Arii asseclam, & imitatorem se fuisse gloriatur, cujus extat aliud opusculum a Fabricio primum vulgatum; idest, liber Apologeticus ab eo editus contra Basilii libros, adversum se ipsum scriptos, quod opus tomo primo operum Basilii a Maurinis in appendice insertum est; in quo Arianæ perfidiæ non indicia, sed argumenta plurima occurrunt, ut legenti patebit.

Basilii op. to. 1. p. 618.

Theodosii leges contra hæreticos. *Socr. Sozom. ut supra. Cod. Theo. leg. 11. & 12. de hæreticis.*

6. Post collationem a Nectario hoc anno cum variarum sectarum principibus Constantinopoli habitam, legibus suis hæreticorum petulantiam coercuisse Theodosium, Socrates, & Sozomenus tradunt. Atque in primis ad Posthumianum Præfectum Prætorii lege lata, sectatores diversarum hæresum exagitat, id est, Eunomianos, Arianos, Macedonianos, Pneumachomachos, Manichæos, Encratitas, Apotactitas, Saccophoros, Hydroparastatas, eosque sinaxes, conventusque celebrare prohibet: *At si quis extiterit, qui tam evidenter vetita transcendat, permissa omnibus facultate, quos recte observantiæ cultus, & pulchritudo delectat, communi omnium bonorum conspiratione pellatur. Dat. VIII. Kal. August. Constantinop. Merobaude, & Saturnino Coss.* Paulo post, ad eumdem Posthumianum Præfectum Prætorio altera lege lata, eadem confirmavit. Hæc autem legum severitas, vix, aut numquam effectum sortita est, nam ut ad rem nostram adnotat Sozomenus, *graves quidem pœnas legibus suis adscripsit, haudquaquam tamen executioni mandavit. Neque enim punire subditos, sed terrere tantummodo studebat, ut idem cum ipso de Divinitate*

Sozom. lib. 7. 12.

sen-

sentirent, nam & illos laudabat, qui sua sponte converterentur.

7. In hæreticos, & maxime in Arianos Theodosii animum commoverat Amphilochius Iconii Episcopus, de quibus hæc Theodoretus: *Post hæc cum in Orientem reversus esset, Theodosius, accessit ad eum admirandus ille Amphilochius, poscens, ut Arianorum conventicula ex urbibus pellerentur. Verum Imperator hanc petitionem duriorem esse ratus, nequaquam admisit. Tunc sapientissimus Amphilochius illico tacitus rem excogitavit memoratu dignissimam; ingressus enim denuo in palatium, cum Arcadium filium Imperatori adstantem vidisset, quem ille paulo ante Augustum renuntiaverat, ipsum quidem Imperatorem salutavit, Filium vero honoris expertem dimisit.* Imperator vero id ab Amphilochio per oblivionem fieri existimans, accedere eum jussit, & filium osculari; verum Amphilochius sufficere honorem dixit, quem ipsi exhibuisset. Quod indigne ferens Imperator, contemptum filii suam esse ajebat injuriam. Tum vero Amphilochius facti sui causam aperuit, & contenta voce dixit: *Vides Imperator, te filii tui contumeliam ferre non posse, sed succensere iis, qui illi contumeliam faciunt? Crede igitur Deum quoque hujus Universi eos aversari, qui Filium ipsius unigenitum blasphemant, eosque tanquam ingratos erga Servatorem, ac bene de se meritum, odio habere*; quare Imperator tum factum, tum dictum Amphilochii admiratus, legem extemplo dedit, qua hæreticorum conventicula vetabantur. In eo tamen Theodoretus fallitur, dum addit, hæc accidisse, cum Theodosius post necem Maximi tyranni Constantinopolim redierat, quod anno 391. contigit; eodemque loco testetur, hæc facta esse, cum nuper Arcadius Augustus creatus est; hinc hoc anno ea contigisse, facile credimus.

Amphilochius contra hæreticos Theodosium excitat. *Theod. lib. 5. 16.*

8. Ad Posthumianum Præfectum Prætorii, ad quem Theodosius legem contra hæreticos dedit, extat Gregorii Nazianzeni epistola, qua ad procurandam Ecclesiis pacem excitat, & laudata ejusdem eruditione, & utriusque linguæ peritia, Græcæ scilicet, ac Latinæ, de amplissima dignitate gratulatur; ac ut Ecclesiarum tranquillitatem pro viribus foveret, hortatur. Ad Saturninum vero hujus anni Consulem hæc etiam scripsit: *Omnia apud nos Dei beneficio recte se habent, hoc uno excepto,*

Gregorii Nazianzeni ad Posthumianum Præfect. Prætorii, & Saturninum Consul. epist. *Greg. Nazia. epist. 71. tom. I. pag. 367.*

Jesu Chr. An. 383. Epist. 72.

pto, quod de Ecclesiis anxii, & solliciti sumus, tam fœde perturbatis. His quacumque ratione potueris, communem concordiam, & re, & sermone impigre constitue, quandoquidem rursus Episcopi [illegible] nt, ac metuendum rursus est, ne nunc quoque pudore [illegible] ur, si hæc Synodus parum lætum finem habuerit, quem [illegible] & prius &c. Hæc, & alia Nazianzenus Ecclesiarum sollicitudinem, & curam gerens; timebat enim, ne, ut alias experimento didicerat, Episcoporum synodus, sive collatio, ad procurandam hæreticorum conversionem ab Imperatore indicta, aut irritum, aut infaustum sortiretur effectum.

Gregorius Nazianz. ad comprimendos hæreticos Nectarium excitat. Gregor. Nazianz. orat. 46. p. 640.

9. Cum vero ob Nectarii benignitatem, seu magis socordiam Constantinopolitana Ecclesia ab hæreticorum copia, & fraudibus premeretur, Nectarium dormitantem stylo suo excitavit: ad quem post plurima, ut eos Imperatoris etiam auctoritate coercendos curet, his hortatur verbis: *Quomodo igitur excelsus, & præstans animus tuus ad tanti mali correctionem consueta libertate uti non sustinuit? Verum etiamsi nondum hoc factum est, nunc saltem inimitabilis tua, numerisque omnibus absoluta virtus excitetur, ac pientissimum Imperatorem doceat nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesias studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sane eversionem per eorum libertatem, licentiamque prævaleat.* Hactenus ad Nectarium Gregorius; Nectarius vero ea epistola, seu oratione excitatus, Imperatorem ad[illegible]b eoque, ut hæreticorum conventicula pro[illegible]ur anno sequenti lege ad Cynegium Præfectum Prætorii data, promeruit, ut ibidem videre est.

Gregorius Nazianz. Eleusium non jejunantem redarguit. Greg. epist. 77

10. Non eos solum, qui a Fide catholica dissidebant, Nazianzenus verbo, & scriptis coercuit, sed eos etiam, qui corruptis moribus vivebant. Exemplo sint ea, quibus Eleusium Præfectum redarguit, eo quod jejunium violaret, ac obscœna spectacula fieri permitteret, ad quem sacerdotali libertate hæc habet: *Excepi te etiam tacentem, ut silentii quoque sermonem esse intelligas, per calamum se proferentem. Loquar autem, quæ & amicitiæ nostræ, & hujusmodi tempori conveniunt. Inique agis, o Judex, qui non jejunas; & quomodo leges humanas servabis, qui divinas contemnis, ac pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, seipsum traducere est; in summa, o Judex, te judicium subiturum esse scito, & mi-*

& minus peccabis. His nihil melius habebam, quod tibi præberem. Hactenus Gregorius, qui etsi Arianzi in solitudine lateret, pro opportunitate tamen Episcopi partes implebat, ut dicere posset: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Sed de Gregorii gestis hactenus.

Psalm. 118.

11. Sydensis in Pamphilia Synodus hoc tempore adversus Messalianos celebrata est, cui Amphilochius Iconii episcopus præfuit, ut narrat Photius: *Synodum Sydæ factam adversus hæresim Messalianorum, idest Eucheitarum, vel Adelphiorum. Præfuit Synodo Amphilochius Iconii Episcopus, considentibus & aliis vigintiquinque Episcopis.* Phot. ætate ejusdem Synodi extabat synodica epistola ad Flavianum Antiochiæ episcopum data, qua accepta Flavianus synodum indixit adversus eosdem hæreticos, accedentibus tribus Episcopis, Biza Seleuciæ, & Marutha gentis Supharenorum, & Sama, quibus Presbyteri, & Diaconi triginta sese conjunxerunt. Inter cætera Antiochena hæc synodus noluit Adelphium pœnitentiam profitentem, hæresimque abjurantem admittere, eoquod ficte hæresim abjurasset, ac pœnitentiam simulasset. Hujus hæresis auctores fuere Adelphius, vir plebejus, & privatus, & Sabbas Monachorum habitum perferens, alter item Sabbas, & Eustachius, & Dadoes, & Semesones, aliique his adhærentes. Sydensis, aut Antiochensis Synodi anathemate extincta nequaquam est Messalianorum hæresis, quæ diu propagata, sæculo quinto e cineribus erumpens, aliis Synodis, & Episcoporum Epistolis iterum damnata fuit, ut pluribus narrat Photius.

Synodus Sydæ contra Messalianos. Phot. Cod. 52. pag. 17.

12. Qua ratione Messalianorum errores Episcopi & detexerint, ac profligaverint, pluribus narrat Theodoretus, adnotatque familiare iis fuisse, catholicam simulare fidem, hæresimque, qua laborabant, impudentissime negare. Ob quam causam Letojus Melitinensis Ecclesiæ episcopus, cum videret multa monasteria, immo vero speluncas latronum hunc contraxisse morbum, ea incendit, & lupos ovina pelle tectos inde abegit. Eodemque modo Amphilochius Iconiensis antistes cum intellexisset, eam perniciem Diœcesim suam invasisse, inde repulit, gregemque sibi commissum ab ea labe eripuit. Flavianus vero Antiochiæ episcopus cum accepisset, hos Edessæ civitatem agere, & hæresis venena in vicinorum animos infun-

Qui fuerint Messalianorum errores. Theod. hæret. fab lib. 9. cap. 10. 11.

Jesu Chr. An. 383. infundere; missa ad eos Monachorum turba, deduxit Antiochiam, & morbum, quem pernegabant, extorsit. Adelphium etenim sectæ Principem, ac ætate senem ad se vocatum benigne excepit, multisque verbis commendavit, quasi virum Spiritu Dei plen[illegible] quibus ille verbis delinitus, venenum occultatum expro[illegible] ut universum, *dixitque divini Baptismi lavacrum his, qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse, sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere; nam singulos, qui edantur in lucem ex primo parente, ut naturam, ita dæm[illegible]m servitutem traxisse: quibus ex animis oratione expulsis, [illegible]ritum Sanctum deinceps accedere, suamque præsentiam tum sensibus, tum visui ostendere; & non corpus solum perturbationum motibus liberare, sed etiam animum inclinatione ad deteriora prorsus eripere; adeo ut de cætero, neque jejunio opus sit ad corpus coercendum, neque doctrina ad refrenandam ejus libidinem, & ad danda præcepta, quibus recta vivendi via incedere discat; & qui sit hujus rei compos factus, non modo a lascivis corporis concitationibus liberum fore, verum etiam prævidere futura, & sanctam Trinitatem oculis cernere*. Cum hæc non sine animi mœrore ab eodem Adelphio audisset Flavianus: *O malis diebus onuste*, ait, *& inveterate, tuum ipsius os te coarguit, haud ego, tua labia contra te testimonium dicunt!* Itaque erroris morbo retecto, Syria expulsi sunt hæretici: at illi in Pamphiliam profecti, suam in ea provincia pestem detulerunt; hinc factum ut a Sydensi in Pamphilia Synodo anathemate ferirentur; cujus Synodi occasione hæc de Messalianis, eorumque erroribus adnotavimus. Horum initia ad tempora Valentiniani, atque Valentis refert Theodoretus loco supracitato; a quo non multum differt Epiphanius, quos *sub Constantii fere tempora* prodiisse narrat; nam inter Constantii, & Valentiniani Imperium perbreve tempus intercessit. Iidem Saccophori quoque dicti sunt, eo quod continuas preces, & sanctimoniam affectantes, saccis induerentur, ut paupertatem ostentarent, ut idem Epiphanius tradit; quos multa alia errorum capita docuisse, narrat Damascenus in suo de hæresibus libro, a Cotelerio edito.

Epiph. hær. 80. 1.

Coteler. mon. Eccl. Græc. p. 302.

De hæreticis Tascodrogitis.

13. Messalianis affines erant Tascodrogitæ, quorum meminit Epiphanius, quos ex Cataphrigum secta fuisse tradit; eo nomine vocati, *quod inter orandum indicem manu digitum naso*

Epiph. hær. 48. 14.

naso imponunt, ut animi tristitiam, & affectatam quamdam sanctitatem praeseferant, a nonnullis ideo Tascodrogitae appellantur; nec ab his dissimiles ii, quibus Philastrius, & Augustinus Pattalorinchitarum nomen imponunt: *Pattalaronchitae*, ait Augustinus, *in tantum silentio student, ut naribus, & labiis suis digitum imponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce praeripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur*; unde a palo, & nasu illis nomen inditum est: eadem fere de iisdem tradit Philastrius. Sed de Haereticorum hujus aetatis deliriis plura apud Epiphanium, Augustinum, Philastrium videri possunt.

Aug. de haer. 63.

14. Quo tempore Arcadii inauguratione Orientale Imperium illustratur, Gratiani interitu Occidentale concussum est, cum Maximus Britanniae Dux Gratianum dolo interemptum occidit, ut narrant Historici. Natales Maximi, & patria obscuriores fuere, quem Hispanum fuisse tradit Zozimus: *Germen plantationis Brittannicae* a Gilda dicitur, & ab Ausonio de claris urbibus *Raputinus latro*, eo quod in Britannia tyrannidem usurpaverit; hinc Socrates: *Maximus ex partibus Britanniae arma contra Imperium Romanum tulit*, unde & Britannum fuisse alii tradiderunt; & aliunde tamen, non in Britannia ortum fuisse ex Pacato scimus auctore coevo in panegyrico post devictum Tyrannum, Theodosio recitato, quo ait: *Homines insulanos totius incendium continentis adolevisse, & regali habitu exulem suum illos exules Orbis induisse*, ipsumque Maximum *extorrem, patriaque fugitivum appellat*, quibus indicat tanquam exulem inter Britannos vixisse. At etsi in obscuro fuerit Maximi patria, Imperio tamen non indignum fuisse, ait Orosius: *Maximus vir quidem strenuus, & probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset*. Ad rebellionem milites Britannicos *incitabat Maximus natione Hispanus, qui Theodosio Principi in Britannia commilito fuit*, ait Zozimus. Quod ut facilius persuaderet, ex Theodosii consensu rem a se geri affirmabat, quod & fassus est, dum in Theodosii conspectum venit, ut narrat Pacatus: *Ad tuam primam vocem*, inquit, *nefario pectori excussa confessio est, nec cunctari saltem aut mussitare potuit, quin consilium omne nudaret, se videlicet favoris tui obtendisse praetextum; quod aliter non potuisset allicere militum societates, nisi se*

Maximus adversus Gratianum rebellat.

Zozim. lib. 4. 35.
Vict. epist.
Socr. l. 5. 11.
Sozom. lib. 7.

JESU CHR. AN. 383. *se auctoramenti tui finxisset auctorem*. Ut vero dignior etiam Imperio appareret, salutari etiam Lavacro expiari voluit, ac Fidei Catholicæ sectatorem se esse simulavit. Hinc ad Siricium Papam: *Fidei vero Catholicæ, de qua clementiam nostram consulere voluisti, quo majus circa me, & speciale judicium Divinitatis experior, hoc me confiteor curam habere majorem, qui videlicet ad Imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim.*

Coutan. p. 640

Gratianus Imperator a Maximo occiditur.

15. Ut malis artibus partum Imperium sibi firmaret Maximus, e Britannia solvens, in Gallias transiit, quo cum properasset Gratianus, ut Tyranno sese objiceret, ac in conspectum Maximi adfuisset, a suis proditus, & maxime a Mauris equitibus, qui in Maximi partes transierant, dum fugam tentabat, ab insequentibus Maximi militibus captus, occisus est: *Gratianus ab exercitu suo proditus*, ait Hieronymus, *& ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti fuit, cruentæque manus vestigia parietes tui Lugdune testantur*. Socrates vero rem gestam sic narrat: *In rheda, quæ lecticæ speciem præseferebat, quæque a mulis gestabatur, Andragasius Maximi dux occultatus, præcepit, ut satellitibus Imperatoris denunciaretur, Imperatoris Gratiani conjugem in ea vectam esse, Imperatorique fluvium Rhodanum, qui Lugdunum urbem Galliæ præterfluit, trajicienti obviam procedere. Imperator itaque conjugem esse ratus, insidias haudquaquam evitavit; sed in hostis manus tanquam cæcus in fossam imprudens incidit, nam Andragasius e rheda desiliens Gratianum interfecit*. Hæc Socrates, eademque Sozomenus. At Zosimus rem aliter narrat, & cum Hieronymo magis consentit; quorum sententia verosimilior est. In eo tantum erravit dum Singidunum pro Lugduno posuit; nam Lugduno interfectum fuisse, ex Hieronymo, & Ruffino scimus. Optimum Principem in mortis exitu Ambrosium interpellasse, idem Ambrosius narrat: *Tu me*, inquit, *inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem*. Octavo Kal. Septembris occisus est Gratianus, cum annorum esset vigintiquatuor, aut circiter, ut habent Socrates, & Sozomenus: *Imperavit autem cum Patre Valentiniano annos octo dies octoginta quinque; cum patruo, & fratre tres*, cum Valente scilicet, & Valentiniano juniore, & puero, *cum eodem fratre*, post Valentis obitum, ac cum Theodosio quatuor, *& tam his omnibus, accedente Arcadio menses sex*,

Hieron. epist. ad Heliodorum 39.

Socrat. lib. 5. 11.

Sozom. lib. 7. 13.

Zosim. lib. 4.

Hier. ut supr. Ruffin. lib. 2. 14.

Ambros. orat. in funere Valent. tom. 4. pag. 274.

Socr. Sozom., ut supra.

sex, &c. Cum Gratiano extincti sunt ejusdem amici, & necessarii, inter eos Balio, & Merabaudes hujus anni Consul, ut narrat Pacatus. Hanc Maximi crudelitatem in Balionem clarissimum virum Ambrosius, dum apud eum legationem obiret, exprobravit, ut in relatione ad Valentinianum de gestis cum Maximo narrat: *Quos occidi*, ajebat Maximus, *respondi ei Balionem; at quem virum, qualem bellatorem? Haccine fuit justa causa exilii, quod Imperatori suo fidem servavit? Non ego*, inquit, *eum jussi occidi, respondit: hoc audivimus, quod occidi jussus sit. Sed inquit, si ipse sibi vim non intulisset, jusseram, eum deduci Cabillonum, & ibi vivum exuri. Ergo propterea & illud creditum est, quod eum occideris. Quis autem sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes utilis?*

Jesu Chr. an. 383.

Ambr. ep. 27.

Gratiani pietas commendatur.

16. Longiori vita, melioriqne exitu dignus fuisset Gratianus, si juxta virtutum merita longior, feliciorque vita daretur; nam coævi Scriptores multis laudibus pietatem ejus celebrarunt. Audiatur Victor in Epitome: *Litteris fuit haud mediocriter eruditus, carmen facere, ornate loqui, explicare controversias Rhetorum more, parcus cibi, somnique, & vini, ac libidinis victor.* Multo digniora sunt, quæ de Gratiani moribus narrant Ruffinus, & Ambrosius, ex quo pauca subdimus: *Fuit ipse fidelis in Domino, pius, atque mansuetus, puro corde, fuit etiam castus in corpore, qui præter conjugium nescierit feminæ alterius consuetudinem*; cujus laudes alibi pluribus prosequitur, Maximi crudelitatem ex eo maxime arguens, qua Pilatum vicerat; dum hic Josepho ab Arimathea permisit, ut tolleret corpus Jesu Christi, & sepeliret, Maximus vero Valentiniano corpus defuncti fratris negavit. Pro funere tanto Imperatori debito Ausonii laudes addimus in oratione, quam de Gratiani virtutibus recitavit, qua inter plura adnotat, eum in cibo & potu abstinentissimum fuisse, & in continentia præclarum, in officiis vero præstandis adeo promptum, ut amicos ægrotantes inviseret, variisque modis sublevaret; deinde: *Legionibus universis, ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria, satin salvæ, quærere: tractare vulnera sauciorum, & an salutiferæ apponerentur medelæ, atque, ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibos, te exhortante, sumpsisse. Audivi confirmantia ad salu-*

Ruff. lib. 2. 13. Ambr. orat. in obitu.

Ambros. in Psalm. 61.

JESU CHR. AN. 383. *salutem verba profari, occurrere desideriis singulorum: hujus sarcinas mulis aulicis vehere, his specialia jumenta præbere, illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumptu, horum nuditatem velare vestitu; omnia agere indefesse, & benigne, pietate maxima, ostentatione nulla, omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis*. Hæc, & alia plura Ausonius Consul in Gratiani laudem, cujus pietatem commendat lex, hoc anno Patavii data, qua Christianæ fidei apostatas gravioribus pœnis subjici jussit; prout *vel Divalis arbitrii genitor Valentinianus adscripsit, vel nostra nihilominus decreta jusserunt*, ita tamen ut ultra quinquennium contra eos, qui jam obierant, ob Apostasiæ crimen, actio non admitteretur. Data XII. Kal. *Junii Patavii Merabaude II. & Saturnino Coss.*

Ambrosius Maximo Legatus mittitur.

Ruffin. lib. 2. 35.

17. Post Gratiani necem, ut Imperio successorem sibi quoque eligeret Maximus, filium suum Victorem primum Cæsarem, deinde Augustum renunciavit, ut vetera Numismata docent. Valentinianus vero *in Italia degens*, ait Ruffinus, *fratris nece, atque hostis metu perterritus, simulatione oblatam pacem a Maximo simulans, ipse quoque libenter amplectitur*. Hujus temporaneæ pacis sequester Ambrosius fuit, quem audito fratris interitu Valentinianus ad Maximum misit; bis etenim apud eumdem tyrannum eo officio functus est Ambrosius, primum hoc anno, ut aliqualem concordiam Valentinianum inter & Maximum conciliaret, & ut defuncti Gratiani corpus in Italiam sepeliendum deferret. Et iterum altero ab hinc anno, ut Maximum ab inferendo bello revocaret; quas binas legationes in unam confundit Paulinus in vita Ambrosii; at ipse Ambrosius utriusque non semel meminit in oratione de funere Valentiniani: *Ego tuus iterum Legatus repetivi Gallias, & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pace, atque pietate, qua fraternas reliquias postulabas, nondum pro te securus, & jam pro fraternæ sepulturæ honore sollicitus*; hæc ipse. Extat etiam ejusdem Ambrosii relatio secundæ Legationis, in qua primæ his verbis meminit: *Non commisisses secundam Legationem, nisi primam probasses*; cujus quidem acta etsi exciderint, ex ipsius tamen Ambrosii epistola, qua de illatis sibi a Justina Imperatrice Ariana injuriis conqueritur, scimus Ambrosii oratione, Maximum tunc

Ambros. orat. in fun. Valentiniani.

Ambros. epist. 33.

tunc fuisse prohibitum, ne in Italiam irrumperet, de quibus idem Maximus cum Ambrosio, dum secundam apud eum Legationem ageret, conquestus est: *Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego sim Valentiniani*, inquit, *qui se meæ legationis objectu queritur, ad Italiam non potuisse transire*. Sed de Maximi gestis, deque ejusdem legatione ad Theodosium Augustum, ut in Imperii consortium admitteretur, anno sequenti; nunc alia in Italia gesta videamus.

Roma, & Italia fame afflicta.

18. Dum civile bellum ob Maximi rebellionem in Galliis gereretur, Urbs ipsa cum tota Italia annonæ caritate laborabat. Ob neglectum Deorum cultum eam calamitatem immissam fuisse scribebat Symmachus: *Refectum annonæ*, inquit, *timemus, pulsis omnibus, quos exerto, & pleno ubere Roma susceperat. Fac, ut his remediis convalescamus, quanto nobis odio provinciarum constat illa securitas. Dii patrii facite gratiam neglectorum sacrorum, miseram famem pellite, quamprimum revocentur nostri, quos invita dimisit*. Hæc Symmachus, eodemque loco consilium, ut peregrini Urbe pellerentur, improbat, quod etiam Ambrosius, utpote christianæ pietatis inauditum facinus, exagerat: *Quanto hoc utilius*, inquit, *quam illud, quod proxime Romæ factum est, ejectos esse Urbe amplissima*, incolas scilicet, *qui jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates? Et certe arriserat anni fœcunditas; invectitio Urbs sola egebat frumento; potuisset juvari, si peterent ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur. Nihil hoc turpius, extrudere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum ejicis, qui de suo pascitur? Quid illum ejicis, qui te pascit? Servum retines, trudis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impertis? Victum extorques, nec rependis gratiam? Quam deforme hoc, quam inutile? Quo modo enim potest utile esse, quod non decet? Quantis corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata est? potuit & illos non amittere, & evadere famem, expectatis ventorum opportunis flatibus, & speratarum commeatu navium*. Hæc Ambrosius, qui illustre exemplum, & imitatione dignum paulo post subjicit de alio Urbis Præfecto, qui, urgente dira fame, peregrinos ejici prohibuit: *Quanto ille rectius*, inquit, *qui cum jam provecta processisset æta-*

Symmach. lib. 2. epist. 7.

Ambr. off. lib. 2.

Ambr. off. lib. 3. 7.

ætate, & famem toleraret Civitas, atque ut in talibus solet, peterent vulgo, ut Peregrini Urbe prohiberentur? Præfecturæ urbanæ curam cæteris majorem sustinens convocavit honoratos, & locupletiores viros poposcit, ut in medium consulerent, dicens, quam immane esset, peregrinos ejici, quam hominum ab homine exui, qui cibum morienti negaret. His alterum commemorare poterat exemplum, dum urgente fame sub Augusto, gladiatores tantum, venaliaque mancipia ultra octoginta millia passus ab Urbe rejecta fuerunt, non vero liberi homines, sive cives, sive peregrini essent. Ejusdem famis meminit iterum Symmachus in relatione ad Valentinianum anno sequenti, atque alimenta negata a Diis asserit, ob negata stipendia Vestalibus virginibus, aliisque Deorum sacerdotibus: *Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.*

Dio Hist. Rom lib. 55.

Relatio Symmachi Apud Ambr. tom. 3. epist. 17. pag. 871.

Ambrosius Symmachum confutat.

Ambr. ep. 31.

19. Quam inaniter ex neglecto Deorum cultu famem immissam fuisse argumentaretur Symmachus, his verbis demonstravit Ambrosius: *Quæ autem æquitas*, ait, *ut paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, qui omnibus denegarent, cum inclementior esset vindicta, quam culpa? Non est igitur idonea, quæ tantam ægritudinem Mundi fallentis causa constrinxerit, ut virentibus segetibus, subita spes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto Orbe sublata sunt. Modone demum Diis gentium venit in mentem suas injurias ultum iri? Propterea nec assueto cursu Nylus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum? Esto tamen si superiore anno Deorum suorum injurias vindicatas putant, cur præsenti anno contemptui fuere?* cum scilicet rei frumentariæ fertilitas subsecuta esset, ut eodem loco pluribus persequitur Ambrosius; quæ etsi anno sequenti scripserit, quo & Symmachus ad Valentinianum relationem misit, hoc tamen loco eorum mentionem fecimus, cum ad famem, quæ hoc anno Urbem afflixit, pertineant. Cætera anno sequenti reservamus.

JE-

JESU CHRISTI AN. 384. SIRICII PAPÆ I.
VALENTINIANI IMP. 10. THEODOSII IMP. 6.
ARCADII IMP. 2. COSS. CLEARCHO, ET RICHOMERE.
OLYMP. 290. AN. 4. AN. URBIS 1137.

1. Cum urbana Præfectura fungeretur Symmachus, ut leges ad eum hoc anno datæ testantur, accidit, ut Prætextatus inter Ethnicos celeberrimus, & in annum sequentem Consul designatus, antequam consularem trabeam indueret, moreretur; de cujus obitu tres extant epistolæ Symmachi ad Imperatores, in quibus multa de ejusdem laudibus congerit, ac ut in ejus honorem statua erigeretur, licentiam petit, atque inter cætera: *Licet Vettius Prætextatus naturæ lege solutus sit, vivit tamen in homine præmium, sed judicium post hominem perseveraret. Probate, casibus adversus gloriam nihil licere. Nam quod meruit a civibus singulare est: illud multis commune, quod perdidit.* Hucusque Symmachi epistola ad Imperatores pro erigenda statua Prætextato viro clarissimo, quam erectam fuisse, ex veteri inscriptione, quæ in basi statuæ eidem erectæ posita erat, scimus.

Prætextatus obiit.
Cod. Theod. de senten. ex peric. rec. leg. 4. & l. 44. de appell.
Symm. lib. 10. epist. 23. 24. 25.

Baron. 384. 3.

2. Prætextati obitus eo tempore contigit, quo Hieronymus Romæ degens Leæ viduæ obitum audivit, unde de utriusque post obitum diversa sorte, hæc ad Marcellam scribens, adnotavit: *Cum hora ferme tertia hodiernæ diei septuagesimum secundum psalmum, idest tertii libri principium legere cœpissemus.... Repente nobis nunciatum est, sanctissimam Leam exiisse de corpore, ibique ita te corruisse conspexi, ut vere aut pauca, aut nulla sit anima, quæ fracto vase testaceo non tristis erumpat; & tu quidem, non quod futuri incerta esses, dolebas, sed quod triste funeri obsequium non dedisses. Quæras, quo pertinet ista replicatio? respondeo tibi verbis Apostoli, multum per omnem modum. Primo quod universorum gaudiis prosequenda sit, quæ, calcato diabolo, coronam jam securitatis accepit. Secundo ut ejus vita breviter explicetur. Tertio, ut designatum Consulem de suis sæculis detrahentes, esse doceamus in tartaro. Et quidem conversationem Leæ nostræ quis possit digno allevare præconio?* Post multa in ejusdem laudem dicta, hæc addit: *Nunc igitur pro brevi labore æterna beatitudine fruitur,* exci-

De obitu S. Leæ.
Hier. epist. 23
Diversa Leæ, & Prætextati post obitum sors.

JESU CHR. AN. 384. *excipitur Angelorum choris, Abrahæ finibus confovetur, & cum paupere quondam Lazaro, divitem purpuratum, & non palmatum Consulem, sed atratum, stillam digiti minoris cernit inquirere*. Deinde: *O quanta mutatio rerum! ille quem ante paucos dies dignitatum omnium culmina præcedebant, qui quasi de subjectis hostibus triumpharet, Capitolinas ascendit arces, quem plausu quodam, & tripudio populus Romanus excepit, ad cujus interitum Urbs universa commota est; nunc desolatus, & nudus, non in lacteo Cœli palatio, ut uxor infelix, sed in sordentibus tenebris continetur &c.* S. Leæ memoria undecimo Kal. Aprilis quotannis celebratur.

Symmachi Libellus pro restituendo Deorum cultu.

3. Ad Symmachum Urbis Præfectum revertimur, qui cum videret puerum Valentinianum Imperatorem, ob Maximi tyrannidem, & fratris interitum, adhuc trepidare, opportuna occasione usus, libellum, pro restituendo deorum cultu, Gratiani legibus vetito, Valentiniano Imperatori misit, quo etiam, ut ara Victoriæ Senatui restitueretur; & ut Vestalibus, aliisque deorum sacerdotibus stipendia redderentur, petiit; utque facilius petita obtineret, non tam suo, quam Augusto Senatus Romani nomine, supplicationem seu relationem inscripsit; hinc duplici titulo se eam causam agere ajebat, Præfecti scilicet Urbis, & Legati Senatus amplissimi: *Ut Præfectus vester*, inquit, *gesta publica prosequor, & ut Legatus civium mandata commendo*; & in primis quid peteret, his verbis indicat: *Repetimus religionum statum, qui Reipublicæ diu profuit*. Deinde cætera, quæ ethnicæ religionis libertatem, & decorem spectabant.

Apud Ambr. tom. 3.

Ambrosius Symmacho, ejusque petitionibus resistit.

Coutan. p. 602

4. Curaverat vir callidus, & in rebus gerendis miræ dexteritatis, ne hujuscemodi libellus ad Ambrosii Episcopi cognitionem veniret, quem suis votis infensissimum alias expertus fuerat. At diu meditatum facinus Ambrosio celari non potuit; nam Damasus Papa, & Christiani Senatores (quorum numerus major, quam Ethnicorum erat) Ambrosio Symmachi consilia retulerunt, testantes se Symmachi libello nullatenus subscripsisse; quin ipsis invitis, Senatus nomine, Symmachum ea postulasse. Ambrosius itaque, ne a puero Imperatore indignum quidquam extorqueretur, continuo epistolis suis Imperatorem convenit, eumque ne a Symmacho petita concederet, deterruit; Christiano quippe Imperatori indignum fore

re

re demonstrans, antiquatum Idolorum cultum restituere: *Cum per totum fere Orbem a pluribus retro Principibus*, inquit, *inhibita interdictaque sint, Romæ autem a fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis; ne quæso, vel fideliter statuta convellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negotiis civilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum; & præceptum de Religione calcatur?* Ne vero clarissimi viri Symmachi moveretur auctoritate, illud inculcat: *Deferendum merito clarorum virorum, & ego suadeo, sed Deum certe esse omnibus præferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in præliis viri expectari sententia, quando de Religione tractatus est, Deum cogita. Nullius injuria est, cui Deus omnipotens antefertur, &c.* Illudve caveudum vehementer ingerit, ne putaret ab universo Senatu rogari, quod per Symmachum peteretur, sed per injuriam ab eo usurpatam fuisse Senatus auctoritatem, cum id a paucioribus ethnicis tentatum fuisset. Valentinianum insuper admonuit vir sanctus, ut petitionem illam ad Theodosium Imperatorem deferret, atque in causa Religionis Episcopos consuleret. Petiit etiam, ut relationis exemplum sibi refutandum traderet, ac tandem, ut Valentinianum ab eo facinore deterreret, hæc Ambrosius eidem comminatus est: *Certe*, inquit, *si aliud statuitur, Episcopi hoc æquo animo pati, & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam convenire, sed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies resistentem. Quid respondebis Sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa Gentilium muneribus adornasti; ara Christi dona tua respuit, quorum aram simulacris fecisti &c?* Et ne puerilem ætatem in sui erroris defensionem Valentinianus afferret, hæc iterum Ambrosius addidit: *Quid respondebis his verbis? Puerum esse te lapsum? Omnis ætas perfecta Christo est, omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur; parvuli etiam Christum intrepido adversus Persecutores ore confessi sunt.* Hæc autem s. Doctor non tam ad Valentinianum, quam ad Justinam ejus matrem, cujus arbitrio Imperium pro lubitu administrabatur. Cum vero Ambrosio licuit habere præ manibus Symmachi libellum; tanta rationum evidentia confutavit, ut absque dilatione victoriam tulerit; eamdemque relationem, seu libellum

Jesu Chr. An. 384.

Symmachi, paulo post Aurelius Prudentius vir Consularis elegantibus etiam versibus redarguit.

Vestalis virginis lapsus debita pœna coercendus. Symm. epist. 118. 119.

5. Dum Symmachus pro vestalibus virginibus apud Imperatores advocatum ageret, earum princeps turpi lapsu professionem suam violavit, cum Maximo quodam incestus crimine convicta; quam Symmachus sacrorum rituum vindex debito supplicio affici jussit: *More, institutoque majorum*, inquit, *incestum Primigeniæ dudum apud Albam Vestalis Antistitis, Collegii nostri disquisitio deprehendit; quod & ipsius, quæ contaminavit pudicitiam sacram, & Maximi, cum quo nefandum facinus admisit, confessionibus claruisse, gesta testantur. Restat, ut in eos, qui cæremonias publicas abominando scelere polluerunt, legum severitas exeratur &c.* Et alia epistola narrat se Urbis Præfecto jussisse, quoniam tanti criminis rea Urbem intrare non debebat, neque ad longinqua deduci decebat, cum Maximo criminis socio, ut potestatem in provincia delegaret, quæ Primigeniam debita afficeret pœna.

Querelæ adversus Symmachum delatæ.

6. Hoc etiam anno libellus Imperatori Valentiniano oblatus est adversus Symmachum Urbis Præfectum, quasi Christianos ab Ecclesiis avulsos, carceri mancipasset, ac quosdam Episcopos in vincula conjecisset. Valentinianus autem ob Christianæ Religionis contemptum commotus, Symmachum duriuscule increpavit, ac vinctos illico emitti jussit. Falso tamen hæc nunciata fuisse, datis ad Imperatorem litteris probavit Symmachus, testemque innocentiæ suæ Damasum Pontificem adhibuit: *Scio quidem*, inquit, *naturæ humanæ vitio, probitatem subjacere livori; sed miror eo progressas insidias æmulorum, ut crudo mendacio insontis fama peteretur, DDD. Imppp.* deinde post aliqua: *Flevit, credo, scenæ istius fabricator, cum de Ecclesiæ penetralibus raptos ad tormenta simularet, cum de longinquis, ac de finitimis urbibus duci Antistites in vincula describeret*; deinde post alia: *Respondeant litteris Episcopi Damasi, quibus assectatores ejusdem Religionis negavit ullam contumeliam pertulisse. Quare credatur ejus legis Antistiti, quæ læsa simulatur; credatur Præfecto, qui perennitatis vestræ admonitus edicto, miratur in procinctu creditum, quod Roma nescit admissum*. Cum vero jussisset Valentinianus, vinctos Christianos statim dimitti; subdit Symmachus: *Ignoro quos potissimum præceperitis absolvi: tenent quidem leges vario-*

riorum criminum reos, sed ut comperi a mysterio Christianæ legis alienos. Quid igitur æternitas vestra decernat, devotus opperior, &c. Hæc Symmachus pro sui excusatione, seu potius defensione; cui etiam Damasus Papa, quem in hac causa testem advocavit, adstipulatus est.

7. Usque ad labentem annum vitam cum Pontificatu tenuisse Damasum, inde constat, quod enim in sui defensionem Symmachus testem adhibuerit apud Valentinianum Imperatorem. Hoc tamen anno die undecima Decembris vivere desiit, ut Prosper tradit in Chronico: *Sepultus est in Basilica sua tertio Idus Decembris, cum matre sua, & germana,* ait auctor Pontificalis: translatus exinde in Ecclesiam S. Laurentii, quam ipse ædificaverat, quæ postea s. Laurentii in Damaso dicta est. Inter Ecclesiasticos Scriptores a Hieronymo inscriptus: *Damasus Romanæ Urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit; multaque, & brevia opuscula heroico metro edidit, & prope octuagenarius sub Theodosio Principe mortuus est.* Multa quidem extant ejusdem carmina, & epistolæ, quas post Sarazanium, Merenda s. Laurentii in Damaso canonicus collegit, tantique Pontificis gesta, & opera illustravit. Inter Damasi Opuscula liber Pontificalis inscribitur; falso tamen tanto Pontifici adscribi, vel ipse Baronius fatetur; de quibus plura apud Schelestratum, aliosque, qui in Anastasium notas scripserunt, videri possunt. De cæteris vero Decretis, & scriptis Damaso, falso attributis pluribus agit Coutantius. In Damasi locum Siricius hoc eodem anno ordinatus est, ut ex ejusdem Siricii Epitaphio colligitur; aliqui tamen usque ad sequentem annum ejus ordinationem differunt; qua de re nemini litem facimus.

Damasi Pontificis obitus cui Siricius succedit.

Baron. Pag. ad hunc annum. Merenda in vita Damasi, alibique passim. Hier. de vir. illustr. in Damaso.

Merenda Opuscula, & gesta S. Damasi.

Bar. an. 867. n. 139.

Schelest. antiq. Eccles. dissert. 3. cap. 6. Coutan. p. 603

Siricius Romanus Pontifex ordinatur.

8. In scenam nunc clarissimus vir prodeat, quem Symmachus Præfectus Urbis, labente anno Mediolanum, ad eloquentiam edocendam misit. Is est Augustinus, qui etsi hoc tempore Manichæorum laqueis adhuc teneretur, non multo tamen post, Baptismate suscepto, pietati, & sacrarum Litterarum lectioni cum totus se dicasset, tantos in salutis via, & Scripturarum studio profectus fecit, ut inter Ecclesiæ Doctores nemini secundus habeatur, ut ex ejusdem historia patebit. Nunc de illius ortu, parentibus, & gestis usque ad hunc annum nonnulla, vel breviter dicenda sunt.

Augustini patria, parentes, & gesta ad hunc annum.

Jesu Chr. An. 384.

Aug. de vita beata in princip.

Maurin. Augustin. vita c. 1

Norif. hist. Donat. p. 177. tom. 4. hist. Pelag. 7.

Pag. not. in Baron. ad an. 377.

Aug. Confess. lib. 4. 16.

Possid. Aug. vita cap. 27.

August. epist. ad Sororem.

Natus est Augustinus Tagaste in Africa *idibus Novembris*, ut ipse tradit in libro de vita beata, patre Patricio, & Monicha piissima fœmina anno 354., ut apud Maurinos, & Norisium videre est: *Beatus Augustinus*, ait Possidius, *ex provincia Africæ Civitate Tagastensi de numero Curialium, parentibus honestis, & Christianis progenitus erat*. Patricius Augustini pater Ethnicus erat, dum matrimonium cum Monicha iniit, ac diu in idolorum cultu perseveravit; sed tandem piis exhortationibus victus, suscepto Baptismate, ad Deum abiit, ut narrat Augustinus. Fratrem habuit Navigium nomine, cujus ipse in libro de Ordine meminit. Sororem etiam habuit, quæ ut ait Possidius, marito defuncto, Deo servivit *usque ad diem obitus sui, præposita Ancillarum Dei*; ad quam extant Augustini epistolæ de sacrarum virginum institutione; ex quibus monachalis Augustini Regula sumpta est.

Augustini studia & vitia.

Confess. lib. 1. 2.

Augustin. confess. lib. 4. 16.

9. Pueritiam Tagaste ludis puerilibus transegit; ubi & Grammatices rudimenta suscepit. Madauros deinde missus, humanioribus litteris vacans in Poetarum lectione maxime delectabatur. Quo tempore quantum juvenili æstu ad ludicra abriperetur, his testatur verbis: *Quam longe exulabam a deliciis domus tuæ anno illo decimo sexto ætatis carnis meæ!* Reversus Madauro ob necessitates domesticas, domi aliquandiu substitit. Carthaginem deinde anno ætatis suæ decimo septimo profectus, Christi vero 371., ut Rhetoricam disceret, spectacula, ac theatra ibidem lubenti[illegible]me frequentavit. Quo etiam tempore pater ejus Patricius ba[illegible]ate renatus, obiit. Philosophiæ dein amore captus, *quem* [illegible] *Hortensius Ciceronis excitaverat*, Aristotelis Categorias di[illegible]; quo etiam tempore cum sacros Codices in manus cepisse[illegible], illorum simplicitatem fastidiens, cito deposuit, ac c[illegible] spernens sacræ Scripturæ monita, in Manichæorum [illegible] incidit.

Augustinus in Manichæorum sectam transit.

Augustin. confess. lib. 3. c. 6.

10. *Incidi itaque*, [illegible], *in homines superbe delirantes, carnales nimis, & l*[illegible]*aces*. Deinde post aliqua: *Per idem tempus annorum novem ab undevigesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetrigesimum seducebamur, & seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus, & palam per doctrinas, quas liberales vocant, occulte autem falso nomine Religionis, hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani, ac popularis gloriæ sectantes vanitatem usque ad theatricos plausus, & contentiosa cer-*

certamina, & agonem coronarum fœnearum, & spectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum. Et infra: *Docebam illis annis rhetoricam, &c.*

11. Interea cum mater Augustini filii sui aberrationes jugiter deploraret, futurum aliquando, ut ad saniora consilia Augustinus rediret, per somnium admonita, aliquatenus recreata est, ut pluribus narrat Augustinus. Nam cum una secum eum in quadam regula lignea stantem vidisset, a juvene quodam admonita est, ut observaret filium suum eodem loco esse, quo illa erat, unde cum id Augustino narrasset, *& ego ad id trahere conarer, ut illa se potius non desperaret, futurum esse, quod eram, continuo sine aliqua hæsitatione: Non,* inquit, *non enim mihi dictum est: ubi ille, ibi & tu; sed ubi tu, ibi & ille;* Monicæ spem auxit, confirmavitque responsum Episcopi, cui cum illa persuadere conaretur, ut cum Augustino differens, eum a Manichæorum deliriis revocaret; se id tunc facturum negavit, addens indocilem adhuc inflatumque novitate doctrinæ eum esse; cumque illa profusis lacrymis instaret, urgeretque, ut cum Augustino differeret, ille tædio stomacatus: *Vade,* inquit, *a me, ita vivas, fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat. Quod illa ita se accepisse inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de Cælo sonuisset.* Hæc ipse, qui ad annum usque ætatis suæ trigesimum, Christi vero 383., in eodem Manichæorum luto hæsit: *Ecce jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto,* inquit, *hæsitans, dum dico, cras inveniam, ecce manifestum apparebo, & tenebo, & ecce Faustus veniet, & exponet omnia;* nam Faustus inter Manichæos celeberrimus erat. Ut vero cum Fausto sermonem habuit, neque is Augustini dubiis satisfecisset, ex eo tempore veritatem invenire se posse desperavit: *Interea egisti mecum, u[illegible]i persuaderetur Romam pergere;* quo autem consilio, & modo matrem fallens, id perfecerit, ipse Augustinus his verbis narrat:

Monicha Augustini conversionem prævidet.

August. vita Maur. tom. ult. Conf. lib. 3

Aug. Confess. lib. 5. 7. 8.

12. *Sed quare hinc abirem,* (idest Carthagine), *& illuc irem,* (idest Romam) *tu sciebas Deus, nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter planxit, & usque ad mare secuta est. Sed fefelli eam, violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret, & finxi, me amicum nolle deserere, donec vento facto, navigaret. Et mentitus sum matri,*

Augustinus Romam navigat.

JESU CHR. AN. 384. *tri, & illi matri, & evasi.* In Urbem cum venisset, apud Manichæum quemdam hospitio se acceptum fuisse tradit, ubi & ægrotavit. Ubi vero convaluit, cum Manichæis ut plurimum versabatur, ita tamen, ut ejus sectæ frigidus esset assertor; immo hospitem suum a magna fiducia illius hæresis revocare studeret. Eodemque tempore Helpidii cujusdam adversus Manichæos lecta disputatione, nonnihil se profecisse testatur, adeo ut contemptui etiam Manichæorum jam secta esset.

Augustinus Mediolanum mittitur, ut Rhetoricam doceret.

Augustin. lib. 3. 25.

13. Hoc autem anno a Symmacho Urbis Præfecto ad Rhetoricam Mediolano docendam missus est; quod tum ex Præfectura Symmachi scimus, tum ex iis, quæ idem Augustinus tradit in libro contra litteras Petiliani, ubi ait: *Cum ego Mediolanum ante Bautonem Consulem venerim, eique consuli Kal. Januarii laudem pro mea tunc Rhetorica professione recitaverim.* Cumque Bautonis Consulatus anno sequenti 385. inciderit, ubi Augustinus in ejus honorem orationem Kalen. Januarii recitavit, dicendum est, anno labenti 384. illuc advenisse, cum trigesimum ætatis suæ annum adhuc ageret. Mediolanum autem profectus est libentissime Augustinus, ut a Manichæorum consortio, a quibus missus fuerat, sese abalienaret, ut idem pluribus narrat. Mediolanum itaque cum advenisset, ab Ambrosio Episcopo benigne exceptus est, Augustinus vero Ambrosium amare cœpit, *primo quidem, non tanquam Doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me; & studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major, minorve proflueret, quam prædicabatur.* Hæc Augustinus de suo Mediolanum adventu, & de sua cum Ambrosio consuetudine; qua factum est, ut Manichæos penitus sperneret, non tamen ut ad Christianos, sed ad Academicos transiret. Eo namque animo Monicha mater ejus Mediolanum veniens eum invenit, plurimumque gavisa est, jam prævidens, paulo post Christianum futurum. Adhæserant Augustino gentiles ejus Alipius Hipponensis, & Nebridius Carthagine oriundus: horum prior Romæ ab Augustino inventus, una cum ipso Mediolanum perrexerat, Romanianus quoque municeps Hipponensis arctæ consuetudinis usu eidem Augustino proxime accedebat. Interea ejus concubina in Africam, unde venerat, rediit, relicto illi filio, quem ex

Aug. Confess. lib. 5. 13.

Augustinus ab Ambrosio benigne exceptus.

eo

eo susceperat, Adeodato; quibus solutus ille vinculis, e tenebris paulatim in lucem cœpit emergere.

14. Interea Monicha Augustini mater, de filii salute sollicita, Mediolanum advenit, quæ cum sacris conventibus frequens adesset, accidit, ut cum ad memorias Martyrum cibos afferret, sicuti in Africa agere consueverat, ab Ostiario prohiberetur: *Illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis, atque largiendis*. Deinde post aliqua: *Cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem & merum attulisset, & ab Ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie, atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta est*. Agaparum usum ab Apostolica traditione manasse, testis est Apostolus epistola ad Corinthios. At cum paulatim tot in eis abusus irrepsissent, ut jam Fidelibus scandalo essent, pia Episcoporum sollicitudine & auctoritate factum est, ut prohiberentur; ita ut Ambrosii exemplum, Augustino hortante, etiam Africani Episcopi imitarentur anno *399*. Cæterum ut Ambrosius Monicham novit, cum Augustino gratulatus est, quod sanctissimam fœminam matrem haberet; a qua rogatus Ambrosius de jejunio Sabbati, respondit, se aliarum ecclesiarum consuetudines non spernere, sed suæ mores sequi; itaut dum Mediolani esset, sabbato jejunaret, Romæ autem ejusdem Ecclesiæ morem servaret.

Monicha epulas ad Ecclesiam ferre, prohibetur.

August. confess. lib. 6. c. 2.

Ad Corinth. cap. 11.

Aug. epist. 118

15. Post initam cum Valentiniano pacem, ut adeptum perfidia Imperium firmius retinere posset Maximus, ad Theodosium quoque Legatos misit, ab eo pacem, & Imperii societatem postulans, quam a Theodosio, aliis distento curis, facile obtinuit, ut narrat Zosimus; quin properante in Ægyptum Cynegio Præfecto Prætorii, jussit Theodosius, ut Maximi imaginem Alexandriam deferret, eumque Imperii consortem declararet.

Maximus a Theodosio in Imperii societatem admittitur.

Zosim. lib. 4. 37.

16. Eodemque tempore etiam Persæ, qui Romani Imperii hactenus hostes fuerant, Legatione missa pacem petierunt; cujus ad hunc annum meminere Idacius in Fastis, & Marcellinus in Chronico: *Richomere, & Clearcho*, ait Idacius, *introierunt Constantinopolim Legati Persarum*; Marcellinus vero, sub hisce Consulibus *Legati Persarum Constantinopolim advenerunt, pacem a Theodosio Principe postulantes*; mul-

Persarum legatio ad Theodosium.

JESU CHR. AN. 384. multaque munera attulerunt, quorum Pacatus meminit: *Persis ipsa Reipublicæ nostræ retro æmula, & multis Romanorum Ducum famosa funeribus, quidquid unquam in Principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio. Denique ipse ille Rex ejus, dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem, & in his te colit templis, in quibus colitur, tum legatione mittenda, gemmis, sericoque præbendo ad hoc triumphalibus belluis,* (idest Elephantis) *in tua esseda suggerendis, etsi adhuc non est fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est.*

Honorius Theodosio nascitur.

17 Felicior adhuc Theodosio hic annus fuit, ob Honorii nativitatem, quem ex Placilla habuit: *Richomere, & Clearcho Coss. natus est Honorius, germanus frater Arcadii Imperatoris, mense Gorpiano, seu Septembri, quinto idus Septemb.*, ait Chronicon Alexandrinum; eademque Idacius in Fastis, & Socrates, quo loco subdit, eodem anno paulo ante Honorii ortum, Agelium Novatianorum Episcopum Constantinopoli obiisse. Ex Placilla quatuor filios Theodosius suscepit, idest Gratianum, qui puer obierat, Arcadium, qui paterni Imperii jam consors erat, & Honorium hoc anno natum, qui Occidentis Imperium obtinuit, & Pulcheriam; unde Gregorius Nissenus in oratione funebri Placillæ Augustæ: *Cum tres essent filii*, inquit, *qui virilis sexus erant, apud patrem reliquit, ut Regno ejus præsidio essent; ad suam vero partem solam filiam pertinere existimavit.*

Socrat. lib. 5. 12.

Gregor. Niss. orat. tom. 3.

Sisinius, Novatianorum Episcopi ordinatur.

Socrat. lib. 5. 12. 21.

18. Paulo ante Honorii ortum, Agelium Novatianorum Episcopum hoc eodem anno obiisse, tradit Socrates, ac Sisinnium morti proximum suo loco ordinasse addit. At cum Novatianorum plebs Sisinnii ordinationem ægre tulisset, & Marcianum Episcopum peroptaret, virum eximiæ pietatis, cujus opera ipsi Valentis principatu ab omni persecutione immunes permanserant; Agelius dolorem multitudinis lenire cupiens, Marcianum insuper ordinavit Episcopum, ita tamen, ut post ejus obitum, eamdem ecclesiam regeret. His subdit Socrates de Schismate inter Novatianos exorto sub Marciano Episcopo, de quibus ibidem plura videri possunt.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

Aria-

Dæmo-

D

F

L

pro

Necta-

T

Va-

V

Z

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 8. Seleucienſi Synodi.	Seleucienſis....
16. Via patuetuerit.	Via patuerit.
71. Extructæ ſubdit.	Extructa....
82. Magicaſque artes.	Magicæque artes.
107. Tanto honore.	Tanto honori.
110. Reſcripti auctoritare.	Reſcripti auctoritate.
118. Arianorum inter, &.	Arianorum, &.
120. Ambroſii ſororis.	Ambroſii ſorori.
123. *Vilitas etiam ndumentor.*	*Vilitas etiam indumentor.*
163. Ad Viventum.	Ad Viventium.
210. Athanaſiarum operum.	Athanaſianorum....
224. *Ad Romanum perrexerunt.*	*Ad Romanum perrexit.*
281. Multas ſuas ſeditiones.	Multas ſeditiones.
355. Nultum locum cnnventib.	Nullum locum conventib.
360. Poſt Meletii obitu.	Poſt Meletii obitum.
377. Caſtitate & ſidei.	Caſtitatis......